DECII IVNII

IVVENALIS

AQVINATIS SATYRÆ,

COMMENTARIIS DOMITII CALderini Veronenſis Secretarij Apoſtolici, illuſtratæ.

CVM

EIVSDEM SVORVM IN MARTIALEM COMMENTARIORVM DEFENSIONE ET RECRIminatione, aduerſus Brotheum Grammaticum.

Omnia recognita & illuſtrata, permultiſque mendis quibus ſcatebant, expurgata.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

PARISIIS,

Apud ROBERTVM FOÜET via Iacobæa, ſub ſignis Temporis & Occaſionis.

M. DC. XIV.

Cum priuilegio Regis.

DOMITII VIXDVM ÆTATIS MEDIÆ VIRI ELOGIVM.

NAm quis te, iuuenum flos delibate, per altas
Compulit ire vias, & odoribus auia cœli
Spargere, dum ſeclis reſeras ignota futuris?
Ipſa tibi Pallas mentem inſpirauit, & ora
Soluit in electas claro ſub acumine voces.
Læta Venus tibi iunxit opem, leniſque Thalia
Egit vt Aonÿ legeres violaria luci.
Te Verona tulit, vidit te Roma docentem,
Te docti ſtupuere ſenes, te lingua virorum
Æquauit ſuperis, coluit te blandior ætas.
Aldus adhuc puer, & nulli non vtilis arti
Audiit è celſa iaculantem verba cathedra.
Hinc gentes petiere, fouet quas humidus Auſter,
Aut premit vrſa rigens, aut temperat aura fauoni;
Graiugenûmque manus, patriis quæ ſedibus exul
Se tulit in Latios, mala poſt Byzantia, tractus.
Tantùs honor ſtudiis & conſolatiò damni;
Tale fuit muſis iam tunc redeuntibus omen!
Quid loquar explicitos, te diuinante, Poëtas?
Vel totos, vel parte ſui? quippe omnia ſolus
Nemo valet, non centum oculos ſi commodet Argus.
Statiùs ergo tuis debet ſua nomina chartis
Vt multùm: latitaret enim ſub luce maligna
Italicus, velo niſi te ſenſiſſet aperto:
Atque alÿ plures, in quis Epigrammatis auctor
Enitet, ac radios quamuìs per nubila vibrat.
At Iuuenalis habet viridis ſuper addita palmæ
Præmia, commentiſque vicem non inuidet vllis.
Quod pauci tetigere duces, tua gloria pridem
Attigit, & fortes non expauere lacerti.
O ſi tale decus noſtris fulſiſſet in annis!
Si tibi librorum ſeries immenſa fuiſſet,
Qualis vbique micat, procerumque per atria ſurgit,
Sol nouus audires, vel cinctus imagine Lunæ
Execreres lumen, propè deficientibus aſtris.

S. C.

DOMITIVS CALDERINVS

CLARISSIMO VIRO IVLIO MEDICI Petri Coſmi filio Florentino. S. D.

ETSI multa de prudentia, humanitate, virtute tua olim mihi ſæpè afferebantur, Iuliane, tamen quum ſuperiore anno iſtic eſſem, ea omnia ita in te proſpexi, & admiratus ſum, vt ad eam fidem & obſeruantiam immortalem, quam in Laurentium fratrem contuli, & locaui, tu quoque magna ex parte impuleris. Nam quum me & mea omnia Laurentio, domuique veſtræ traderem, inter cætera ornamēta quæ egregia & ampliſſima habetis, & parta à maioribus veſtris, & à vobis non modo conſeruata ſed aucta, illud inprimis laude ſingulari dignum arbitratus ſum, quod duo fratres cū domeſtica gloria, tum ciuitatis honoribus florentiſſimi: tanta concordia viuitis, tam mutua pietate, tanta virtutum omnium ſimilitudine, vt quum tu maiori natu Laurentio, diuini ingenij, ſummæque ſapientiæ viro cedas; iſta inſigni pietatis laude ad præcipuam gloriam contendas, efficiaſque; vt nemo Laurentium colat, qui te non plurimum obſeruet. Quod mihi profecto accidit: nam quum ei laborem omnē, induſtriam, denique meipſum dicatum eſſe debere ſtatuerim. hoc ſtudium meum & conſilium ei probare non poſſe videor, niſi fidei in te argumentum aliquod extiterit. Id vt fiat, hoc anno elaboraui diligenter. Nam Iuuenalis Satyras noua commētatione tuo nomine explicare conatus ſum: in quibus interpretandis non ignoras quam multi bonarum artium ſtudioſi operam poſuerint; & tamen aliquando ingenue ſint profeſſi ſe multa non aſſecutos eſſe, vel carminis obſcuritate, vel temporum ignoratione. Equidem quod ſine arrogantia dictum velim, multa in iis Græcorum Latinorumque auctoritatem confirmata me explicaſſe contēderim, quæ vel alij grauioribus ſtudiis occupati neglexerunt; vel multi noſtrarum literarum ſtudioſi ſcire magnopere expectabant. Atque id ſane non in iis tantum, quæ quotidianis diſputationibus queri ſolebant, ſed vbi etiam pleraque pro apertis & expoſitis in hominum opinionem recepta fuerant: quum vel hiſtoriæ inuolucro adhuc laterent, vel figurata elocutione remotiora eſſent: Vt illud,

Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ.

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.
— quantum Lauſeia bibebat
Pro populo faciens.
— & tota ſonat vlmea cœna Suburra.
—quæ cuſtos Gallicus vrbis,
Vſque à Lucifero.

Aliaque permulta, in quibus quid effecerim, qua ratione ab aliorum interpretatione diſceſſerim, eorum ſit iudicium, qui commẽtarios noſtros in manus aliquando ſument. De his vero locis, quæ iamdiu in diſceptatione verſantur.

Vt Cecropiam Baptæ ſoliti laſſare Corytton.
Cambre repetita.
Tranſlatus ſubito ad Marſos.

Ita me diſputaſſe arbitror, vt labor noſter, & eis ignorantibus vtilis futurus ſit, & iis qui eadem habent cognita admodum probari poſſit: quamuis quidam, quem toto opere Fidentinum iure appellauimus, autore & magiſtro Brotheo grammatico, noſtra cùm ſuis ineptiis coniungere tentauerit. In quo mecum ob id certè vnum præclarè actũ eſt, quod vterque eum ſe præſtitit, vt alterum odiſſe, alterum etiam ſtultum eſſe nemo qui vel hæc, vel illa legat, ignoret. Hic eſt ille Brotheus, Iuliane, qui lucubratione noſtra in Martialem, quam Laurentio fratri dicaui tantopere offenſus eſt, vt contumeliis, calumniis, cauillationibus non aliter me inſectetur, quàm ſi in eo omnis vitæ & dignitatis rationes poſitas haberet. Huius aliquot epiſtolis hactenus reſpondi, quod in fine huius operis leges, rurſuſq; accuſaui hominis ignorantiam in recognitione Pliniĳ, quem ducentis & ſeptuaginta quinque locis ab eo deprauatũ fuiſſe, altera lucubratione facilè coniicimus. Quæ verò de Commentariis Martialis nobis obiecit, ita diluimus, vt iiſdem locis grauioribus eum criminibus reum agamus, quod & hac de qua dixi Epiſtola meditamur, & altera actione abſoluimus. Vnum illud à bonis doctiſque viris vehementer petimus, vt ne mihi, neve Brotheo fidẽ habeant, niſi & Martialis carmen priùs legerint: & quod ſcripſerimus ex cõmentariis noſtris cognouerint. Solet enim Brotheus calumniis agere, alia inuertere, alia falſo recitare. Nam quum ei pellis leonis hactenus non profuerit, nunc demum vulpinam inſuere meditatur: nam omnia tentat, ne homo quinquagenarius ab eo qui nõdum vigeſimumnonum compleuit annum, diſcere videatur. Sed de Brotheo & Fidentino hactenus. Tu quum omnia legeris meliùs de his ſtatues. Itaque hos Commentarios tibi tradimus, & dicamus in Laurentium obſeruantiæ, in te domumque veſtram egregiæ voluntatis & fidei meæ teſtes ſempiter-

nos. Eo autem celeriùs emittuntur: quod Marcus Aurelius Senatus Veneti ſcriba, vir doctiſſimus eloquentiſſimuſque, mecum iampridem per literas egit, vt tandem aliquando hos ederem quos vehementer legere cuperet. Eſt enim his ſtudiis eruditiſſimus, & quum fides, morum grauitas, aliaque ornamenta quotidie in eo ſpectentur doctrina maximè eminet. Marcilium Ficinum noſtrum aliquando ad hos legendos adhibebis ſi à Philoſophis ſuis diſcedere poteſt, in quibus locum obtinet honeſtiſſimum. Vale.

IVVENALIS VITA EX ANTIquorum monumentis.

IVNIVS Iuuenalis libertini locupletis incertum alumnus an filius: ad mediam fere ætatem declamauit: animi magis cauſa quã vt ſcholæ aut foro ſe præpararet. Deinde paucorum verſuum Satyra non abſurdè compoſita in Paridem pantomimum, poëtamque eius ſemeſtribus militiolis tumentem, genus ſcripturæ induſtriosè excoluit: & tamẽ bene diu ne modico quidem auditorio quicquã committere auſus eſt. Mox magna frequentia, tantoque ſucceſſu bis aut ter auditus eſt, vt ea quæ prima fecerat inferciret nouis ſcripturis,

Quod non dant proceres dabit hiſtrio, tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tamen in deliciis aulæ hiſtrio, multique fautorum eius quotidie prouehebantur. Venit ergo Iuuenalis in ſuſpicionem quaſi tempora figurate notaſſet, ac ſtatim per honorem militiæ, quamquam octogenarius vrbe ſummotus eſt, miſſuſque ad præfecturam cohortis tendentis in extremam Ægypti partem: id ſupplicij genus placuit, vt leui atque ioculari delicto par eſſet. Verum intra breuiſſimum tempus angore & tædio periit. Temporibus Domitiani floruit, ad Neruæque tempora peruenit, quod quoniam eius carmẽ plane indicat, multaque præterea teſtimonia, à nobis non eſt longa diſputatione confirmandum.

Opus totum in ſedecim Satyras diuiditur: neque iis aſſentior qui in libros diſtribuunt. Sed iam de Satyra dicamus.

DOMITII CALDERINI VERONENSIS

Secretarij apoſtolici commentarij in Satyras Iuuenalis ad clariſſimum virum Iulianum Medicen Petri Coſmi filium Florentinum.

SATYRARVM genera duo agnoſcimus, alterum antiquius tam à Græcis quam Latinis vſurpatum, recentius alterum, quod ab antiquiore defluxit, quod Latini tantùm excoluerunt, prius illud ſola varietate carminum conſtat, perſoniſque introductis, comœdiæ par, ſed maiore laſciuit licentia, ſalibuſque & iocis abſoluitur. nam introducti Satyri dij ſilueſtres procaces iocularia & laſciua inter ſe iactant, hi ſunt, Satyrus canus, Satyrus impubes, Satyrus adoleſcens, Silenus pater, atque id genus perſonæ fictæ, quod Pollux apud Græcos docet. In hoc poëmatis genere Æſchylus & Græci preterea multi verſati ſunt, apud nos Pacuuius, Ennius Varro qui eo ſtilo Satyras Menippeas conſcripſit. Satyris igitur introductis Satyra nomen accepit: quam appellationem hæc recentior, quæ à priore manauit, & à Latinis tãtum vſurpata eſt, ſeruauit, ac ex licentia illa veteri Satyrorum, in apertam hominum reprehenſionem & obiurgationem exiuit, mutato carminis colore & numeris: nam in hexametros aſſurgit, cum prior intra iambicos & eius generis verſus contineretur. Hinc Lucilius, qui, ſi eius ſtudioſis credimus, non modò cum eiuſdem operis auctoribus, ſed cum omnibus poëtis certat: quamuis non ſine ſuſpitione æmulationis, lutulẽtus fluere ab Horatio dicatur. Mira eſt in eo libertas & acerbitas, qua Mutium Scæuolam ſui temporis ciuem Romanum ita inſectatus eſt, vt eum ſecuiſſe dicatur à Perſio, vnà cum Lupo: Horatius terſior. Perſius indignatione ita euehitur, vt vix ſenſum abſoluat verborum, atque ita confundit Iuuenalis & Lucilij acerbitatem puritate Horatiana, quam maxime adamauit, & imitatus eſt. calore Perſij addito, quem ita temperauit, vt quæ ſingula in illis laudabãtur vniuerſa probentur in hoc vno. Scio Feſtum, Diomedem, & qui ab eo Satyræ expoſitionem ſingulis ferme verbis mutuatus eſt, Porphyrionem huius appellationis cauſas alias attuliſſe, ſed à Satyris olim introductis, Satyram dici vero ſimilius eſt, id eſt poëma ſtilo heroicum, libertate ſimplex, figuris interciſum. tum periphraſis, quæ velandæ reprehenſioni adhibetur frequenter occurrit, hiſtoriæ ſuorum temporum cognitione plurima. nam quæ antiquiora ſunt non inſeruntur, niſi in præſentium inuidiam: perſonis, niſi aut viuant, aut iluſtres ſint, non parcit. Hoc genere ſedecim Satyræ à Iuuenale conſcriptæ ſunt. Quarum prima cum poëta ex diuturno erumpens ſilentio ſuam accuſat patientiam, qua recitantes poëtas audiuerat, cum & ipſe quoque poſſit ſcribere, & nihil magis ſcribendum ſit quàm Satyra, cauſaſque demonſtrat, ardore quodam & rebus congeſtis potius quam diſpoſitis in obſcuritatem pænè confunditur. Non libet confutare illorum opinionem, qui poëtam ſe indo-

ctum fateri putant, nam riſu potius hoc eſt expolendum, quàm refellendum rationibus, quibus res apertiſſima non indiget. Hîc inquam, primum ſe audiendis poëtis iam feſſum eſſe oſtendit: & cum tantum tẽporis audiẽdis alienis carminibus conſumpſerit, ſe quoque reponere oportere ait, hoc eſt ſcribendo reparare & reſarcire. Nã hæ duæ voces, Reponere, ſcilicet, & Impune, cum in varias ſignificationes accipiãtur, à Iuuenale vſurpatæ ſunt non ſecus quàm ab Horatio. Reponere, reficere & reſarcire eſt quod fuit detractum. Iuuenalis:

— meliora ac plura reponit

Perſicus orborum lautiſſimus.

Virgil.

— hæc rapta pro virginitate reponit.

Papinius. *— qui damna dolens aliena repono*

Infœlix lachrymas:

Scilicet, meas quas reparo & renouo. Martialis, qui amiſſum ſomnum id vrbe, in prouincia reparabat:

Ingenti fruor improboque ſomno:

Et totum mihi nunc repono quidquid

Terdenos vigilaueram per annos:

Surgentem focus excipit.

Quamuis quidam Martialis ſenſus nulla habita ratione Repono pro Scribo tradiderit, cum dormiens nihil minus agat, quàm ſcribat, Inde reponere poëtæ dicuntur, cum auditas fabulas ſcribunt, nam ita tempus audiendo conſumptum reponunt, id eſt reparant & reſartiunt. Horatius.

Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem.

Scriptum iam, ſcilicet, ab Homero. alibi:

Fabula quæ poſcit vul & ſpectata reponi.

Porphyrio verò, eum locum aliter interpretatus, nouum morem confinxit. Impune ſine pœna dicitur: quæ autem ſine pœna fiunt, paſſim aguntur, qua ratione Horatius impune pro paſſim vſurpauit in Arte poëtica:

Ne ſpiſſa riſum tollant impune corona:

Id eſt paſſim. alibi:

— Sed mente recepta,

Obturem patulas impune legentibus aures.

Non interrogando verſus legitur, & cum Horatius oſtendat ſibi magnam eſſe moleſtiam à poëtis, Cum ſcribo, inquit, habeo eorum rationem & timeo ne offendam,

— genus irritabile vatum.

Cum mens recepta eſt, id eſt cum volo relaxare animum, poſſumne fugere quo minus audiam recitantes, cũ & aures meæ patulæ ſint, & illi impune, id eſt, paſſim legant, id eſt, vbique occurrentes & volentes audiri. inde alibi:

Scribimus indocti, doctique poemata paſſim.

Legetur ita mea quidem ſententia, Satyræ initium hoc pacto.

EXTRAICT DV PRIVILEGE *du Roy.*

PAR grace & priuilege du Roy il eſt Permis à ROBERT FOÜET, Libraire en l'Vniueſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer & expoſer en vente ce preſent liure intitulé, *Decij Junij Iuuenalis cum comentariis Calderini Veronenſis Secretarij apoſtolici* & c. Et defenſes ſont faites à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer ledit liure d'autre impreſſiō que de celle dudit Foüet, ou de ſon conſentemēt, durant le temps & terme de dix ans finis & accomplis, à commencer du iour & datte de l'acheuement de l'impreſſion, ſur peine de ſix cens liures tournois d'amende applicable la moitié au Roy, & l'autre moitié audict Foüet, & de confiſcation deſdicts exemplaires, comme plus amplement eſt contenu & declaré eſdictes lettres. Donné à Paris le huictieſme iour de Iuin, l'an de grace mil ſix cens dix. ſigné par le Roy en ſon Conſeil,

DES-PORTES.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le huictieſme iour de May. 1614.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS SATYRA PRIMA.

SEMPER *ego auditor tantum? nunquam ne reponam*
Vexatus toties rauci Theſeide codri?
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic Elegos? impune diem conſumpſerit ingens

SEMPER EGO AVDITOR.] Eróne ſemper auditor, ſcilicet alienorum carminum: de qua moleſtia & temporis iactura conqueritur Martial. tum alibi, tum eo loco. *Auditur toto ſæpe poëta die.* Hora.

Hic ſponſum vocat, hic auditum ſcripta relictis
Omnibus officiis.

NVNQVAMNE REPONAM.] Non ne aliquando ſcribendo reſartiam hoc tempus, quod aliis audiendis conſumpſi. Ita enim poëtæ reponere dicuntur, apud Hora. vt antea eſt dictum. ERGO ILLE.] Hoc eſt, alius recitauerit mihi togatas comœdias, quas ſcripſit.

IMPVNE.] Paſſim, cum voluit, repete, & ego non reponam. Nam vt ante eſt dictum, impune legere & impune recitare dicebantur poëtæ, cum paſſim id agerent.

HIC ELEGOS.] Repete recitauerit, & ego non reponã. Denique repete: & ego non reponam, vſque ad notã magis, vt per indignationem legas.

RAVCI CODRI.] Eiuſdem nominis eſt poëta apud Martial. Illic tamen ſemper legi Cordum in antiquis codicibus. hic pauper fuit, quod indicat alibi Iuue. & Mar.

Plus credit nemo quam tota Cordus in vrbe,
Cum ſit tam pauper, quomodo? cæcus amat.

Eundem appellat alpha pænulatorum, quod compoſuerit hiſtoriam de Theſeo, nuſquam extat teſtimonium, niſi deprauato verſu Martialis: vbi ait Marſum ſcripſiſſe Amazonidem: nam nonnulli illic ſupponunt Cordum, quod Amazonidem ſcripſerit, id eſt tumultum Amazonum cum Theſeo. Theſeus monumentis Plutarchi & Diodori ſatis notus eſt, vnũ illud addam ex Pauſania ſcriptore Græco præſtãtiſſimo Corynetum, qui proprio nomine Periphitus, vel vt ille ſcribit Periphanes, dicebatur à Theſeo interfectũ Vulcani filiũ fuiſſe, quòd fortaſſe ambigebatur, vbi Ouidius eum Vulcaniam prolem appellauit. Homerus quoque Theſeida ſcripſit, vt Plutarchus tradit.

RAVCI.] Rettulit ad aſſidua recitationem.

TOGATAS.] Comœdias, in quibus inſignem laudẽ aſſecutus eſt Afra-

nius maiore laude futurus, niſi in his amores in pueros eſſet faſſus. Prætextæ item comœdiæ Attellanicæ tabernariæ dicebantur & Rhyntonicæ à Rhyntone actore, quo pro loquaci vtitur Columella & Varro his verbis. *Quis contra nunc Rhynton non dicit ſua nihil intereſſe, vtrum his piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis.* Fidentinus plagiarius præceptoris ſui fraudē & prauitatē ſecutus, cū hoc à ſcriptis meis acceptū ad ſuas nugas transferret, quas multa pecunia curauit imprimendas, vt huius interpretationis laudē nobis præriperet: furtū planè prodidit per ignorātiam. nā Varronis verba, cū publice profitere, Iuuenalē, nō dictaui auditoribus. nec Fidentinus cū nuſquā mea legiſſet, in ſuis nugis recitauit, modeſte quidē, vt fortaſſe videri voluit: ego vero imperite factū ſētio & per ignorātiā. Quæ de Repono, & Impune, diximus, multos & fortaſſe mouebūt qui veteri quadā opinione imbuti ſunt. Sed vnū illud petimus: vt ne tam multorū cōſenſū quā linguæ ingenuitatē accipiāt, & antiquorū vſū, quis obſecro vos, probare poſſit quod Tortellius, quòd eū ſecuti tradiderūt? Impune, ideſt ſine effectu eſſe exponēdum, quid cōmune habent hæc verba? Apuleium afferunt non tam antiquorum vſus imitatorē quā ſuorū verborū opificē: apud quem ſi de eo eſſet diſceptatio, Impune aliter intelligi facile demōſtrari poſſet. Sed Apuleiū omittimus, nō enim quod ipſe, ſed quid Horatius & Iuuenalis dicant audiuimus.

Telephus aut ſummi plena iam margine libri.
Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes:
Noto magis nulli domus eſt ſua, quàm mihi lucus
Martis: & Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani: quid agant venti, quas torqueat vmbras
AEacus, vnde alius furtiuæ deuehat aurum
Pelliculæ, quantas iaculetur Monychus ornos.
Frontonis platani conuulſaque marmora clamant
Semper, & aßiduo ruptæ lectore columnæ
Expectes eadem à ſummo minimóque poëta.
Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus Syllæ, priuatus vt altum
Dormiret, ſtulta eſt clementia cum tot vbique
Vatibus occurras perituræ parcere chartæ.
Cum tamen hoc potius libeat decurrere campo.
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.
Si vacat, & placidi rationem admittitis edam.

TELEPHVS.] Poëtas tragicos omnes ſui temporis notat, qualis fuit Baſſus, in quem Martial.

Colchinda quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſtem?
Quid tibi cum Niobe, Baſſe, vel Andromede?

Telephum vero tragœdiam ante ſcripſerat Actius, vnde illi ſunt verſus:

Nam ſi à me regnum atque opes Fortuna eripere quiuit,

At virtutem non quærit. Telephi hiſtoria ab Euſtathio & Diodoro ſatis perſcripta eſt.

Scriptvs in tergo.] Ex vſu antiquorũ hoc ait, qui in pugillaribus membranis ſcribebant, ita vt ſcripta poſſent deleri tanquam ex tabulis. Pugillares membranei apud Martial. hoc diſtinchon habent.

Eſſe puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis quotiens ſcripta nouare voles.

Qui interiore pagina non contenti in tergo ſcribebant, damnabãtur tanquam loquaces & nimij. Martial.

Scribit in aduerſa dicens epigrammata charta.
Et dolet aduerſo quod facit illa deo.

Nota magis.] Dũ hæc verba parũ recte accipiũtur à nonnullis, totius pæne ſatyræ ſenſus deprauatus eſt: nã ita accipiũt quaſi Iuue. dicat ſe operã dediſſe his fabulis cognoſcẽdis. Inde illa deliramẽta aſtruũtur, quòd ſcilicet fateatur ætatẽ cõſũpſiſſe in fabulis & inani diſciplina. Ego vero hæc verba accipio referẽda ad multitudinẽ recitantiũ, quos audiuerat de his fabulis, quæ ſubſequũtur, vt dicat, Nulli magis domus nota eſt ſua quã lucus Martis mihi: & perinde ſit, ac ſi diceret. Nulli ſæpius, aut à pluribus poëtis hæ fabulæ recitatæ fuerunt quam mihi.

Lvcvs martis.] Hoc eſt hiſtoria de origine vrbis: nam in Luco Martis ad Albam, vt Trogus & Dionyſius Halycarnaſſeus ſcribũt, Rhea Ilia peperit Romulum & Remũ vrbis cõditores. Lucus itẽ Martis Athenis Areopagus dictus. Lucus præterea Martis in Ponto, vbi erat vellus aureum, vt ſcribit Diodorus. Sed Fidentinus cũ hoc ex ſcriptis noſtris acciperet, negat Lucum Martis dici in Ponto, ignorans nullũ eſſe templũ ſine luco, & verſum Marti.

Cuſtodem Scythici fuiſſe luci,

Id eſt, luci Pontici ad ædem Martis.

Svbdvximvs manvm fervlæ.] Id eſt ſub pædagogo triuiali grãmaticen didicimus, vbi metu verberũ ſubducebamus & ſubtrahebamus manum: nam pædagogi triuiales ferula verberabant pueros. Columella. *Ferulæque minaces.* Marti. *Triſteſque ferulæ ſceptra pædagorum.* Ingenui tamen vapulabant pellibus anguillarum, autor Plinius. Hoc ait, cum quotidie ab omnibus fabulæ recitentur, docti que & indocti ſcribãt poëmata, nos quoque idonei poſſumus videri ad ſcribendum, ſatiſque didiciſſe & grammaticen & rhetoricen.

Et nos dedimvs consilivm syllæ.] Id eſt rhetoricen didicimus, ex cuius præceptis & exercitatione ficto themate declamauimus in grauiſſimis quoque & difficillimis cauſis, qualis fuit declamatio, Cum ſuaſimus Syllæ, vt deponeret dictaturam, in genere deliberatiuo verſantes, hunc declamandi morem teſtatur Quintilianus. Ipſe alibi:

Vt pueris placeas & declamatio fias.

Perſius: *Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe.*

Pro nihilo pendas.

Fidentinus vero cũ præceptore ſuo, quæ portẽta, quæ deliramenta, quæ ſomnia hic narrant? Aruſpices mihi conſulere videntur, non Iuuenalem interpretari. Quid enim aiunt malum poëtam ſuaſiſſe Syllæ, vt depo-

neret dictaturam. Scribitne hoc Cicero? quo vtuntur autore. An Capitolinus? an Manlius? Quid prætereà illud ad Satyræ ordinem & ſenſum? Nonne tradit Appianus Syllam ſponte, nullo cogente dictaturam depoſuiſſe? Hæc erat declamatio & fictum thema ſtulti hominis. At Cæſar dicebat Syllam depoſuiſſe dictaturam, quia neſciſſet literas. Quid hoc ad ſenſum Iuuenalis? an propterea eum peruertitis? Vox ea erat Cæſaris, qui imperij cupidus Syllam obiurgabat, quod in animum inducere potuiſſet, vt dictaturam deponeret. Addidit tamen ex ſcriptis noſtris Fidentinus: *Aiunt poëtam declamaſſe ad mediam ætatem, quod male probant.* Credo eum voluiſſe ſcribere, quod inuitus probo.

Privatvs vt altvm dormiret.] Hæc erat ratio ſuaſionis in declamatione, depoſito imperio: alludit ad hiſtoriã, nam vt Plinius ſcribit. Pedicularẽ morbũ, in quẽ incidit Sylla ſomno diſſimulabat; ne adiretur.

Cum tener vxorem ducat ſpado, Næuia Tuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma:
Patricios omnes opibus cum prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat:
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Criſpinus Tyris humero reuocante lacernas

Vxorem dvcat spado.] Reuocata lege Iulia à Domitiano in adulteros, mœchæ mœchis nubebãt, ne ſupplicio afficerentur, Martia. *Quod nubis Proculia concubino, ne lex Iulia te notare poſſit: non nubis Proculinr, ſed fateris.* Alibi ſæpe idem. Inter adulteros autem erant ſpadones & eunuchi. Martial.

Cur tantùm eunuchos habeat tua Gellia quæris
Pannichè? Vult futui Gellia non parere.

Alibi.

At prius o mores & ſpado mœchus erat.

Alibi.

Cum ſene communem vexat ſpado Dindymus Æglen.

His ergo nubebant mulieres, quæ illos habebant adulteros. Martialis.

— nubit Lictoria Ligdo,
Turpior vxor erit quàm modo mœcha fuit.

Reprehenſio igitur eſt in libidinem mulierum, & irriſio legis Iuliæ, cui per fraudem diuerticulum inuentum eſt: nam cũ ſit reuocata ad pudoris ſanctitatem tuendam, mulieres impudenter ſpadonibus, quibus oblectatæ fuerant nubebant, cum & ipſi ſpadones teneri moleſq; eſſent.

Næivia.] Nomen meretricium eſt apud Martialem, & pro quacũque impudenti muliere ponitur: quæ in venationem pugnamque deſcendit theatralem temporibus Domitiani. Ille enim non virorũ modò, ſed mulierũ pugnas edidit & venationes in theatro, in quibus illuſtres quoque mulieres operam ſcænicam præſtiterunt. Martial. de feris occiſis à mulieribus illic.

Hac iam fœminea vidimus acta manu.

Nvda mamma.]Habitũ impudicæ,& incũbẽtis in vulnus feræ oſtẽdit.

Patricios omnes]Non in Antiochum imperitum tonſorem, cuius meminit Martialis: is enim diues non fuit,non in Licinum,non in tonſorem Neronis, ſed in Cinnamum, qui muneribus mulieris ad equeſtrem cenſum peruenerat. de hoc alibi: *quot villas poßideat nunc, quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat:* Vt cum nunc, dicat non potes intelligere niſi tonſorem huius temporis, is demum damnatus in Sicilia exulauit. Inde illud Martialis,

Qui tonſor fueras tota notißimus vrbe,
Et poſt hoc dominæ munere factus eques,
Sicanias vrbes Æteneaque regna petiſti.

Fidentinus hunc locum accipiens ex noſtris ſcriptis, ne ſubripuiſſe videretur exponendo amplificat, & ait factus diues munere dominæ, id eſt Romæ,vbi lucratus eſt arte tonſoria. O lepidum caput, vide in quas tenebras te coniecerit præceptor tuus, cur audes diſcedere à meis veſtigiis; nullam excuſationem afferre potes erroris tui, niſi quod nondum interpretationem meam huius verbi audieras: nam verſum tantùm Martialis inſerueram,non addidi expoſitionem, quam expectare noluiſti, vt vna cum aliis à nobis ederetur munere dominæ ſtolidiſſimæ,muneribus muliebribus intelligit qua ratione multi locupletabantur, & fiebant equites, vt Gabinia Achillam fecit ex pugile equitem. Martia.

Caſtora de Polluce Gabinia fecit Achillam.

Crispinvs.]Quatuor Criſpinos fuiſſe hiſtoria traditur. Primum qui eques dignitate Senatoria Claudio imperante præfectus prætorij conſularibus inſignibus donatus ſub Nerone crimine coniurationis exactus in Sardiniam accepto iuſſæ mortis nuncio ſemet interfecit; Tacitus autor. Alterum Neronis priuignum,qui puer adhuc patris imperio ſubmerſus eſt;Tranquillus ſcribit. Tertium qui temporibus Othonis cum duobus centurionibus tumultu militari necatus eſt. Plutarchus & Tacitus ſcribunt.Quartum qui ex ſeruili cõditione Ægyptius Domitiani indulgentia ad equeſtrem cenſum peruenit. ad eum Martialis.

Sic placitum videas ſemper Criſpine tonantem,
Nec te Roma minus quæ tua Memphis amet.

Hunc alibi lacerat perpetua fermè ſatyra, nunc conqueritur quod ex ſeruo ad equeſtria inſignia fuerit prouectus.

Pars Niliacæ plebis.]Hoc eſt ſeruus ex plebe:nam in Ægypto in plebe tantum erant ſerui.Martialis,

Non de plebe domus, nec auaræ verna Cataſtæ.

Tranquillus in Veſpaſiano. *Quidam è plebe luminibus orbatus*, is fuit Alexandrinus, vt tradit Tacitus.

Lacernas tyrias.] Purpureis veſtibus oblectatum eſſe Criſpinum tradit Martialis:

Neſcit cui dederit Tyriam Criſpinus abollam,
Dum mutat cultus induiturque nouos.

Ea ſuperinduebantur togæ:Tranquillus, *dedit negocium Ædilibus ne paterentur in foro circóve quemquam conſiſtere, niſi poſitis lacernis, togatum.*

Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,
Difficile eſt Satyram non ſcribere: nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis tam ferreus vt teneat ſe?
Cauſidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipſo,& poſt hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comeſa
Quod ſupereſt,quem Maſſa timet, quem munere palpat.

ÆSTIVVM AVRVM.] Quid delirat hoc loco Fidentinus cum præceptore ſuo,neſcio quid ridiculum de veſte aurea afferens, nonne Iuuenalis iam dixit in Tyrias veſtes Criſpini?an ſuper induerat Attalicas? ô ineptũ hominem! Iuuenalis deſcribit inſignia equeſtria in Criſpino, vt diſcas quod ex præceptore tuo non potuiſti. Non enim mouetur quod veſtes habeat Criſpinus,ſed quod equeſtris cenſus ſit & dignitatis, quæ deſignatur veſtibus purpureis & annulo. Æſtiuum aurum, leuem bracteam & filum aureum,vt ita dixerim, intelligó, nam res ſubtiliores & leuiores æſtiuas ſolemus appellare. In annulis autem vt ſcribit Plinius,alij pondera & magnitudinẽ auri oſtentabãt,aliis plures quam vnum geſtare labor erat, alij prægrandes gemmas ſubtiliſſimis bracteis & filis, quibus pro annulis vtebantur inſerentes earum precio gloriabantur. Hoc annulorum genus luxurioſi hominis erat & ditiſſimi, qualem Iuuenalis vult oſtendere Criſpinum fuiſſe. Plinius de annulis,alij pondera eorum oſtentant,aliis plures quam vnum geſtare labor eſt, alij bracteas inſerunt leuiore materia, & propter caſum gemmarum totam ſolicitudinem putant.

NEC SVFFERE QVEAT.] Planè deſcribit annulum quem dixi leuiorem bracteam, & cum ait æſtiuum aurum,prægrandem veró gemmam,hoc verſu pondera gemmæ.

VENTILET.] Hoc ad mollitiem Criſpini tetulit, qui manus incedendo ita languentes pendere ſinebat & moueri,vt quaſi ei labor eſſe videretur, & ſudor geſtare annulum & propterea ventilare.

CAVSIDICI NOVA.] Hinc grauiorem ſcribendæ ſatyræ cauſam orditur, ob delatores ſcilicet,quos Domitianus tantopere fouebat,vt ne hi quidẽ qui ei amiciſſimi videbantur tuti à criminationibus eſſent. Cum autem in eo & quæſtus eſſet, & gratia Imperatoris pararetur, multi pauperes cauſidici à forẽſibus cauſis ad delationes ſe conferebant, vt Pompeius Falco, qui iiſdẽ tẽporibus accuſabat,vt alibi notatur à Iuuenale, —*ſæuior ille Pompeius tenui iugulos aperire ſuſurro.* Eundem fuiſſe cauſidicum Plinius docet,qui epiſtola ei conſulit,vt creatus tribunus abſtineat actione cauſarum. Hos omnes ſub perſona MATHONIS notat,quẽ pauperẽ & diuitem factum videri vult delationum quæſtu;pauperem fuiſſe indicat. Mart.

Parua rogas magnos,ſed non dant hæc quoque magni,
Vt leuius pudeat iam Matho, parua roga.

Iuuenalis alibi, *Matho deficit.*

NOVA.] Nuper comparata delationibus,cum antea eſſet pauper.

PLENA IPSO.] In qua geſtatur ſolus tanquam luxurioſus & delicatus.

POST HVNC.]Ex hiſtoria ſuorũ tẽporũ hoc ait,nam Dominitianus Arẽtinũ Clementẽ cum leui delatione ſerui,quamuis prius amicum intimum capitis eſſet condemnaturus,nihil prius ei dixit,quam conſpecto delatore iuxta lecticã,nam vna geſtabatur, ita ait,vis hũc nequiſſimũ ſeruũ cras audiamus?atque ita damnauit. Conqueritur igitur Iuuenalis aures principis adeo parere delatoribus,vt ne eius quidẽ amiciſſimi tuti ſint, vt exponas.

DELATOR MAGNI AMICI.]Magni,id eſt imperatorij, nam magna amicitia Imperatoris dicitur, alibi Iuuen.*In quorum facie miſeræ magnæque ſedebat Pallor amicitiæ.*Nonne inquit Poëta ſcribenda eſt ſatyra, cum pleriq; cauſidici delationibus locupletentur,& tot ſint delatores, vt ſi alij defuerint,iuxta lecticam ſeruus ſit delator,qui vel amiciſſimum Imperatori leui delatione poteſt tollere,vt ille Aretinum Clementem.Quod ſupereſt, nam multos iam patritios & ſenatores nobiles in exilium eiecerat & trucidauerat Domitianus,autores Euſebius & Tranquillus.

QVEM.]Non certum aliquem deſignat delatorem ſed ſimpliciter delatorem,hoc eſt Delatores etiam ipſi delatorem timent apud Domitianum, vt Bæbius Maſſa. Hunc delatorem fuiſſe temporibus Domitiani ſcribit Tacitus in nece Piſonis: *aderat inquit Bæbius Maſſa qui noſceret.* Iam tum,id eſt temporibus Veſpaſiani optimo cuique exitioſus, ſuis ſcilicet delationibus,& in cauſas malorum quæ mox,id eſt deinceps temporibus Domitiani,tulinus ſæpe rediturus,eiuſdem meminit Plinius ad Tacitum Scribens.

Carus & à trepido Thymele ſummiſſa Latino.
Cum te ſummoueant qui teſtamenta merentur
Noctibus,in cœlum quos euehit optima ſummi
Nunc via proceſſus,vetulæ veſſica beatæ.
Vnciolam Proculeius habet.ſed Gillo deuncem.
Partes quiſque ſuas ad menſuram inguinis heres
Accipiat.ſanè mercedem ſanguinis.& ſic
Palleat vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam quanta ſiccum iecur ardeat ira.

CARVS.]Tẽporibus Domitiani, hunc delatorem fuiſſe oſtẽdit Plin. his verbis, *niſi forte quod non fui reus , fuiſſem ſi Domitianus ſub quo hæc acciderunt diutius vixiſſet: nam in ſcrinio eius datus à Caro in me libellus inuentus eſt.* mendoſe *acer* pro *à Caro* in aliis codicibus reperio. At quoniã Fidentinus cum præceptore hoc loco damnat me deprauare codicem Plinij, nec vſquam extare Carum fuiſſe delatorem, audiat Martialem,

Ecce reum Carus te detulit,adſit Agellus.

Neo aliter conueniret. nam vt propoſui, oſtendit Iuuenalis delatorem etiam delatores ipſos timere apud principem,qui eos admodũ amplectabatur.de eodem Caro Mart. *O cui virgineo flaueſcere contigit auro,*

Dic vbi Palladium ſit tibi Care decus?

THYMELE.]Prima fuit quæ ſaltationem ſcenicam iuſtituit. Plutarchi vero interpres verbo Græco Thymelem Neronis pro ſaltatione reddidit,

eiuſdem nominis vxor Latini qui mimus fuit Domiti autore Tranquillo. nam eius iocis & Panniculi & Thymeles oblectabatur Imperator. Mart.

Qua Thymelem ſpectas, deriſoremque Latinum,
Illa fronte precor carmina noſtras legas.

A Latino autem ait timeri delatorem, vt oſtendat ne mimum quidem Imperatoris, quamuis ei iucundiſſimus ſit, delationibus tutum non eſſe, ſed oportere eum clam mittere Thymelem vxorem ad eum placandum.

SVMMISSA.] Ego non intelligo ſuppoſita ad libidinem, quæ enim forma erat in Thymele inima vt expeteretur, ſed ſummiſſa, id eſt clam miſſa ad delatorem placandum iocis. nolebat enim videri Latinus timere apud Imperatorem.

MVNERE PALPAT.] Muneribus conciliat. nam palpare tractare eſt & lenire. Abſoluta iam eſt à Iuuenale cauſa ſatyræ ſcribendæ, quæ erat propter fauorem Principis in delatores: eos repreſſit Titus, eoſdem in initio Imperij Domitianus, ſed poſtea eoſdem ita excitauit, vt hæc de eo Tranquillus ſcribat, *bona virorum & mortuorum vſquequaque quolibet, & accuſatore & crimine corripiebantur. Satis erat obiici qualecunque factum dictumque aduerſus maieſtatem Principis.*

SVMMOVEANT.] Te ſibi cedere cogant.

QVI TESTAMENTA.] Alia indignationis cauſa, quod turpi quæſtu & vetularum conſuetudine multi diuites fiebant. nam cum illis decrepitis & prurientibus officium præſtitiſſent, heredes poſtea ſcribebantur, Martialis in Charidemum, qui amiſſas opes ita volebat reparare,

Nunc ſectaris anus. ô quantum cogit egeſtas!

Plurima præterea Martialis epigrammata vetulis prurientibus, & futui cupientibus illudunt. Hunc totum ad Othonem referri perridiculum eſt, quod ſcilicet ille per aulicam anum decrepitam inſinuatus ſit Neroni: in omnes dicitur, qui eo quæſtu locupletabantur, vt diximus, & merebantur teſtamenta, quæ de Othone non poſſunt intelligi: non enim fuit illius anus hæres. Præterea ait, Nunc, id eſt ætate noſtra.

ARAM LVGDVNENSEM.] Ex hiſtoria hoc dicitur. nam Caligula certamina oratorum in Gallia inſtituit ad Lugdinum ea lege, vt victi victorum laudes componerent, & qui maxime diſplicuiſſent ſpongia linguave ſcripta abſtergerent, niſi maluiſſent, aut ferulis obiurgari, aut in proximum fluuium mergi. Oratores igitur illic dicturi pallebant propoſitum ſupplicium timentes. Non tamen inquit Iuuenalis pallidiores erant his quæ ſanguine exhauriuntur, dum prurientibus vetulis operam præſtant. Dixit autem aram, quoniam Lugdinum cum oppidum eſſet Auguſti, & duæ aræ, altera erat eximiæ dignitatis, de qua nunc loquitur, nam illic titulus erat inſcriptus quinquaginta gentium, & ſingulis ſtatua vna erat locata, hęc ex Tranquillo & Strabone. Addit Euſebius Lugdinum conditum fuiſſe Trebatio.

PROCVLEIVS.] Vir optimus, cuius meminit Horatius: qui eques Romanus tantæ pietatis in fratres fuit, vt bona cum his iterum æqua portione diuiſerit, cum bellis ciuilibus attriti pauperes eſſent. Hic pro optimo viro, & minime mentulato ponitur.

GILLO.] Pro mentulato, Maro & Titus apud Martialem.

Cum populum gregibus comitum premat, hic ſpoliator
Pupilli proſtantis, at hic damnatus inani
Iudicio: quid enim ſaluis infamia nummis?
Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis: at tu victrix prouincia ploras.
Hæc ego non credam Venuſina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? ſed quid magis Herculeias
Aut Diomedeas aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percuſſum puero, fabrumque volantem,
Cum leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Ius nullum vxori, doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo:

SPOLIATOR PVPILLI.] In omnes ſpoliatores pupillorum hoc dicit, & numerus ſingularis pro plurali ponitur: in hoc notatur Irus quidam ficto nomine:

Quot pupillos circumſcripſerit Irus:

Quamuis hoc commode poſſit videri dictum in eos qui viduas habentes liberos adulterorum blanditiis ſpoliabant, in quo carpitur Galla à Martiale:

Cum placeat Phileros tota tibi dote redemptus:
Tres pateris natos Galla perire fame.

Atque hoc cum ſuperioribus conuenit, quæ de vetulis dixit.

SPOLIATOR PVPILLI.] Dum matrem ſcilicet viduam exaurit bonis.

PROSTANTIS.] Nam paupertate cogitur turpitudine corporis quæſtum facere.

MARIVS.] Marium Priſcum intelligi planum eſt, qui cum Africam prouinciam ſpoliaſſet, accuſatus Romæ ab Afris varias habuit ſententias: tandem Cornutus ſeptem milia nummum, quæ prouincialibus eripuerat, ærario inferenda cenſuit, cum Afris reſtitui debuiſſent ſpoliatis, quod Iuuenalis conqueritur publicam deteſtans auaritiam & iudiciorum iniquitatem. alibi,

Cum tenues nuper Marius diſcinxerit Afros:

Hæc exemplis Plinij.

DIIS IRATIS.] Aduerſo iudicio.

AB OCTAVA.] Statim poſt octauam quæ palæſtritarum erat: nam ante nonam menſæ deſtinatam cœnare hominis luxurioſi & diſſoluti habebatur.

VICTRIX PROVINCIA.] Quæ Marium damnaſti.

PLORAS.] Tibi non reſtituta pecunia.

INANI IVDICIO.] Inane iudicium appellat, quod nihil Afris profuit: nam in ærarium deriuata eſt pecunia.

LVCERNA VENVSINA.] lucubratione Horatiana. Nam Horatius Lucillio terſior & magis purus ad notandos hominum mores præcipuus, vt ſcribit Fabius, Venuſiani Dauniorum Coloniam in Apulia patriam habuit.

SED QVID MAGIS HERCVLEIAS.] Ex ſenſu quo orſus eſt Satyram, quod ſcilicet docti & indocti fabuloſa quotidie ſcriberent, quaſi reſpirans. Nonne inquit Satyra ſcribenda eſt potius, cum tot ſint cauſæ, quàm fabuloſa.

DIOMEDEAS.] Fabulas ſcriptas de ſociis Diomedis, qui in aues conuerſi ſunt, quæ Diomideæ dicuntur.

FABRVMQVE VOLANTEM.] Verbum Græcum expreſſit. nam Dædalus fabrum ſignificat & ingenioſum.

CVM LENO ACCIPIAT.] Domitianus legem tulit, qua prohibuit mulieres relictas hæreditates & legata capere, autor Tranquillus: Nam adulteri prætéritis ſæpe liberis mœchis ſuis bona relinquebant. Inuenta inquit Iuuenalis fraus eſt legi: nam ex quo per legem mœchæ ſuorum adulterorum bona capere non poſſunt mariti, tanquam earum lenones pecunia corrupti eas ab aliis attrectari permittunt, iam eruditi ad diſſimulandam conſcientiam, intuentes ſcilicet LACVNAR cum mœchus accedit, aut ſtertentes in menſa, ſi forte tunc ingreditur cum tamen vigilent.

SI CAPIENDI IVS NVLLVM VXORI.] Si legitur in codicibus antiquis non Sit, hoc eſt quoniam ſublatum eſt ius vxoribus capiendi hæreditates & legata mortuorum per legem Domitiani, maritus táquam leno excogitauit, quo pacto viuentes ſpoliet adulteros: nam corruptus pecunia & muneribus ſe conſcium eſſe diſſimulat. Alienas opiniones & fabulas hoc loco ego quoque diſſimulabo, ne ſi cœpero refellere, aut aliqua ex parte probare videar, aut non ſatis habere fidei huic ſententiæ, quæ apertiſſima eſt.

Cum fas eſſe putet curam ſperare cohortis.
Qui bona donauit præſepibus, & caret omni
Maiorum cenſu, dum peruolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat,
Ipſe lacernatæ cum ſe iactaret amicæ?
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadriuio? cum iam ſexta ceruice feratur.

CVM FAS ESSE PVTET.] Eum notat, qui puer educatus inter aurigas, & ipſe auriga aliquando, tandem ad tantam peruenerat dignitatem vt cohorti Prætoriæ præficeretur. Tigillinum intelligere non pla-

cet, quamuis non ignorem illum Neroni fuiſſe gratiſſimum, non enim Poëtæ temporibus viuebat, quod ex Plutarcho & Tacito ſcimus, vt eius cauſa ad Satyras ſcribendas impelli poſſe videatur: nam de homine ſui temporis loquitur, cum dicat: Cum fas eſſe putet, ſcilicet nunc. Præterea viuos, tantum notat obſcurioribus quidem verbis & ambagibus quod exitu Satyræ plane fatetur:

— experiar quid concedatur in illos. &c.

Quoniam iam ſcilicet cœperat de viuis ſcribere: ſed mutato conſilio de mortuis ſcripturum pollicetur. nec Othonem intelliges, ex qua dixi de cauſa. Cornelium vero Fuſcum mea quidem ſententia notat: nam is temporibus Domitiani, & Poëtæ præfectus cohortis prætoriæ fuit, quod ſcribit Tranquillus. Idem olim flagitioſiſſimus, & ſuſceptis Veſpaſiani partibus ardentem bello ciuili facem prætulit, vt ſcribit Tacitus: Idem temporibus Neronis aurigauit, vt principi, qui eodem ſtudio tenebatur, placeret. nam Nero vt Tacitus ſcribit, ſuæ aurigationis infamiam leuiorem videri poſſe putauit, ſi plures fœdaſſet: itaque nobilium familiarum poſteros egeſtate venales in ſcænam deduxit. fuiſſe nobilem Fuſcum ſcribit Tacitus his verbis, *procurator aderat Cornelius Fuſcus ingens ætate, claris natalibus, poſt Neronis tempora ſenatorio ordine depoſito ſe in ocium quietis cupiditate contulit. Demum temporibus Domitiani cohortis prætoriæ præfectus bellum aduerſus Dacos geſſit, vbi occubuit.* Clarus epithaphio Martia.

Ille ſacri lateris cuſtos martiſque togati. &c.

Et Iuue. albi.

Et qui vulturibus ſeruabat viſcera Dacis,
Fuſcus marmorea meditatus prælia villa.

Hoc eſt qui in vmbra ſemper erat verſatus, & molli aurigatione. eodem crimine alibi Damaſippum ficto nomine notat.

DONAVIT PRÆSEPIBVS.] Conſumpſit in equis alendis ad aurigationem.

CARET SENSV MAIORVM.] Nam egeſtate, venalis quis nobilis Neroni ſe aurigam præſtitit.

Curam cohortis, Præfecturam cohortis prætoriæ.

PVER.] cum eſſet olim puer Fuſcus. Iam tenebat Cora, tractabat habenas equorum auriga Neronis.

AVTOMEDON.] Id eſt auriga, nam Automedon Achillis auriga fuit. hic ſimpliciter pro auriga.

IPSE.] Fuſcus, cum alij nobiles ſuos aurigas habere ſoleant.

CVM SE IACTARET AMICÆ.] Lacernatæ. i. dum Nero Sporum ſuum comitaretur, quem per ſigillaria & varios receſſus impudenter comitatus eſt, nota eſt hiſtoria Trāquilli. q. d non in certaminibus ſacris ſed in molli & obſcœno vitæ genere Fuſcus neroni aurigandi operam præſtitit.

FLAMINIAM.] Viam ſtrauit Flaminius conſul poſt victoriam par-

tam de Liguribus , à Roma per Tuſciam Ariminum vſque. Strabo .

CAPACES CERAS.] Ingentes pugillares.

IAM SEXTA CERVICE.] Eum norat, qui temporibus ſuis ſignatis falſo teſtamentis factus erat diues, hunc alij interpretes modo incognitum fatentur, modo Tigillinum eſſe affirmant, à quibus omnibus vt diſſentiam Plinij auctoritate adducor, qui Iuuenalis temporibus Regulum ſic taxat: *Aſpice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia proceßit, vt ipſe mihi dixerit, cum conſuleret quam cito ſexcenties ſeſtertium impleturus eſſet, inueniſſe cenſum duplicata, quibus protendi millies & ducenties habiturum, & habebit ſi modo vt cœpit aliena teſtamenta, quod eſt improbißimum genus, falſis his, quorum ſunt illa dictauerit.* Hunc laudat Martialis aſſentando cum diues & potens eſſet, vt etiam Plinius fatetur. *Eſt inquit diues & potens.* nec me fugit hunc Regulum eſſe. Plinius & hoc loco, & alibi modo teſtamentorum captatorem oſtendit, modo omnium bipedum nequiſſimum appellat: Quali impudentia eſt Fidentinus, qui cum hunc locum ex ſcriptis noſtris didiciſſet inuitus confictas à ſe fabulas in huius loci expoſitionem hac vna noſtra opinione emendare vellet, & per inuidiam noluit hanc vnam amplecti, & per ignorantiam reliquas narrat tanquam probet, cum tamen fieri non poſſit, vt vlla præter hanc vera ſit? Puduit quinquagenarium diſcipulum ab homine , qui vix vigeſimumnonum annum natus eſt diſcere, quod per omnem vitam non potuerat: Sed nebulonem prætereamus, de quo verba nuſqum facerem, niſi me præceptoris recordatio moneret. Scio enim quos habuerit Fidentinus fraudis & verſutiæ magiſtros ac impulſores.

SEXTA CERVICE.]Latinè hexaphorum dixit, id eſt, lectica à ſex ſeruis geſtata.

Hinc, atque inde patens ac nuda pœnè cathedra,
Et multum referens de Mecænate ſupino
Signator, falſo qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat vda.
Occurrit matrona potens, quæ molle calenum
Porrectura, viro miſcet ſitiente rubetam.
Inſtituitque rudes melior Locuſta propinquas
Per famam & populum nigros efferre maritos.
Vude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid. probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire, nurus corruptor auara,

NVDA.] Nudum littus dicimus, quod habitatoribus non occupatur, & nudam cathedram hoc loco, in qua ſolus geſtabatur ille, quod erat luxurioſi, vt ante dixit *Plena ipſo.*

SVPINO.] Id eſt molliſi delicato, vt ego ſuſpicor nam Mecœnatem mollem fuiſſe legimus veſtium, præſertim elegantia: & Horatius eum Malacinum appellat, quod mollem ſignificat. Porphyrio ita interpretatur: nam μαλακὸς mollem ſignificat. Vnde μαλακία. alibi Iuuenalis,

Teneris quoque Mecœnatibus aptam:

Id eſt tenero & Molli Mecœnati. Qui ſupino pro ſuperbo exponunt & elato, nullum habent autorem, licet quidam Perſij verſum male interpretati,

— latio quod honore ſupinus.

Superbum expoſuerint, cum planè illic luxurioſum ſignificet & mollem. Mecœnatem ſuperbum appellatum nuſquam legimus. Martialis ſupinum pro molli dixit:

Nuſquam delitiæ ſupiniores:

Id eſt molliores. Fidentinus præceptoris conſilio vſus hunc locum à me acceptum & non percipit, & inuertit.

MATRONA POTENS.] Veneficia accuſat, quæ ita paſſim fiebant, vt iam viri ab vxoribus & vxores à viris tollerentur. Galla ſeptem necauit:

Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum,
Picentine, ſequi vult puto Galla viros.

Venenum vino miſceri temporibus Iuuenalis maxime in vſu erat, Martialis,

Diceris hac cælebs factus quater eſſe lagena:

Id eſt veneficio lagenę indito: Veneficia olim coercuit ſenatus multis mulieribus damnatis, vt eſt apud Liuium copioſe ſcriptum: rurſus eruperunt fraude Agrippinæ quæ Claudium virum venenato boleto ſuſtulit, vel certe veneno cibo delectabili infuſo, vt Tacitus tradit, docẽte Locuſta, quæ iam veneficij conuicta fuerat: eadem magiſtra Britãnicus, à Nerone eſt necatus educta ex Iulij Pollionis cuſtodia, apud quem ob idem ſcellus ſeruabatur.

LOCVSTA.] Hoc eſt ipſa matrona, tanquam Locuſta magiſtra.

MELIOR.] Peritior aliis.

PER FAMAM.] Quoniam non argueb ãtur: nam ſilentium quoddam fieri putatur his locis: Inque rubeta veneńata rana cadauera efferebantur, vt eſt apud Plynium.

GYARIS.] Inſula ex Cycladibus vna, locus exilii grauiſſimi.

ARGENTVM VETVS.] Id eſt archetypa pocula anaglypha, ea erant exciſa in aſperitatem, vt ſcribit Plinius & exculpta, vt inciſæ animalium effigies eminerent. Hinc ait:

— ſtantem extra pocula caprum.

ADVLTER PRÆTEXTATVS.] Suorum temporum turpitudinem ex hoc notat, quod vxores à viris coactæ pueros molles in adulteria allicie-

bant, vt his deprehenſis viri abuterentur. Martialis:

Subdola famoſæ moneo fugæ retia mœchæ,
Leuior ô conchis Galle Cytheriacis.

alibi.

Vxorem nolo Theleſinam ducere, quare?
Mœcha eſt, ſed pueris dat Theleſina: volo.

QVEM PATITVR DORMIRE.] Id eſt ſilere & non perturbari in ſatyram.

CORRVPTOR.]Senex qui corrumpit nurum: nam cum ea iunior, ſit facilius poteſt allicere pueros quam vxor.

AVARÆ.]Quæ pecuniam pudori præfert.

Quem ſponſæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio verſum
Qualemcumque poteſt, quales ego vel Cluuienus.
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Nauigio montem aſcendit, ſorteſque popoſcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.
Et quando vberior viciorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit ſinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculus comitantibus itur
Ad cauſam tabulæ, poſita ſed luditur arca.
Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero: ſimplexne furor ſeſtetia centum
Perdere: & horrenti tunicam non reddere ſeruo?
Quis totidem erexit villas: quis fercula ſeptem
Secreto cenauit auus? nunc ſportula primo
Limine parua ſedet, turba rapienda togatæ.

TVRPES SPONSÆ.] Nam pueri viris nubebant, vt alibi reprehendit.

ET ADVLTER PRÆTEXTATVS.] Puer qui in adulterium allicitur vt pædicetur. Non enim mouetur Iuue. quod puer in prętexta adulter ſit, ſed quod fraus illi ſit excogitata.

CLVVIENVS.] Ego nomen mali poëtæ eorum temporum intelligo. Solent enim Satyri ſui temporis homines breuiter & vrbaniter notare, vt Martia. Picentem, Baſſum, Ligurinum Iuuenalis Hiſpullam: & alios, quod etiam Comici veteres ſtilo prope Satyri faciebant: vt legere eſt

apud Ariſtophanem. Cluuienum, Chærilum fuiſſe, aut aliquem notum poëtam quis ſcribit, aut ſomniat?

DISCVRSVS.] Verbum eſt temporum Iuuenalis, quo Martialis vſus eſt, pro concurſatione eorum qui diſcurrendo aliquid captabant. Martialis,

Diſcurſus varios vagumque mane.

ALEA.] Tempora ſua notat, quibus & Domitia. & alij effusè alea oblectati ſunt. de Domi. Tranquillus: Claudius ita amauit, vt de ea librum compoſuerit.

EX QVO DEVCALION.] Non permittit ſe deducturum ſatyram à temporibus Deucalionis de hominum vitiis ad ætatem vſque ſuam: vt nõnulli ſuſpicati ſunt: id enim eſſet infiniti prope operis præſtare, & polliceri arrogantis poëtæ. non enim mouetur Iuuena. antiquorum vitiis, ſed ſuorum temporum: ſed hic ſenſus eſt, Cum vitia omnia quæ inualuerunt inter mortales à tempore Deucalionis, ex quo reparatum eſt humanum genus, quorum, ſcilicet timor, ira & reliqui affectus ſint farrago & argumentum noſtri libelli, id eſt ſatyrici ſtili, in quo volumus verſari, quando vberius argumentũ datum eſt: ac ſi dicat quando plura vitia fuerunt carpanda, nunquam tanta ſatyræ facultas & argumentum oblatum eſt.

NOSTRI LIBELLI.] Non exponas huius ſatyræ, quam nunc ſcribimus: nam vitia omnia ab initio orbis non inſectatur, ſed noſtri libelli, id eſt, generis & poëmatis ſatyrici, in quo nos poëtæ Satyri verſari ſolemus. Et quando vberior copia vitiorum, id eſt, quando fuit maius argumentum ſatyræ, id eſt, quando fuerunt plura vitia, quorum reprehenſione ſatyræ argumentum conſtat.

DISPENSATORE.] Diſpenſator ſeruus erat qui curam habebat rei domeſticæ. Plinius, *Seruus eius nomine Rotundus diſpenſator.* Tacitus, *diſpenſator Argius è prioribus ſeruis.*

SERVO HORRENTI.] Id eſt diſpenſatore frigenti, qui tibi totam arcam ſuppeditat, cum ipſe careat tunica.

ERREXIT VILLAS.] Non villarum ædificationem reprehendit: vel à ſeueriſſimis cenſoribus conceſſa, ſed quod plus ſpatij occupabant villæ & ædes ruſticanæ quàm ager, lege cenſoria iubente, ne plus verrerent quàm ararent, vt eſt à Plinio ſcriptum.

SECRETO.] Non conqueritur quod in publico non epulentur temporibus ſuis: qui mos, & ſi olim fuit, vt ſcribit Valer. tamen iam deſiuerat, ſed hoc inſectatur, quod cum epularum luxus pontificalibus tantum cœnis ſit conceſſus, vt eſt apud Macro. *& Septemviris epulantibus in Capitolio publice, eadem luxuria inter priuatas ædes menſa peretur*: quod etiam ita conqueritur Varro, *ſed propter luxuriam epulum eſt quodammodo quotidianum Romæ intra priuatas ædes*, vt exponas ſecreto, id eſt, intra ędes priuatas.

SEPTEM FERCVLA.] Alludit ad Septemviros epulones, quorum cœ-

na lautiſſima erat,teſtis Macrobius:ea additialis vel adipalis dicebatur, quaſi dicat: Quis luxum Septemuirum epulonum itra priuatas ædes parauit,vt nunc videmus.

NVNC SPORTVLA.] Excandeſcit ex hoc quod cum pauperes tantum olim ſalutarent,& inde captarent ſportulam ad victum,iam & nobiles & diuities & magiſtratus eundem faciant quæſtum,vt Mar. Paulum conſulem carpit ſalutantem,& alibi ad nobiles ita conqueritur.

Quid faciam Romæ,cui non licet eſſe clienti?
Dimiſit noſtras purpura veſtra togas.

Id eſt vos nobiles iuſſiſtis nos togatos abire à ſalutationibus,quas occupaſtis. Nero rectas cœnas ad ſportulas reuocauit. Domi.ſportulas ad rectam cœnam,ſed nondum id egerat ſcribente Iuue.

Ille tamen faciem priùs inſpicit,& trepidat,ne
Suppoſitus venias,& falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies,iubet à præcone vocari
Ipſos Troiugenas,nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum:da Prætori,da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior eſt,prior inquit ego adſum.
Cur timeam,dubitemve locum defendere,quamuis
Natus ad Euphratem , molles quod in aure feneſtræ
Arguerint,licet ipſe negem,ſed quinque tabernæ
Quadringenta parant , quid confert purpura maius
Optandum, ſi Laurenti cuſtodit in agro
Conductas Coruinus oues?ego poſſideo plus
Pallante,& Licinis,expectent ergo Tribuni.
Vincant diuitiæ,ſacro nec cedat honori
Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos ſanctiſſima diuitiarum
Maieſtas ,& ſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas,nullas nummorum erreximus aras,
Vt colitur pax atque fides,victoria virtus,
Quæque ſalutato crepitat concordia nido.

ILLE.] Scilicet cuſtos balneorum. nam ab eo erogabatur ſportula, hoc eſt centum quadrantes. Mar.

Quos balneator diuidebat elixus.

SED

SED LIBERTINVS.] Notat tempora ſua quibus Domi. communicauerat quædam ex maximis officiis inter libertinos & milites: autore Tranquil. Libertini olim in quattuor tribus diſtributi fuerunt, Exquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam, ornati temporibus Claudij: nam Claudius, ſiue Bareas Soranus conſul Claudio permittente prætoria inſignia Pallanti illius liberto decreuit: quod etiam Pli. in naturali hiſtoria ſe vidiſſe refert: tunc vero libertini prætoria inſignia non habebant, ſed tantum cum tribunis, id eſt militibus communia quædam officia: Inde Iuuenalis eos diſceptantes introducit, cum Prætor & Tribunus, id eſt milites ante vocarentur, & indignantes, quod non ſint æquati, nō ſolum Tribunis ac militibus, ſed & Prætoribus, vt temporibus Claudij fuerunt.

DEFENDERE LOCVM.] Datum nobis ab Imperatore, & communem ordinem inire cum Tribunis ac militibus.

NATVS AD EVPHRATEN.] Quamuis ex ſeruili conditione ſim ex Cappadocia aductus: nam Euphraſtes, vt longum ambitum ommittam, iuxta Cappadociam fluuius: vnde & ſerui aducti Cappadoces appellati ſunt. Martia.

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe iuuat.

QVINQVE TABERNÆ.] Non de numero tabernarum loquitur, quod tantum quinque eſſent: ſed Romæ ita quadam tabernæ apellabantur iuxta forum, eædem ſeptem dictæ ſunt. Liuius: *Arſerunt tabernæ circa forum, quæ olim ſeptem, nunc quinque dicuntur.* Eas hic poſuit pro omnibus prædiis vicinis foro quæ precioſiora ſunt. Hāc meam ſententiam, quam, quod ſine arrogantia dictum ſit, primus hoc loco excogitaui, vt in aliis multis. Fidentinus ex ſcriptis noſtris accipiens, commemorat quidem tanquam alienam, ſed non probat: quid mirum? non percipit.

QVADRINGENTA.] Id eſt cenſum equeſtrem, qui quadringentis ſeſtertiis continebatur Tiberij edicto. Plinius autor.

PALLANTE.] Pallas ex Arcadia autore Tacito libertinæ conditionis immenſas opes poſſedit Claudij indulgentia, temporibus Neronis necatus eſt, quod nimium longa ſenecta grandem pecuniam occuparet, eius frater Felix Iudeæ præfectus eſt.

ET LICINIS.] Et Licinum diuitem fuiſſe oſtendit Perſius:

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes,

Hunc libertinæ conditionis intelligere placet, vt conueniat cum Pallante. De Licinio Stolone, cuius meminerunt Valerius, Liuius, Plinius, quod ſcilicet centum iugera agri habuerit, & eo nomine ſit damnatus, quoniam plus poſſideret, quàm ipſe lege ſua permiſerat, non cōuenit. Licini tonſoris meminit Hora. Sed melius ad aliquem libertorum hoc cognomen referetur.

EXPECTENT ERGO TRIBVNI.] Id eſt cedant nobis milites, quibus Imperator nos æquauit officiis communicatis: nam parem Prætoribus locum volumus, quem habuit Pallas.

Sed cum ſummus honos finito computet anno
Sportula quid referat,quantum rationibus addat:
Quid facient comites,quibus hic toga,calceus hinc eſt,
Et panis,fumuſque domi?denſiſsima centum
Quadrantes lectica petit,ſequiturque maritum
Languida,vel prægnans, & circunducitur vxor.
Hic petit abſenti nota iam callidus arte,
Oſtendens vacuam & clauſam pro coniuge ſellam.
Galla mea eſt inquit,citius dimitte, moraris?
Profer Galla caput: noli vexare,quieſcit.
Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerum.
Sportula,deinde forum,iuriſque peritus Apollo.
Atque triumphales, inter quas auſus habere
Neſcio quis titulo AEgyptius atque Arabarches:
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas eſt.
Veſtibulis abeunt veteres laſsique clientes,
Votaque deponunt quanquam longiſsima cœnæ
Spes homini caules miſeris atque ignis emendus.
Optima ſiluarum interea,pelagique vorabit.

COMITES.] Idem togati dicebantur.

HINC TOGA.]Nam ex ſportula comites aliquando togam emebant. Martialis:

Unde tibi togula eſt.

CENTVM QVADRANTES.]Nam tot dabantur ex ſportula. Mart.

Das Baiana mihi quadrantes ſportula centum.

Idem Tacitus ſcribit.

IPSE DIES.] Alij aliter hunc locum acceperunt,ego ita ſum interpretatus,quod Iuuenalis diuitium Romanorum & nobilium auaritiã carptat, qui ſportulam captarent, non modo mane ſalutabant domi quoſcunque prima & ſecunda hora poterant adire: nam prima & ſecunda hora ſalutationibus dabantur,ſed etiam tertiam in eo conſumerent,venirentque in forum ad equites ſalutandos,qui iudices in triplici foro ſedebant, nam tertia hora litibus forenſibus erat deſtinata. Mar.

Exercet raucos tertia cauſidicos.

Eodem argumento idem in auarum ſalutatorem.

Et mane ſudas Vrbis oſculis vdus.
Foroque triplici ſparſus ante equos omnes,
Ædemque Martis,

quæ ſcilicet erat in altero foro,& coloſſon Auguſti in altero.

PVLCHRO.[Ironice dictum.

SPORTVLA.] Scilicet petitur, hoc eſt mane duabus horis ſalutant, & comitantur cauſa ſportulæ.

DEINDE.] Scilicet tertia hora.

FORVM.] Scilicet Latinum petitur.

APOLLO IVRISPERITVS.] Alterũ forum, vbi erat coloſſus Apollinis, de quo Pli. *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Auguſti Tuſcani cum quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine.* & Tran. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo Aruſpices pronunciarunt*, & paulo poſt, *Quo loco iam ſenior ſæpe etiam ſenatum habuit, decuriaſque iudicum recognouit.*

IVRISPERITVS.] Nam vt dixi illic conſidebant iudices, ad quos alludens Horat. cum de Bolano in ius tracto loquitur.

— ſic me ſeruauit Apollo.

Id eſt, iudices ad ſtatuam Apollinis ſedentes, ad quos tractus eſt Bolanus. Non ignoro tamen Porphyrionem ex imitatione Homerica eum locum interpretatum eſſe; & illud addi poteſt, quod tamen non probo.

IVRISPERITVS APOLLO.] Quod ab eo Lycurgus leges ſe accepiſſe dicebat, auctor eſt Dionyſius.

ATQVE TRIVMPHALES.] Tertium forum notat, quo ibant ad ſalutandos equites, qui illic iudicabat: nam hæ erant in tertio foro.

INTER QVAS.] Hoc in tempora ſua dicit, quibus Domitianus inſignia triũphalium ſtatuarũ per vrbem ſibi erexerat, cuius rei dignitatem deprimit, cum dicat ſeruis quoque triumphalem ſtatuam datam eſſe. & vt ſcribit Tacitus Tigillino, *& Cocco ſtatuæ datæ ſunt inter triumphales.*

ÆGYPTIVS AVT ARABARCHES.] Libertinæ conditionis hominem notat, quem Ægyptium etiam dixit in Criſpini exprobationem.

MEIE.] Nam quæ contemnebantur ſimulacra ſpargebantur vrina, vt Nero in ſtatuam Deæ Firiæ vrinam proiici iuſſit, auctor Tranquillus.

DEPONVNT VOTA COENE.] Nam Domit. nondum ſubſtulerat ſportulas, & rectam cœnam dari iuſſerat clientibus, quod poſtea fecit, vt eſt apud Tranquillum & Mart.

Centum miſelli iam valete quadrantes.

EMENDVS.] Ex centum ſcilicet quadrantibus ſportulæ: quos loco cœnæ acceperunt à diuite.

Rex horum, vacuiſque toris tantum ipſe iacebit.
Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, vna comedunt patrimonia menſa.
Nullus iam paraſitus erit: ſed quis feret iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gulæ, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum!

Pœna tamen preſens,cum tu deponis amictus
Turgidus,& crudum pauonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes,atque inteſtata ſenectus.
It noua,nec triſtis per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit vlterius,quod noſtris moribus addat
Poſteritas,eadem cupient,facientque minores.
Omne in præcipiti vitium ſtetit, vtere velis,
Totos pande ſinus.dicas hic forſitan vnde,
Ingenium par materiæ,vnde illa priorum
Scribendi quodcunque animo flagrante liberet
Simplicitas,cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoſcat Mucius,an non?

VACVIS TORIS.] Vt ante dixit:ac nuda pene cathedra: quia ſcilicet ſolus iacebat,quod Fidentinus latrando non audit.

ORBIBVS.] Id eſt menſis citreis,quæ dimidiatis orbibus fiebant, & orbes à Martiale ſæpe appellantur,

Vt Maurißiacis ſubſtentem dentibus orbes.

REX HORVM.] Regem Horatius,Columella,vt alibi dicemus,Martialis,Iuuenalis eum appellat,qui multos habet clientes, vt hoc loco.

REX HORVM.] Quem colunt.

TOTOS APROS.] Seruilius Rullus, eius Rulli,qui in cõſulatu Ciceronis legem Agrariam promulgauit pater,primus Romanorum ſolidum aprum epulis appoſuit:auctor Plinius.

DEPONIS AMICTVS.] Nam ante cœnam Romani lauabantur,quod multis in locis indicat Martialis.ait igitur,qui tota vorant patrimonia,& epulis replentur,in ſequenti die cœnaturi,cum ſe lauãt adhuc ſunt crudi, hoc eſt nondum concoxerunt pridianum cibum. Id eſt ex ſatyra Horatij eo verſu, *— crudi timidique lauamur.*

Quid deceat, quid non obliti.

DEPONIS AMICTVS.] Scilicet in ſpoliatorio vel apodyterio, id erat locus in balneis,vbi veſtes reponebantur.

PAVONEM] primus Hortenſius poſuit cœna adiciali, nam ita appellabatur cœna Pontificum,cum Augur fuit,vt Pli.ſcribit.ſed Fidẽtinus olim ſcriptis ſuis,quæ ex noſtris nuper emendare conatus eſt , locum Plinij ita inſeruerat,*Exitiali cœna ſacerdotij*,quia vt,ſi Deo placet interpretatur, pauo exitialis eſt , & mortem affert , nunc vero deprauationem Pli. præceptoris ſecutus eundem locum ita refert adialitij cœna ſacerdotij: ſed oblitus priſtini erroris non ſuſtulit inſequentia verba, quæ olim addiderat, ea ſunt , *non enim facile digeritur.* O rem ridiculam! ô hominem fuſtuarium ! Crudum appellat, non propter pauonis naturam:ſed propter nimiam ingurgitationem epularum, quæ multitudine ſua concoqui non poſſunt ab his, quorum gulam carpit Iune. Diſce tandem cum præceptore tuo locum Plinij emendate legere,

quem à Varrone Pli. accepit. Varro de pauonibus, *Primus hos Quintus Hortenſius augur in adiciali cœna poſuiſſe dicitur.*

PAVONEM.] M. Lurco, vt Varro eſt auctor ſupra ſexagena milia nummũ ex pauonum prouentu accipiebat.

INTESTATA.] Sine teſtamento, quia nihil habent quod relinquant conſumptis patrimoniis, vt illud Mar.

Nil dedit vxori, cui dedit ergo? ſibi.

Id eſt gulæ tuæ.

IRATIS.] Dolentibus nihil ſibi relictum eſſe.

VNDE ILLA PRIORVM.] Monitorem introducit libertatem ſcribendi non eſſe quæ olim fuerat: nam & veteribus Comicis olim quoq; lex præſcripta eſt, ne principes ciuitatis nominatim notarẽt. Horatius.

— quin etiam lex,

Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam

Deſcribi.

Et Poëtæ temporibus Domitianus, auctore Tranquillo ſcripta famoſa non ſine auctorum ignominia deleuit: ſed Lucilius qui ante occupatam Rempu. ab Imperatoribus ſatyram ſcripſit, mira libertate & acerbitate Mutium Scæuolam & alios eſt inſectatus. nihil enim timebat ab Imperatoribus cum nulli eſſent. Lucilius in Mutium:

Græcum te Albuti quam Romanum atque Sabinum:

Municipem Ponti, tritamen centurionum,

Et demum chere Tite Mutij.

Albutius. hic eſt ille Albutius, cuius ſatyras eſſe ſcribit Varro Luciliano ſtilo. Amicus igitur monet Iuuenalem Lucilianam libertatem ſublatam eſſe: Perſius:

— ſecuit Lucilius vrbem:

Te lupe, te Muti, & Genuinum fregit in illis.

meministine Fidentine plagiarie quantis vocibus olim clamabas, cum hanc ſententiam in Silij interpretatione quem publice profitebar recitaſſem, & tamen eam nunc accipis, inuerſam quidem & male expoſitam: ſed inepte coniungis cum illa tua veteri opinione, Merium Tarpam intelligens, deprauato Iuuenalis verſu & ſenſu. MVTIVS, Non pro eo qui ſit mortuus ponitur, ſed vt ſit ſenſus Lucilius nondum occupata ciuitate à tyrannis potuit libere carpere quem libebat, vt Mutium reprehendit, parum enim curauit iraſceretur ne Mutius, an leuiter ferret. Sed poſtea quam apud Imperatores multi gratioſi ſunt, quorum libidine cuncta geruntur, qualis fuit Tigillinus apud Neronem, non eſt tutum in hos ſcribere, nam afficerent ſupplicio.

Pone Tigillinum, teda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media ſulcum deducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciet nos,
Cum veniat contra, digito compeſce labellum:

Accuſator erit qui verum dixerit, hic eſt.
Securus licet Æneam, Rutulumque ferocem
Committas, nulli grauis eſt percuſſus Achilles,

PONE TIGILLINVM.] Hoc eſt hominem carum Imperatori, vt fuit Tigillinus Neroni. Tacitus cum multa alia, tum hæc de eo, *M. Ophonius Tigillinus obſcuris parẽtibus, fœda pueritia, impudica ſenecta, præfecturã vigilũ & prætorij, & præmia virtutum quàm velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde auaritiã & virilia ſcelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone quadã ignaro auſus, poſtremo eiuſdem deſertor*: Plutarchus & Tranquillus ſcribunt eundem charum fuiſſe Galbæ, quem populi inuidiam timẽs donis corruperat. temporibus Othonis mortuus eſt imperãre populo Sinueſſæ excectis faucibus, cum mortis nuncium accepiſſet, quem muneribus corrumpere non valuit.

IN ILLA TÆDA.] Ad palum duo genera ſupplicij erant apud antiquos, aut enim puniebantur more maiorum hoc eſt pendẽtes è furca nudis corporibus & cæſi virgis vſq; ad mortẽ, vt Tranquillus interpretatur, aut ad ſcalas Gemonias trahebantur, hoc eſt inſerto guttuti unco producebantur in harenam, vbi poſtea pendentium crura frangebantur & iniecto igni ardebant. hoc genus ſupplicij in Claudio commemoratum eſt à Tranquillo, & Nero exercuit in Chriſtianos, quibus ardentibus in vſum luminis vſus eſt: Nouum excogitauit Dom. qui faces per obſcena immitti iubebat.

FIXO GVTTVRE.] Scilicet vnco quo tracti fuerant.

MEDIA HARENA] Scilicet theatri. caſus nominatiui eſt, nec ſyllaba repugnat, quæ pentimemeri defenditur.

DEDVCIT.] Facit, deſignat.

LATVM SVLCVM.] Cum damnatus traheretur, atque ita perfecte ſupplicium deſcripſit, quod ſcilicet trahantur vnco, & poſtea ardeant. hoc erat abiici in Gemonias quod legimus.

SIMPLICITAS.] Simpliciter loquitur qui aperte dicit, ſine vllis verborum ambagibus: Idem ſimpliciter agere: vnde ſimplicitas verborum cum nulla adhibetur figura ad ſenſus velandos.

QVI DEDIT ACONITA TRIBVS PATRVIS.] Tigillinum apertiſſime intelligit. nam verba ſunt Iuue. ad id reſpondentis quod dixit Pone Tigillinum: nullum tamen extat teſtimonium, niſi quod circunfertur ex libello Probi Grammatici his verbis. *Marcus Ophonius Tigillinus homo omnium nequiſſimus tres patruos habuit, quos omnes vt eorum hereditatibus potiretur veneno abſumpſit, ſubtractiſque annulis & falſo tabulis ſignatis, hereditates ſummo ſcelere conſecutus eſt.*

PLVMIS PENSILIBVS.] Nam in lectica plumaria erant. alibi Iuuenalis. *Conducis ſellam, puluinar.*

Aut multum quæſitus Hylas, vrnamque ſecutus.
Enſe velut ſtricto quotiens Lucilius ardens

Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa.
Inde iræ, & lachrymæ, tecum prius ergo voluta
Hæc, animante tuba galeatum ſero duelli
Pœnitet, experiar quid concedatur in illos,
Quorum flaminia tegitur cinis atque Latina.

HYLAS.] Thiodamantis filius, vt ſcribit Appollonius, vel Theomenis, vt tradit Appollodorus raptus ab Hercule Thiodamante necato in pugna, cum Herculi poſcenti cibum negaſſet, & ille Thiodamantis mactaſſet boues raptus à Nymphis in Bythinia ſub monte, quem Strabo corrupto nomine Arganthonium appellat; emendatius Pauſanias Argatophigium. Propertius:

Hic erat Argantophigi ſub vertice montis.

Plura de hoc alibi diximus.

FLAMINIA ET LATINA.] Tres erant viæ Romæ nobiliſſimæ. Latina Appia, Valeria: Inter Valeriam & Appiam Latina ad Caſſilenum Appiæ coniungebatur: In duabus tumuli mortuorum erant, Flaminia & Latina.

TACITA CVLPA.] Conſcientia ſcelerum.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS, SATYRA SECVNDA.

VLTRA Sauromatas fugere hinc libet & glacialem
Oceanum, quotiens aliquid de moribus audent
Qui Curios ſimulant, & bacchanalia viuunt.
Indocti primum: quamquam plena omnia gypſo
Chryſippi inuenias. nam perfectiſſimus horum eſt
Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pittacon emit,
Et iubet Archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.
Frontis nulla fides, quis enim non vicus abundat

SECVNDÆ Satyræ argumentum & indignatio ex hoc præſertim dicitur, quod Domitianus cum perditiſſimis moribus eſſet, nonnullas vel reuocauerat, vel tulerat leges ad vitia coercenda, tanquam cenſor ſeueriſſimus: nam probroſis fœminis lecticæ vſum ademit, quoſdam ex vtroque ordine lege Scantinia condemnauit, inceſta virginũ Veſtalium varie & ſeuere coercuit, ſtupratores virgis in foro cædi iuſſit, denique legem Iuliam de puniendis adulteris reuocauit, vt Martialis eum appellet cenſorem:

Cenſor maxime, principumque princeps.

cũ tamen ipſe Iuliã fratris filiã ardẽtiſſime amaret, habereq; pro vxore, quam frequentibus abortiuis perire coegit, vt Trãquillus & Plinius

ſcribũt. Hinc igitur Poëta excãdeſcit, hinc exclamat, & ne in principem tantũ ferri videatur, ſatyræ initium detorquet in omnes, qui cum turpiſſime viuant, motum ſanctitatem alijs præſcribunt: mox aperte principem deſignat, cum de lege Iulia verba facit.

SAVROMATAS.] A Græcis Sarmatę dicuntur, oriundi ab Amazonibus, vt ſcribit Herodotus, incolentes loca à Tanai & Mæotide palude trium dierum ſpatio, tanta vi frigoris vt proximus Oceanus congeletur: De his Plinius, Florus, & alij præterea ſcribunt: copioſius Herodotus.

CVRIOS.] Qui ſimulant ſe eſſe tanta continentia, quanta fuit Curius, qui de Sabinis, Samnitibus, Lucanis triũphauit, & accuſatus prædæ ſubreptæ cadum protulit ligneum, quem ſibi ex præda ſolum reſtare iurauit. Martialis in hoc genus hominum,

Qui loquitur Curios aſſertoreſque Camillos. Et alibi.

Quære aliquem Curios ſemper Fabioſque loquentem.

GYPSO.] Id eſt ſtatuis ex gypſo: hominis autem imaginẽ gypſo è facie ipſa primus omnium expreſſit, cætaque in eam formam gypſi infuſa emendare inſtituit Lyſiſtratus Sicyonius frater Lyſippi.

PLVTEVM.] Per pluteum intelligit pinacotheca, id eſt repoſitorium tabularum pictarum, ea tantum dabatur archetypis & veteribus imaginibus. Plinius, *Pinacothecas veteribus tabulis conſumunt, alienaſq; colunt effigies.*

Triſtibus obſcœnis? caſtigas turpia, cum ſis
Inter Socraticos notiſſima foſſa: cinædos
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed podice leui
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ.
Rarus ſermo illis; & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio breuior coma. verius ergo,
Et magis ingenue Peribomius. hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſuque fatetur.
Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe
Dat veniam: ſed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant. ego te ceuentem, Sexte, verebor?
Infamis Vartilus ait, quo deterior te?
Loripedem rectus derideat; Æthiopem, albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes.
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres.

TRISTIBVS

TRISTIBVS]Id eſt hominibus ſeueris, qui triſti ſupercilio graues & cenſorij videri volunt Martialis,

ſed habet triſtis quoque turba cinædes.

SOCRATICOS CINÆDOS. Socratici dicũtur, qui de moribus diſputant: nã Socrates primus de moribus diſputare cœpit, dictusq; philoſophiam de cœlo in terram traduxiſſe: hi ergo erant Socratici cum de moribus loquerentur, ſed tamen erant cinædi: nam draucos, id eſt mentulatos ſibi adoptabant, vt in Pannicum Martialis, qui cum verbis & ſupercilio philoſopharetur erat cinædus:

Dic mihi præcidi Pannice dogma quod eſt.

Et nos in Commentarijs Martialis, quos edidimus, vbi hoc genus hominum notabatur, diximus in Socraticos cinædos ſcribi.

PERIBONIVS.] Fictum nomen eſt & ad ſcurram poteſt referri, nam Græci βωμολόχοι appellant ſcurram.

VERBIS HERCVLIS.] Nam Hercules, vt eſt apud Xenophontem eo libello quem ſcripſit de dictis & factis Socratis memoratu dignis, cum voluptatem & virtutem habitu muliebri vidiſſet, cohortationem que audiuiſſet vtriuſque, magna verborum grauitate accuſata voluptate, virtutem eſt ſecutus: ſed hi cum voluptatem iiſdem prope verbis damnent, quibus olim Hercules, turpiſſimi ſunt. Locum Xenophontis in officiis ſuis traduxit Cicero, licet multa omiſerit. Et Silius in quartodecimo. SEXTVS, non qui apud Domitianum fuit, notatur, ſed qui grauis erat ſupercilij temporibus Iuuenalis & turpiſſimæ vitæ.

VARILLVS INFAMIS.] Notiſſimæ infamiæ temporibus Iuuenalis, vt olim fuit Cippus quod ſcribit Plutarchus.

LORIPIDEM.]Loripes vt Plinius Megaſtenis teſtimonio docet, in India anguiũ modo ingreditur & obrepit. MILO qui cęde Clodiana damnatus cum in Lucanis res nouas moliretur ad Coſſam in oppugnatione ſaxo ictus occubuit, in eo præcipue notatus ab annalibus quod ſeptingentorum millium ſeſtertiorum æris alieni curam pertulerit.

CLODIVS.] Non modo mœchus Pompeiæ, de quo multa in Commentariis Tranquilli diximus: ſed etiam duarum ſororum quarum altera Lucullo, altera Metello nupſerat, auctores Liuius, Cicero, Plutharchus.

DISCIPVLI TRES.] Lepidus ſcilicet, Octauius, Antonius, qui diſcipuli Syllæ dicuntur, quoniam eandem diſciplinam adminiſtrandæ Reip. ſunt ſecuti: nam & ipſi proſcripſerunt ciues vt Sylla. Cicero, *Prima ætate incidimus in perturbationem veteris diſciplinæ.* Tranquillus, *Locuſtæ prædia dedit, ſed & diſcipulos*, Huc eſt qui eam imitati ſunt. In horum hominum, quos carpit Iuuenalis vitam ſimulatam Plinius: *vultus Epicuri per cubicula geſtant, & circunferunt ſecum natali eius: viceſima luna ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant, maxime hi qui ſe ne viuentes quidem noſci volunt.*

ſcribũt. Hinc igitur Poeta excãdeſcit, hinc exclamat, & ne in principem tamũ ſerri videatur, ſatyræ initium detorquet in omnes, qui cum turpiſſime viuant, morum ſanctitatem aliis præſcribunt: mox aperte principem deſignat, cum de lege Iulia verba facit.

SAVROMATAS.] A Græcis Sarmatę dicuntur, oriundi ab Amazonibus, vt ſcribit Herodotus, incolentes loca à Tanai & Mæotide palude trium dierum ſpatio, tanta vi frigoris vt proximus Oceanus congeletur: De his Plinius, Florus, & alij præterea ſcribunt: copioſius Herodotus.

CVRIOS.] Qui ſimulant ſe eſſe tanta continentia, quanta fuit Curius, qui de Sabinis, Samnitibus, Lucanis triũphauit, & accuſatus prædæ ſubreptæ cadum protulit ligneum, quem ſibi ex præda ſolum reſtare iurauit. Martialis in hoc genus hominum,

Qui loquitur Curios aſſertoreſque Camillos. Et alibi.

Quare aliquem Curios ſemper Fabioſque loquentem.

GYPSO.] Id eſt ſtatuis ex gypſo: hominis autem imaginẽ gypſo è facie ipſa primus omnium expreſſit, ceraque in eam formam gypſi infuſa emendare inſtituit Lyſiſtratus Sicyonius frater Lyſippi.

PLVTEVM.] Per pluteum intelligit pinacotheca, id eſt repoſitorium tabularum pictarum, ea tantum dabatur archetypis & veteribus imaginibus. Plinius, *Pinacothecas veteribus tabulis conſumunt, alienaſq; colũt effigies.*

Triſtibus obſcænis? caſtigas turpia, cum ſis
Inter Socraticos notiſſima foſſa cinædos
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed podice leui
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ.
Rarus ſermo illis; & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio breuior coma. verius ergo,
Et magis ingenue Peribomius. hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſuque fatetur.
Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe
Dat veniam: ſed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant. ego te ceuentem, Sexte, verebor?
Infamis Vartilus ait, quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem, albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes.
Quis cælum terris non miſceat, & mare cælo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres.

Tristibvs]Id eſt hominibus ſeueris,qui triſti ſupercilio graues & cenſorij videri volunt vt Martialis,

Sed habeterri tu quoque turba cinædes.

Socraticos cinædos. Socratici dicũtur,qui de moribus diſputant:nã Socrates primus de moribus diſputare cœpit, dictuſq; philoſophiam de cœlo in terram traduxiſſe: hi ergo erant Socratici cum de moribus loquerentur, ſed tamen erant cinædi:nam draucos, id eſt mentulatos ſibi adoptabant, vt in Pannicum Martialis, qui cum verbis & ſupercilio philoſopharetur erat cinædus:

Dic mihi præcidi Pannice dogma quod eſt.

Et nos in Commentariis Martialis,quos edidimus,vbi hoc genus hominum notabatur, diximus in Socraticos cinædos ſcribi.

Peribonivs.] Fictum nomen eſt & ad ſcurram poteſt referri, nam Græci βωμολόχον appellant ſcurram.

Verbis Hercvlis.] Nam Hercules,vt eſt apud Xenophontem eo libello quem ſcripſit de dictis & factis Socratis memoratu dignis, cum voluptatem & virtutem habitu muliebri vidiſſet, cohortationem que audiuiſſet vtriuſque, magna verborum grauitate accuſata voluptate,virtutem eſt ſecutus: ſed hi cum voluptatem iiſdem prope verbis damnent, quibus olim Hercules,turpiſſimi ſunt. Locum Xenophontis in officiis ſuis traduxit Cicero,licet multa omiſerit. Et Silius in quartodecimo. Sextvs,non qui apud Domitianum fuit,notatur,ſed qui grauis erat ſupercilij temporibus Iuuenalis & turpiſſimæ vitæ.

Varillvs infamis.] Notiſſimæ infamiæ temporibus Iuuenalis,vt olim fuit Cippus quod ſcribit Plutarchus.

Loripidem.]Loripes vt Plinius Megaſtenis teſtimonio docet, in India anguiũ modo ingreditur & obrepit. Milo qui cęde Clodiana damnatus cum in Lucanis res nouas moliretur ad Coſſam in oppugnatione ſaxo ictus occubuit, in eo præcipue notatus ab annalibus quod ſeptingentorum millium ſeſtertiorum æris alieni curam pertulerit.

Clodivs.] Non modo mœchus Pompeiæ, de quo multa in Commentariis Tranquilli diximus: ſed etiam duarum ſororum quarum altera Lucullo, altera Metello nupſerat, auctores Liuius, Cicero, Plutharchus.

Discipvli tres.] Lepidus ſcilicet, Octauius, Antonius, qui diſcipuli Syllæ dicuntur,quoniam eandem diſciplinam adminiſtrandæ Reip. ſunt ſecuti: nam & ipſi proſcripſerunt ciues vt Sylla. Cicero, *Prima ætate incidimus in perturbationem veteris diſciplinæ*. Tranquillus, *Locuſtæ prædia dedit,ſed & diſcipulos*, Huc eſt qui eam imitati ſunt. In horum hominum, quos carpit Iuuenalis vitam ſimulatam Plinius: *vultus Epicuri per cubicula geſtant, & circunferunt ſecum natali eius: viceſima luna ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant, maxime hi qui ſe ne viuentes quidem noſci volunt.*

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus, atque ipſis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam
Solueret, & patruo ſimiles effunderet offas.
Nonne igitur iure ac merito vitia vltima fictos
Contemnunt Scauros, & caſtigata remordent?
Non tulit ex illis toruum Laronia quendam
Clamantem totiens Vbi nunc lex Iulia dormis?
Ad quem ſubridens. felicia tempora: quæ te
Moribus opponunt. habeat iam Roma pudores.
Tertius è cælo cecidit Cato. ſed tamen vnde
Hæc emis hirſuto ſpirant opobalſama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.
Quod ſi vexantur leges, ac iura: citari
Ante omnes debet ſcantinia. reſpice primum
Et ſcrutare viros faciunt hi plura: ſed illos
Defendit numerus, iunctæque vmbone phalanges.
Magna inter molles concordia: non erit vllum
Exemplum in noſtro nam deteſtabile ſexu.
Tedia non lambit Cluuiam, nec Flora Catullam.
Hiſpo ſubit iuuenes, & morbo pallet vtroque.
Nunquid nos agimus cauſas, ciuilia iura
Nouimus, aut vllo ſtrepitu fora veſtra mouemus?

QVALIS.] Domitianum notat, vt initio ſatyræ diximus: nam Iuliam Titi fratris filiam ardentiſſime dilexit, ac frequentibus abortiuis perire cœgit, auctores Tranquillus & Plinius.

TRAGICO CONCVBITV.] Qualem tragici ſcribere ſolent.

LEGES.] Legem Iuliam aduerſus adulteros. Martialis,

Iulia lex populis ex quo Fauſtine renata eſt.

Et alibi ſæpe. Lex præterea erat Iulia de ſicariis. Lex item Iulia, que prohibet magiſtratus munus ab hoſpite accipere, vt ſcribit Pædianus.

SCAVROS.] Lege Plinium de viris illuſtribus, & Valerium Maximum.

LARONIA.] Pro ditiſſima muliere accipitur. Martialis.

Abnegat & retinet noſtrum Laronia ſeruum,
Reſpondes orba eſt diues, anus, vidua.

Quem verſum ex noſtris ſcriptis acceptum incredibile eſt mirum quàm peruerterit Fidentinus: hoc totum fictum eſt de Laronia à Iuuenale, cui partes ſuas aſſignat ad virorum vitia inſectanda.

SCANTINIA.] Lex lata in pedicones, ex cuius ſanctitate multos vtriuſque ordinis damnauit Domitianus, vt refert Tranquillus, dicta à C. Scantinio, qui vt ſcribit Valerius vim filio Marcelli inferre auſus eſt, & patre accuſante damnatus.

TEDIA NON LAMBIT.] In fellatorem hoc dixit, qui lingere & lambere alterum dicitur. Martialis.

Lingas non mihi, nam proba & puſilla eſt

Philenis tamen notatur à Martiale.

Vndenas vorat in die puellas,

Et Lauphea ac Medullina alibi carpuntur à Iuuenale, quod tribades inter ſe eſſent: id prima Sappho dicitur excogitaſſe, vnde maſcula eſt appelata, & cum Lesbia fuerit λεσβίζειν id agere eſt: vt ex Ariſtophane diſcimus.

HISPO.] nomen fictum ab Hiſpo infami cuius meminit Plutarchus.

SVBIT.] Ore ſcilicet ad fellandum.

AGIMVS CAVSAS.] Agere cauſas in mulieribus turpiſſimum habebatur: vnde in exemplis antiquitatis eſt Aphraniani Licinij Brutonis vxorem, non quod aduocatis deficeret, ſed quia imprudentia abundabat cauſam egiſſe, Calphurnia & Ameſia pari infamia notantur. PAVCÆ.] excipit; nam alibi notantur à Iuuenale quædam quo luctentur Eudromydas Tyrias & fœmineũ ceroma quis neſcit? COLIPHIA] Colibum ſcribit. Pollux panem eſſe forma proceriore in modum paſſali vt Græce dicam, qua figura quoniam erant panes quibus veſcebantur gladiatores appellati ſunt Coliphia. Mart. Priapum dixit in quam ſpeciem ex ſiligine erat formatus: vt in diſtichis eſt, & genitalium muliebrium formam in quibuſdã panibus fuiſſe. Idem alibi indicat, *Illa ſiligenis pingueſcit adultera cunnis.*

Luctantur paucæ: comedunt Coliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calatiſque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, leuius torquetis Arachne,
Horrida quale facit reſidens in codice pellex.
Notum eſt cur ſolo tabulas impleuerit Hiſter
Liberto, dederit viuus cur multa puellæ.
Diues erit, magno quæ dormit tertia lecto,
Tu nube, atque tace, donant archana cylindros.
De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur.
Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifeſta canentem
Stoicide. quid enim falſi Laronia? ſed quid
Non facient alij, cum tu multitia ſumas,
Cretice, & hanc veſtem populo mirante perores
In proculas & pellineas, eſt mœcha Labulla
Damnetur ſi vis etiam Corphinia, talem

Coliphia.]Id eſt panes luctatorũ. Gladiatorum verò cibus erat ad firmandos artus ficus arida, vt ſcribit Plinius. Mart. de Phileni lucrante cum coliphia ſexdecim comedit. Scio aliis videri poſſe coliphia dici à κωλῶν, quod mẽbrũ ſignificat, & ἰφι robur placet magis à colibo, de quo eſt dictũ.

Penelope.]Icarij & Polycaſte, vt Pauſanias verò ſcribit Icarioti filia: inde Icariotis à Propertio,

Queque terunt faſtus Icariote tuos,

Et Ouid. *Icariotide tela.* In hac lanificium auctoritate Homeri commendatur, quod ea arte abſente marito procos eluſit.

Arachne.]Vt fabulæ ferunt in lanificio certauit cum Pallade, vt ex hiſtoria ſcribit Plinius, ſprima reperit linum, & retia, & eius filius Cloſter fuſos in lanificio.

Residens in codice pellex.] aliena eſt vt puto eorum interpretatio, qui per pellicem intelligunt aut Arachnem, aut Philomelam, cum loquatur vel de ancilla textrice, vel de ſcorto: nã ſcorta ad Summenium habitantia texebant Iuuen. alibi,

Quam quæ ventoſo conducta ſub aggere texit.

Meretrices autem ſunt vxorum pellices cum ad eas viri accedere poſſint. Si de ancilla intelligis, ſume auctoritatem ex Martiale, qui ſcribit. Quirinalem cum ancillis rem habuiſſe. hæc autem dicũtur à Laronia, vt ita deſignet viros tanquam mulieres à Draucis ſubagitari, quòd aperte ex perſona ſua obiecit Iuuenalis. Sed verecundius Laronia, atque vt tandem exprimat quid reprehendat addit.

Notvm est cvr Hister.] Hiſter Pacuuius captatione teſtamentorum locupletatus libertum Draucum ſuum hæredem reliquit. Attelij item Hiſtri meminit Tacitus: ſed de hoc alibi Iuuenalis,

— mora nulla per Hiſtrum

Pacuuium.

Cur impleuerit tabulas ſolo liberto, id eſt cur eum vnũ ſcripſerit hæredem, q. d. eo vtebatur Drauco puellæ, vt illa conſcij ſceleris ſileret.

Cylindros.] Cylindri lapilli omnes ſunt faſtigiata longitudine in ſpeciem cylindri, id eſt Columnellæ formati. Solinus, *Indici reges hoc genus gemmarum in longiſſimos cylindros amant fingere eoſque per foratos,* &c. Nam cylindrus columnella eſt ad æquandam aream, vt ſcribit Virgilius. Quidam tamen putauit, cylindrum eſſe genus gemmæ, quod non placet. Cum autem elenchi qui ſunt ex genere vnionum faſtigiata & ob longa figura ſint, & hi grauiſſimi mulieribus, nam eos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus gloria mulierum erat, vt ſcribit Plinius. Iuuenalis. *— mihi deſignare videtur*

Elenchos,

& per cylindros à figura elenchos intelligere, cum munera mulieribus gratiſſima exprimere videatur, vt elenchi erant.

Tristis sententia.]Lex Iulia.

Mvltitia.]Molitia, & mollicinæ veſtes apud Nęuium ſunt muliebres à mollitie dictæ. Næuius, *mollicinam cortatam chirodotam*, inde multitiæ manarunt, vt puto litteris vel mutatis vel inuerſis. Nam apud Næuium lego *molticinæ veſtes.*

Non ſumet damnata togam, ſed Iulius ardet,
Aeſtuo, nudus agas, minus eſt inſania turpis.
En habitum quo te leges, ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor, & illud
Montanum poſitis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames in corpore iudicis iſta
Si videas, quæro an deceat multitia teſtem
Acer & indomitus, libertatiſque magiſter
Cretice pelluces, dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & prurigine porci,
Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu
Nemo repente fuit turpiſſimus, accipient te
Paulatim qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo.

NON SVMET DAMNATA.] Hic locus eſt, quo Brotheum diſſentientem in epigrammate Mart. interpretando facile vel docui, vel refutaui: Nam morem fuiſſe, vt mulieres, adulterij conuictæ virili toga induræ in publicum procedere cogerentur Porphyrio quidem & Acron prodiderunt. Martialis indicat,

Coccina famoſæ donas & ianthina mœchæ.
Vis dare quæ meruit munera, mitte togam;

& hoc ex loco apertiſſime diſcitur, de quo in Martialis commentariis à nobis copioſius diſputatum eſt.

LABVLLA.] Sote Clinici medici filia: cuius Martialis meminit.

IVLIVS ARDET.] Hoc dicit quoniam viri Coam veſtem æſtate geſtabant luxurioſi & molles. Plinius: Nec puduit has veſtes etiam viros leuitate vſurpare propter onera; æſtiua in tantum à lorica geranda diſceſſerunt mores, vt oneri ſint etiam veſtes.

CRETICE.] Critici dicũtur accurati poëmatum interpres, & cenſores alienorum ſcriptorum Horatius.

Quid critici dicunt.

Martialis,

Aequalis liber eſt critice, qui malus eſt.

Cicero. *Ego tanquam criticus antiquos iudicaturus ſum.* Cum igitur hoc nomen de cenſore tantum ſcriptorum antiqui vſurpauerint, & codices omnes Cretice habeant, legamus cretice à Creta, vt dicat, Tu qui tanquam Rhadamanthus alter & Minos Creticus leges promulgas, pelluces: nam à Creta legum latores Minos Rhadamanthus, & inde doctus Lycurgus Lacedæmoniis fuerunt.

PAVLATIM ACCIPIENT TE.] Sexaginta verſus qui ſequũtur ad eũ vſque locũ. *Vicit & hoc monſtrum*, quot fabulas, quot inuenta, quot inanes commentationes & cõfictos ſenſus à noſtris interpretibus habuerunt, qui dũ figuratam & ſubobſcuram reprehenſionem Poëtæ non perciperent, ex vno ſenſu, & continuato ſpiritu, plures & varios commenti ſunt horum ſexaginta verſum, ne in alienis potius refellendis, quàm in noſtris confirmandis verſemur, vna eſt & perpetua indignatio aduerſus ſacerdotes, quorum collegium Mineruæ, in Albano Domitia. inſtituerat, ex quo forte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes & ludos ſcænicos. horum epulas, luxum, mollitiem ſcænicam, & ritum bacchanalibus ſimilem Iuue. nunc inſectatur, modoque ait eos nihil differre à mulieribus colentibus bonam deam, aut à ſacerdotibus Eleuſinis qui facibus diſcurrentes, & curſu prope bacchico furentes Cererem colebant: modo eorum gulam carpit, nam lautiſſime epulabantur, vnde Albanæ dapes à Martiale luxurioſiſſimæ dicuntur. Denique illud clamat & conqueritur, quod quidam ex his ſacerdotibus cornicini, cuius opera in ſcæna illa Albana vtebantur nupſerit, hic eſt poëtæ ſenſus, hic ardor: hæc indignatio. Legatur igitur hic locus totus in mollitiem ſacerdotum Albanorũ, de quibus lege Tranquillũ in Domitiano.

QVI SVMVNT REDIMICVLA DOMI.] Oſtendit eos eſſe tanquam mulieres, quæ cum colunt bonam deam, domum non templum patant vt ſcribit Plutarchus in Cæſare: illicque multa peragunt bacchanalibus ſimilia, potu, laſciuia, ſcurrilitate.

REDIMICVLA.] Tæniæ ſunt ſiue vittæ pendẽtes à poſteriore parte mitræ, quod primi Phryges moliſſimi inuenerunt.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: ſed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fæmina limen:
Solis ara Deæ maribus patet: ite prophanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia ſecreta coluerunt Orgia teda
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cocyton.
Ille ſupercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes

PLACANT BONAM DEAM.] Non quod Bonam Deam illi ſacerdotes colant, ſed quod illorũ ritus & ludi ſcænici nihil pene differant à ſacris bonæ Deæ, quæ mulieres operantur.

ABDOMINE PORCÆ.] Nihil omittunt de ritu Bonæ Deæ, in cuius ſacris ſus pregnans mactabatur. De Bona dea lege Macrobium, ne multas paginas hoc tibi loco recitem & Plutarchum in Cæſare.

ET MAGNO CRATERE.] Nam crater in his ſacris erat vini, quod tamen lactis appellabant, de quo lege Macrobium & Lactantium.

SED MORE SINISTRO.[Sed in hoc, inquit, non ſeruant ritum ſacro-

rum, Bonæ Deæ, quod cum ea ſint tantum mulierum, ipſi eas excludunt ſatis inter ſe molles & effœminati: ne effigies quidem maris eo loco viſebatur, vbi Bona Dea colebatur: Plutarchus.

ITE PROPHANÆ CLAMATVR.] Idem mos in ſacris Cereris erat. Tranquillus. *Eleuſinis ſacris, quorum imitatione impij & ſcelerati voce præconis ſubmouentur, intereſſe auſus non eſt.*

TALIA.] Eorundem ſacerdotum mollitiem & ſcænicam illam agitationem comparat ſacerdotibus Cereris, nam Ceres olim habuit coniuncta ſacra cum Baccho, Ouidius.

Ipſe ſuos ludos vna commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

Et Claudianus Bacchum ex aditis Cereris egredientem introducit. Eius Deæ ſacerdotes facibus diſcurrentes, quibus vſa dicebatur ad filiam indagandam, ad extremam vſque laſſationem debacchabatur. Papinius.

Tuque Actæa Ceres curſu, cui ſemper anhelo
Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

Hi dicebantur Myſtæ, Daduchi, id eſt geſtantes facem, Lerophantæ id eſt ſacrorum interpres, Strabo auctor. Idem Baptæ à βάπτω quod ſignificat tingo & lauo, nam tingere madefacere eſt, quoniam qui initiabantur lauabantur aqua calida primum. Ariſtophanes. *Primum ex ritu veteri me lauerunt.*

COCYTON.] Ceres dicta eſt verbo Attico κωκύω quod lugeo ſignificat, quamuis alterum c elidatur, vt corripiatur ſyllaba: nam Cerem rapta Proſerpinæ mœſtam, qualis apud Arcades lugubri habitu colitur, vel ... bit Pauſanias, lachrymis & gemitu placaſſe dicuntur: inde reddita agris fertilitate, inſtituta ſunt illius ſacra à Cocyto. Auiam & antiquiſſimam familiæ auctorem attici Cocyam appellarunt, auctore Suida: nam & Cocyto, hoc eſt Ceres Deorum ſacrorumque antiquiſſima & prima dicitur. Ouidius:

Prima Ceres auidæ gauiſa eſt ſanguine porcæ.

Et vt ex Varronis de re ruſtica diſcitur, Initia dicuntur ſacra Cereris quoniam prima fuerunt & inde initia principia ſunt appellata, hoc igitur pacto legendum eſt, Nihil diſtant ſacerdotes Albani vel à mulieribus colentibus Bonam Deam, vel ab his qui coluerunt Cererem ſacris cum Baccho coniunctis.

CECROPIAM.] Epitheton eſt Cereris à patria: Sed non magis de Attica hic loquitur, quàm de ea quæ alibi coleretur eo ritu.

SECRETA TOEDA.] Nam taciti diſcurrebant. Papinius:

Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

LASSARE.] Nam ad extremam laſſationem diſcurrebant. Papinius:

Curſu cui ſemper anhelo.

Cocytus olim etiam Lucrinus dicebatur. Sylius:

Aſt hic Lucrino manſiſſe vocabula quondam.
Cocyti memorant

Nam vt ſcribit Homerus in Odyſſea, illic Cocytus flu. & Styx dicebatur. Virg. de eo, *Raptam Cocytos oſtreoſa Diuam,*

nam illic peragebant ſacra Plutonia, auctor Strabo. Ille ſupercilium de iiſdem ſacerdotibus loquitur.

MADIDA FVLIGINE.] Non de fulgine, vt puto loquitur, ſed medicamentum intelligit, quod ex ſanguine vel felle hirundinum & ouis formicarum & muſcis triſtis fiebat ad denigranda ſupercilia, auctore Plinio. Fuliginem appellauit a colore. Hic teneo te deprehenſum Fidentine, vt alia omittam, quæ ſubripuiſti nobis vna cum præceptore tuo: nam cum hæc verba transferres in tuas nugas, non intellecta inuertiſti, & quod ego dixeram appellauit à colore fuliginem, de Iuuenale intelligens, tu ventris onere impeditus non audiés, fuliginem dixiſti propter colorem appellatum medicamentum à Plinio. Vbi ſcribit Plinius turpiſſime plagiarie? Sed hoc tibi remittimus, qui tua imperitia omnia confundis præceptori tuo non ignoſcimus, qui te nihil ſapere docuit magna familiaritate.

Attolens oculos vitreo bibit ille priapo:
Reticulumque comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus ſcutulata, aut galbina raſa.
Et per Iunonem domini iurante miniſtro,
Ille tenet ſpeculum patici geſtamen Othonis:
Actoris Arunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cum iam tolli vexilla iuberet.
Res memoranda nouis annalibus atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum ciuilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia ciuis,
Bebriaci in campo ſpolium affectare palati,
Et preſſum in facie digitis extendere panem,
Quod nec in Aſſyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mæſta nec actiaca fecit Cleopatra carina:
Hic nullus verbis pudor, aut reuerentia menſæ,
Hic turpis cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine ſenex phanaticus albo
Sacrorum antiſtes, rarum ac memorabile magni

VITREO PRIAPO.] Obſcena in poculis placuerunt in ſacris præſertim Priapias Plinius: *In poculis libidines celare iuuat, ac per obſcœnitates bibere.*

SCVTVLATA.] Veſtes ſcutulis diſtinctæ, quas Galli inſtituerunt, vt ſcribit Plinius, muliebres ſunt: inde Mart. hominem muliebriter indutum gal anatum vocat.

TENET SPECVLVM] Hoc in effœminatos dicitur. Martialis in filium cinædi. *Et patris ſpeculum tonſi matriſque rogata.*
Filius.
Specula brunduſina maxime laudabantur: Plinius.

GESTAMEN

GESTAMEN OTHONIS.] Ab incepta reprehenſione in Othonem deflectit, vt cum damnat polientes cutem ſuo tépore, liberius in illū inuehendo omni ex parte eos inſectetur: nam Otho adeo mollis fuit, & munditiarum muliebriū ſtudioſus, vt mutuo ſtupro Neroni ſit conciliatus, auctores Tranquillus & Tacitus.

NIMIRVM.] Sub Othonis perſona mollitiem ſacerdotū inſectatur in expolienda cute. Otho originem habuit à municipio Ferentino, vt Tacitus ſcribit. Nece Galbæ & Piſonis Imperiū occupauit, Vitellio appellato Imperatori, & properanti ex Germania ad Bebriacū occurrit, vicum inter Veronam & Cremonam duabus cladibus infauſtum: nam illic & Otho ſuperatus eſt & Martius Macer Conſtantia mortis ante actæ vitæ mollitiem emendauit: nam damnatis bellis ciuilibus cū ei ſupereſſet exercitus & de victoria ſperare poſſet, elegantiſſima oratione habita ſe interfecit, in quo à Martiale ita eſt laudatus.

Sit Cato dum viuit ſane vel Cæſare maior.
Dum moritur nunquid maior Othone fuit?

CVRARE CVTEM.] Nam vt Tranquillus ſcribit quotidie raſitabat faciem, & linebat pane madido, lacte ſcilicet aſinæ: nam vt ſcribit Plinius, ita facies erugatur & teneréſcit.

SEMIRAMIS.] Non eſt exemplum ab his mulieribus ad libidinem Othonis coarguendam; quód & ſcilicet his impudicis Otho fuerit magis impudicus: Sed vt oſtendat, ne mulieres quidem cum in caſtris eſſent curare ſolitas cutem, quod Otho non prætermiſit: Hoc iccirco dixi quod nonnulli Semiramim hoc loco afferri putarunt, quod libidinoſiſſima equū ad coitū vſque adamauerit, vt ſcribit Plinius. Semiramis à ſemiramidibus lingua Aſſiria auibus dicitur, à quibus educata eſt, tantæ fortitudinis, vt Ninus Aſſyriorum rex eam vxorem optauerit, quo extincto tenuit Imperium, condita Babylone in Ninæ vrbis, quam Ninus ædificauerat, æmulationem.

PHARETRATA.] Cum eſſet in bello. Diodorus & Plini. meminerūt.

HIC.] Ad inſtitutam reprehenſionem reuertitur, hoc eſt ſacerdotum. Hic, inter hos ſacerdotes.

Gutturis exemplum, conducenduſque magiſter.
Quid tamen expectant Phrygio quos tempus erat iam
More ſuperuacuam cultris abrumpere carnem?
Quadraginta dedit Gracchus ſeſtertia, dotem
Cornicini: ſiue hic recto cantauerit ære,
Signatæ tabulæ: dictum fæliciter. ingens
Cœna ſedet: gremio iacuit noua nupta mariti.
O proceres, cenſore opus eſt, an aruſpice nobis?
Scilicet horreres, maioraque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel ſi bos edet & agnum
Segmenta & longos habitus, & flammea ſumit.

Arcano qui ſatra ferens nutantia loro.
Sudauit clypeis Ancilibus; ô pater vrbis,
Vnde nefas tantum Latiis paſtoribus vnde
Hæc tetigit Gradiue tuos vrtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir,
Nec galeam quaſſas, nec terram cuſpide pulſas,
Nec quereris patri: vade ergo & cede ſeueri
Iugeribus campi, quem negligis, officium cras
Primo ſole mihi peragendum, in valle Quirini.
Quæ cauſa officij, quid quæris, nubit amicus,
Nec multos adhibet, liceat modo viuere, fient,
Fient iſta palam, cupient & in acta referri.

CONDVCENDVS MAGISTER.] Nam ex eo collegio forte ducti Magiſterio fungebantur, vt ſcribit Tranquillus, *Ironia eſt dignus* inquit *qui magiſterio inter hos fungatur, & precio etiam optandus ſi forte ductus non fuerit.*

EXEMPLVM MAGNI GVTTVRIS.] In luxum menſæ Albanæ hoc dicitur: nam illic lautiſſime epulabantur imperatoris prodigalitate: inde Albanas dapes, & Albanam menſam legimus apud Martialem.

QVID TAMEN EXPECTANT.] Rationem affert quare Cybeleios eos appellauerit, cum ſint Mineruæ. mulieres inquit ſunt & genitalibus non magis indigent, quàm Cybelei qui caſtrantur, quos caſtrari religio iubet.

SVPER VACVAM CARNEM.] Scilicet his qui nubunt tanquam fœminæ.

GRACCHVS.] Hic non pro Nerone, vt quidam ſuſpicati ſunt. Connubij Neroniani hiſtoria ex Tacito & Tranquillo decepti, nec quemquam præter Neronem nupſiſſe putantes, cum temporibus Iuuenalis, & Martia. nuberent multi. Mart.

Barbatus rigido nupſit Calliſtratus Aphro.
Hac qua lege ſolet nubere virgo viro.

Per Gracchum Iuue. vbique potentem & diuitem intelligit, alibi:
Tunicati fuſcina Gracchi; & alibi:
Cum graccho iuſſus pugnare ſecutor, nam Gracchorum domus nobilitate præſtabat & potentia, populari ſeditione comparata, hoc loco per Gracchum intelligit antiſtitem vel ſacerdotem eius collegij in Albano, quod plane indicat, cum ait eum nupſiſſe cornicini, cuius ſcilicet opera in ludis ſcænicis vtebãtur. DICTVM FOELICITER.] Nihil omiſſũ ex ritu Hymenæi, vt oſtendat eos iam impudenter nubere legitimo prope nuptiarum more, quod in Nerone ſcribunt Tran. & Tac.

SEDET.] Parata eſt, ante, *limine parua ſedet.*

SEGMENTA.] Muliebria ornamenta, quo verbo vſus eſt Valer. Maximus, *Datum*, inquit, *eſt mulieribus, vt ſegmenta, aurea geſtarent.*

Qvi svdavit ferens &c.] Propius voluit deſignare de ſacerdotibus Palladis loqui, nam & Pallas Bellona eſt, præeſtque bello, vt Mars.

Ancilibvs.] Ancilia cum peſtilens annus Italiam occupaſſet, ſcutum æneum in Numæ manus delapſum eſt, ad cuius ſimilitudinem vndecim ſunt effiċta à Mamurio fabro tanta arte, vt primum non agnoſcerent, ea circumferebantur menſe Martio à xii. Saliis, ita enim Martis ſacerdotes appellabantur, vel à Salio Samothrace, vel à Salio Mantineo, vel quod maxime probatur à ſaliendo, nam pulſantes gladiolis ancilia ſaliebant, Martis priùs, tum Veturij laudes canentes. Longa eſt Plutarchi diſceptatio, dum ambigit an Ancile dicatur, quod ſignificat circum, nam in orbem erat figuratum, vel ab ἀγκὼν quod eſt cubitus, vel ab ἄκεσις quod eſt remedium, nam fuit remedium peſtilentiæ, nam noſtri ab am, quod eſt circum, & ceſum diċtum putarũt.

Officivm cras.] Ad irriſionem & contemtum hoc dicit per imitationem, dum nuptias ſacerdotis reprehendit.

Valle qvirini.] Ad porticum Quirini intelligit, ad quàm ocioſi homines conueniebant. Mart.

Vicinam pete porticum Quirini.
Turbam non habet ocioſiorem
Pompei vel Agennoris puella.

Interea tormentum ingens nubentibus hærent,
Quod nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius quod nil animis in corpore iuris
Natura indulget, ſteriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt, in pixide condita Lyde,
Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.
Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.
Luſtrauitque fuga mediam gladiator harenam,
Et Capitolinis generoſior & Marcellis
Et Catulis Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus: his licet ipſum

Qvod neqvevnt parere.] Mar. de Calliſtrato.

Dos etiam dicta eſt, nundum tibi Roma videtur
Hoc ſatis, expectas nunquid & vt pariat?

Lydæ.] Hoc eſt Arachne, ex cuius remedio fœcunditatem venire putabant: nam vt ſcribit Plinius qui phalangij dicuntur, vt alia omittam, tricenos vermiculos pariunt, quo fœcunditatis exemplo ſteriles mulieres eo vtebantur remedio. Fidentinus quamuis hoc à nobis acceperit, tamen auctore præceptore diſſimulat.

Nec prodest agili.] De Lupercorũ origine ſatis ſcribunt Plutarchus in Romulo, & Ouid. in faſtis. His diſcurrentibus per vrbẽ

ſteriles mulieres palmis cædendas prebebant: ita enim fœcundas ſe fore ſperabant, vt Plutarchus in Cæſare ſcribit & Ouid.

Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ.
Iam ſocer optatum nomen habebit aui.

Vicit et hoc monstrvm.] Hactenus de ſacerdotibus, nunc de polluta nobilitate munere gladiatorio & opera ſcænica: nam eius téporibus cũ Domitia.edidit pugnas virorũ & mulierũ, multi nobiles illic præſtiterunt operam alibi, in eoſdem, *quanti ſua funera vendant. Quid refert vendunt nullo cogente Nerone.* In Vitellio Tacitus. Cautum ſeuere ne equites Romani ludo & harena polluerentur, & Tranquillus Neroné ſcribit exhibuiſſe ad ferrũ quadringẽtos ſenatores ſexcentos equites Ro. Domitia. vero non coëgit, ſed illi educati ſub Nerone inter ludos ſcænicos ſponte in theatrum veniebant, quod Iuue. conqueritur etiam alibi.

—citharœdo principe natus
Nobilis, hæc vltra quid erit niſi ludus.

Per Gracchum autem omnem nobilitatem intelligit, quid clamat Fidentinus, quod alibi ſcribit Iuue.

—cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor.

Per ſecutoré non intelligit nobilẽ, ſtultiſſime. ſed eũ qui mercede operã in ſcœna præſtabat, qui iuſſus eſt pugnare cũ nobili retiario imperito: tu plagiare perfidiſſime ſecutorem illic ſcripſiſti eſſe nomen proprium; nos vero Tranquilli teſtimonio docuimus cum eſſe qui cum retiario pugnat.

Fvscina.] Telum retiarij erat, Mirmillo autem qui aduerſus retiariũ pugnabat, geſtabat galeam in cuius vertice erat piſcis, in quem retiarius rete coniiciens, *piſcem* dicebat *peto, ſe non peto.*

Capitolinis.] Antiquiſſima nobilitate fuit. Capitolio à Marco Mãlio gentis auctore ſeruato, qui cũ affectaſſet Imperiũ, decreto Senatus ſtatuũ eſt ne quis M. Manlius præterea in ea familia nuncuparetur.

Marcellis.] Marcellorum familia nobilitata duobus viris, quorum alter quintum Conſul fuit, aliter primus Hannibalem in Italia vicit. plura lege apud Plutarchum.

Catvlis.] Catuli nobilitatis initiũ acceperũt ab eo Catulo, qui tercentũ nauibus ſexcentas Carthaginenſiũ inter Siciliã & Affricã ad egates deuicit, & finem primo bello punico impoſuit. Pavlisqve à Paulo Æmilio, quem Pythagoræ diſcipulum fuiſſe arbitrantur, nobilitatem acceperũt. Ille primus dictus Æmilius ἀπὸ τῆς αἱμυλίας. cuius lepore gratiſſimus erat. Duo familiã illuſtrarũt; alter qui ad Cannas occubuit, alter qui triũphũ duxit de Perſeo Macedonũ rege: hic minor dictus eſt.

Podivm.] Locus, vnde principes & nobiliſſimi ſpectabant. Tranquillus de Nerone: *Spectauit primum ex paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto.* In circo, humiliores in Meniano ſedebant, id erat ædificium à primo conditore, appellatum. Tranquillus. *pauci ex proximis Menianis.* Feſtus & Marcellus auctores.

In his licet ipsum admoneas.] Quid dices hoc loco Fidentine plagiarie, qui vel tumido ventre obeſus, vel præceptoris tui ignorantia, hunc locum percipere non potuiſti, quamuis à me expoſitum pluribus verbis his ſcriptis, quibus ineptias tuas olim à te editas, & mali præceptoris conſilio nuper impreſſas ornare ſtuduiſti? Tu cum præceptore legis, Admoveas. Id eſt debes addere Neronem aliis quos diximus, cuius munere, id eſt Thiridatis. Silete importunæ volucres & canes obſceni, Poëtã peruertitis quotidie oblatrantes. admoneas legendum eſt, vt codices antiquiſſimi habent, & ſenſus expoſtulat, & non admoueas, vt ſint verba Iuuenalis dicentis, *licet admoneas ipſum*, id eſt, potes hæc verba referre ipſi Imperatori, quæ ſcilicet ſequuntur.

Admoneas, cuius tunc munere retia miſit.
Eſſe aliquos manes & ſubterranea regna,
Et contum, & ſtygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna tranſire vadum tot milia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.
Sed tu vera puta. Curius quid ſentit & ambo
Scipiadæ? quid Fabritius, maneſque Camilli?
Quid Cremeræ legio & Cannis conſumpta iuuentus,
Tot bellorum animæ? quotiens hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tedis, & ſi foret humida laurus.
Illuc, heu, miſeri traducimur, arma quid vltra
Littora iuuernæ promouimus, & modo captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britanos,
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in vrbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: & tamen vnus

Cuius munere.] In cuius ludis gladiatoriis Gracchus nobilis ciuis miſit retia id eſt fuit retiarius, vt alibi ait: *Ipſi pauca velim.*

Esse aliquos manes.] Hæc ſunt quæ nunciari vult nomine ſuo imperatori, per quæ mouet, & ſi nullus metus ſit inferorum, tamen operam virtuti eſſe dandam, pro qua maiores qui imperium propagarunt, ſe in apertiſſima vitæ diſcrimina abiecerunt.

Nec pueri credunt.] Hoc eſt iam ſublatus eſt apud omnes metus inferorum, vt ne pueri quidem, niſi qui adhuc impuberes ſunt, id credant.

Qui nundum lavantur ære.] Id eſt qui ſunt impuberes: ab his enim quadrans non exigitur in thermis, immo nec lauantur quidem in publicis thermis, quod ex oratore Ciceronis facile agnoſcas, hoc eſt qui nondum ſapiunt.

QVOD SENTIT CVRIVS ET SCIPIADÆ ET CAMILLI.]Hi enim virtutem coluerunt,& pro dignitate Imperij obierunt mortem.

QVOTIENS HIC.] Iuuenalis de Domitiano ait.

TALIS VMBRA.] Qualis erit Domitiani.

SVLPHVRA.]Purgabantur antiqui,ſi aliquo piaculo eſſent polluti, ſulphure,aqua,igne Ouidius,

Terque ſenem flamma,ter aqua,ter ſulphure luſtrat.

Et LAVRO Maſſurius auctore Plinio triumphãtes coronari putauit, quoniam ea arbore purgarentur cædes in bello commiſſæ. Seruij ſententiam de generibus purgationum ommito: nam mihi non probatur, Ouidius vero de lauro humida ad purgationem,

Vda ſit hinc laurus,lauro ſparguntur ab vda,
Omnia quæ dominos ſunt habitura nouos.

Putarent inquit ſe pollutos eſſe præſentia Domitiani viri illi preſtantiſſimi ſi illuc accederet.

IVVERNÆ] Iuuerna inter inſulas Oceani Brittannici numeratur, quam multi Hiberniam falſo putarunt, de hac Mela ſatis multa.

ORCADES.] Orcas promontorium Hiberniæ, vt Ptolemæus ſcribit, Orcades item ſunt inſulæ eiuſdem Oceani, de quibus Ptolæmeus, Mela, Solinus, & Plinius. hæ inter ſe modicis ſpatiis diſcretæ ſunt, quo arma Romana non penetrarunt, niſi ad vicinitatem vſque ſiluæ Calidoniæ.

MODO CAPTAS.]Hoc ex hiſtoria:nam Veſpaſianus Claudio imperante, vt Tranquillus ſcribit, inſulam Vectem Brittãniæ proximam in ditionem redegit.Fidentinus plagiarius cum hoc à nobis didicerit, vt id diſſimulet verba Suetonij refert ex loco quem indicauimus.

CONTENTOS MINIMA NOCTE.] Brittannos habere breuiores noctes Cæſar quidem teſtatur, videturque negare verum eſſe,quod alij tradiderant, nullas,ſcilicet, eſſe per brumam. Plinius ſcribit in Thyle vltima orcadum ſole tranſeunte Cancrum nullas eſſe noctes, & tempore brumæ nullos eſſe dies.

QVOS VICIMVS.] Armenij ſcilicet & Daci, quos vicit Domitianus.

Armenius Zalates cunctis narratur ephæbis
Mollior,ardenti ſeſe indulſiſſe tribuno:
Aſpice quid faciant commertia,venerat obſes,
Hic fiunt homines:nam ſi mora longior vrbem
Indulſit puero, non vnquam deerit amator:
Mittentur braccæ,cultelli,frena,flagellum,
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

ZALATES.] Proprium eſt nomen obſidis, vt Degis apud Martialem.

Accola iam noſtræ Degis Germanice ripæ.

O Fidentinum ridiculum qui Zelotes populos eſſe ait Armeniæ, idque audet Ioſephi auctoritate affirmare, homo vaniſſimus: modo ait Zelotas dici laſciuius imbutos, teſteque vtitur Mart.

Tranſcurrunt Zelotæ leueſque lances,

Cum eo verſu ſcribatur. *Tranſcurrunt gabatæ.* Gabatæ autem ſunt ſunt lances quædam, vt in commentariis à nobis editis ſatis diſputatum eſt. hic autem cuius animus ſemper in patinis eſt, cuiuſque magnam ingluuiem vix venter capit, miror quo modo à lancibus ſibi iucundiſſimis ad populos diſceſſerit.

ALTERIVS SATYRÆ HIC ERIT FINIS.] Vbi vnum illud ab omnibus litteratis, & ſatyræ Iuuenalis ſtudioſis diligentiſſime peto noſtrum vt laborem vel probent vel adiuuent, denique veniam liberius aliquando iraſcenti & obiurganti impudentiſſimum plagiarium, qui me quidem non moueret, eſt enim omnino contemnendus, niſi quorundam inuidorum, & maliuolentiſſimorum hominum, perditiſſima coniuratio hunc ſibi ducem & furoris facem preferret: ego vero nec inſanis eorum vocibus, nec vllis iniuriis perterritus, quæ laboraui lucem ad communem ſtudioſorum hominum vtilitatem.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA TERTIA.

QVamuis digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque vnum ciuem donare Sibyllæ.
Ianua Baiarum eſt, & gratum littus, amœni
Seceſſus, ego vel Prochitam præpono Suburræ.
Nam quid tam miſerum, tam ſolum vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſæuæ.

QVAMVIS DISGRESSV.] Reprehenſurus acerbitate ſatyrica ciuitatis vitia ex hoc præſertim, quod bonis viris locus non ſit in vrbe, ſed tantum peregrinis, ſeruilibus, aſſentatoribus: Vmbritium ſuæ ætatis virum optimum & aruſpicem migrare parantem introducit, eique ſuas dat partes ad vrbis incommoda exponenda.

VACVIS CVMIS.] Cumæ in Campania Italiæ oppidum Italiæ & Siciliæ vrbes antiquitate antecellit, conditum ab Hippocle Cumæo & Mega-

ſthene Chalcidenſi: nomen ſortitum eſt à Cumæis, qui ex Euboea venerant, quamuis id Chalcidenſes cõdiderint, vt Strabo ſcribit: alij à fluctibus, qui dicuntur κυμάτω, ſunt enim in littore, appellatas putarunt. hæc ex Strabone & Plinio.

Vacvis.] Ad vrbis differentiam, vbi multitudine ſceleratorum & peregrinorum locus bonis viris non erat.

Baiæ.] In littore Campano à Baio Vlixis ſocio Sillius,

—ſedes Ithacenſia Bai,

Quem locum depraauatum, vt multa alia apud Sillium emendauimus, quod Commentariis noſtris quos in eum Poëtam compoſuimus, & propediem edemus, facile apparebit.

Prochytam prepono Svbvrræ.] Prochyta à προχύω hoc eſt à profundẽdo dicta eſt. eſt enim effuſa à Pythecuſis, vt Strabo ait ex miraculo ſponte nata prouolutis montibus, vt ſcribit Plinius: inſula in littore campano, vt ſcribunt Plinius Strabo, Solinus, vel à Proclyta muliere Troiana, vt Dionyſio Halycarnaſſeo placet.

Svbvrra.] Dicta, eſt quod ſub muro terreo carinarum eſſet, vt ſcribit Varro. In ea erat ſextum ſacellum Argeorum, regio frequentiſſima rebus venalibus illic expoſitis: inde Martialis clamoſam appellat.

Clamoſa venalis in Suburra,

Hæc igitur duo loca opponit Suburram ſcilicet frequentiſſimam & prochytam deſertam.

Vrbis & Auguſto recitantes menſe Poëtas?
Sed cum tota domus rheda componitur vna,
Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:
Hic, vbi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iuſſa eſt
Arbor, & eiectis mendicat ſilua Camœnis.
In vallem egeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſsimeles veris, quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viredi ſi margine clauderet vndas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum,
Hic tunc Vmbritius, quando artibus inquit honeſtis
Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor eſt, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid, proponimus illuc
Ire, fatigatas vbi Dedalus exuit alas,
Dum noua canicies, dum prima & recta ſenectus,

Dum

Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo.

ET AVGVSTO RECITANTES MENSE POETAS.] Hunc locum Fidentinus & eius præceptor, vt alij, peruertunt, quod ſcilicet Iuuenalis carpat auaritiam ſuorum temporum, cum dicat Poëtas recitare Auguſto menſe. Ego vero intelligo hoc referendum eſſe ad faſtidium audiendi recitantes, vt ante dixit *Rauci Theſeide Codri vexatus*, vt dicat nil eſt quo non ſit deterius perpeti vibis incommoda, vbi ſcilicet horremus incendia, denique cogimur audire Poëtas recitantes etiam Auguſto menſe, qui nobis occurrentes audiri volunt, nam hoc numerat inter cætera incommoda vrbis. Auguſto menſe dixit, quoniam Calendis Iulij migrabant Romani. Sed nunquam, inquit, tam exhauſta vrbs eſt, quin occurras Poëtæ menſe Auguſto, cum omnes migrarunt, qui te recitatione vexet.

VETERES ARCVS.] Horatiorum intelligo, nam ad Capenam portam erant, vbi & campus erat tergeminorum ſcilicet Horatiorum. Martialis:

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiæque matris Almo qua lauant ferrum
Horatiorum qua viret ſacer campus.

CAPENA MADIDA.] Nam illic celebrabantur Fontinalia coronatis puteis & ſparſis floribus in fontes, eodem loco lapis Manalis, quem in vrbem inferebant quotiens volebant allicere pluuias, hæc ex Feſto.

EGERIÆ.] Ædem Camænarum cõſtructam fuiſſe à Numa ſcribit Plutarchus, cum Ancile de cœlo lapſum eſſet, nam vetus opinio eſt Egeriam vnam ex nouem muſis fuiſſe, cum qua ſe habere congreſſum Numa ita populo perſuaſit. nam cum multos inuitaſſet ad cœnam, hiſque ante horam ductis nihil paratum eſſe oſtenderet, eoſdem veſperi cum duxiſſet, apparatum oſtendit magnificentiſſimum, auctor eſt Dionyſius, hoc Plutarchus modo fabuloſum eſſe ſcribit, modo natura potuiſſe fieri demonſtrat: Egerij ab egendo dicti, vt Plutarchus & Dionyſius, ſcribunt: Egeria vero ab egerendo vt Feſto placet, nam putabatur prægnantibus fauere ad paratum conceptum egerendum. De hac longum carmen extat Ouidij.

IVDÆIS QVORVM COPHINVS FOENVMQVE SVPELLEX.] Iudæorum paupertatem oſtendit notans tempora ſua, quibus ab his tributum exactum eſt acerbiſſime vt ſcribit Tranquillus in Domitiano, & ſæpe in commentariis Martialis diximus. FOENVM. Quid ariolatur præceptor Fidentini hoc loco? qui diſcipulo ſtultiſſimo perſuaſit fœnum hoc loco dici ex hiſtoria, quod ſcilicet olim, vt Ioſepus ſcribit, Iudæi fame coacti, nec cingulis, nec coriis, nec fœno abſtinuerint, dignus fortaſſe ipſe qui fœnum edat, cum alij ambroſia alendi ſint, migrantes

& errantes Iudæos deſignat ſtolidiſſime, qui ſemper fœni faſciculum geſtant & coſinum. alibi de Iudæa:

— cophino fœnoque relicto.

Vmbritius, aruſpex tẽporibus Iuuenalis, cuius meminit Plinius, cũ de vulturibus ſcribit: *Vmbritius inquit aruſpex noſtro æuo peritiſsimus.* Tacitus in Galba, qui eum ſcribit Imperatori cędem imminentem prædixiſſe: Plutarchus idem tradidit in Galba.

Cedamus patria, viuat Arturius iſtic,
Et catulus, maneant qui nigrum in Candida vertunt,
Quis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluuiem, portandum ad buſta cadauer,
Et præbere caput dominæ venale ſub haſta.
Quondam hi cornicines, & municipalis harenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter, inde reuerſi
Conducunt foricas. & cur non omnia. cum ſit
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quotiens voluit fortuna iocari.
Quid Romæ faciam mentiri neſcio librum?

ARTVRIVS ET CATVLVS.] Nomina viliſſimorum hominum, qui ex humillima fortuna iam opibus florebant: nam Vmbritius nunc vrbem ex eo damnat, quod euexerit homines extremæ ſortis ad ſummas diuitias.

QVI NIGRVM IN CANDIDA VERTVNT.] Hoc eſt qui ex humili fortuna & infœlicitate: ea autem per nigrum lapillum deſignatur, ad fœlicitatem quæ lapillo notatur candido peruenerunt. hæc ſententia magis videtur conuenire iracundiæ Vmbritij, quã quæ ſequitur, quod ſcilicet vitia pro virtutibus vendant, vt illud Ouidij.

Qui facere aſſuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris & de candentibus atra.

QVONDAM HI CORNICINES.] Hunc totum locum Fidentinus non potuit non probare in nobis, in quo eius præceptori gratias ago, quod diſcipulum hoc etiam loco delirare non permiſit. Sed tamen ita recitat ex noſtris ſcriptis, vt inuitus plane aſſentiri videatur. Ita intelligo quod Vmbritius conqueratur eos, qui cornicines, tibicines, citharœdi, nec Romæ quidem, ſed in municipiis fuerunt, adeo locupletatos eſſe temporibus ſuis, vt iam tanquam magnifici & potentes munera gladiatoria exhibeãt in vrbe. eius generis hominibus cornicinibus, ſcilicet & citharœdis adeo facile erat diteſcere temporibus Domitiani, vt

illud ſcribat Martialis

Artes diſcere vult pecunioſas,

Fac diſcat citharœdos aut choraules.

Alibi de ſe:

— Veniet cum citharœdus erit.

Alibi:

Plus habuit Didimus, plus Philomelus habet.

CORNICINES.] Id eſt qui olim erant cornicines.

PER OPPIDA.] Nam in municipiis theatra erãt, vt Atellæ, vt Antij, vt Beneuenti, vbi edebantur munera etiam gladiatoria, à liberto Neronis Antij, à Vatinio Beneuenti.

EDVNT MVNERA.] Scilicet gladiatoria.

HIC.] Legendum eſt non hi.

MVNERA.] Ludos gladiatorios, vnde ſæpe legimus munus gladiatorium.

HARENÆ MVNICIPALIS.] Quæ in municipiis eſt. Quod autem eiuſmodi homines ludos gladiatorios ediderint Romæ, Martialis indicat duobus epigrammatis, quorum alterum eſt in ſutorem:

Das gladiatores ſutorum regule cerdo.

VERSO POLLICE VVLGI.] Id eſt conciliato vulgo & populi fauore. hoc autem eſt ex prouerbio. vt ſcribit Plinius in magicis: *Pollices*, inquit, *cum faueamus premere etiam prouerbio iubemur.*

OCCIDVNT.] Nam qui gladiatorum munus dedit eos dicitur occidere: nam eo autore pereunt Martialis in ſutorem:

Cur ludere nobis non liceat, licuit ſi iugulare tibi?

POPVLARITER.] Magna gratia & fauore populi, quaſi dicat omnibus applaudentibus. Subterfugiesne Fidentine, tanto teſtimonio deprehenſus? nam cum ſententiam noſtram pro tua recitaueris, oblitus tollere ſententiam quam antequam hanc à nobis diſceres ſcriptis tuis inſerueras proditus es: nam in iſtis tuis nugis paulo poſt hæc ſunt verba. *Munera nunc edunt, inde Claudianus inquit.*

— & venditus ipſe

Vendere cuncta cupit.

O inſulſiſſime nonne ex hoc planũ eſt quo modo exponeres *edunt munera, id eſt dant dona*, vt tu putabas ſtultiſſime. Quare cũ diſcis, non bene diſcis, nos quidẽ te bene docuimus, tu non bene percipis, & confũdis.

Si malus eſt nequeo laudare, & poſcere motus
Aſtrorum ignoro, funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum, ranarum viſcera nunquam
Inſpexi, ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat norunt alij, me nemo miniſtro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus & extinctæ corpus non vtile dextræ.
Quis nunc diligitur niſi conſcius, & cui feruens

Æſtuat occultis animus, ſemperque tacendis,
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet vnquam
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accuſare poteſt. tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare voluitur aurum
Vt ſomno careas, ponendáque præmia ſumas
Triſtis, & à magno ſemper timearis amico.
Quæ non diuitibus gens acceptiſſima noſtris,
Et quos præcipue fugiam properabo fateri,
Nec pudor obſtabit, non poſſum ferre, Quirites,
Græcam vrbem, quamuis quota portio fæcis Achææ?
Iam pridem in Tyberim Syrus defluxit Orontes.
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad circum iuſſas proſtrare puellas

ET POSCERE.] Scilicet librum tranſcribendum in adulationem.

VT SOMNO CAREAS.] Nam qui diuitis ſecreta nouit ſcelera, ſemper anxius eſt, timens ne aliquãdo obiiciat & puniat quod prodiderit ea in vulgus quorum erat conſcius.

TIMEARIS.] Ne ſcilicet prodas ſcelera, id enim te angit.

GRÆCAM VRBEM.] Vmbritius, mea quidem ſententia, tempora ſua notat, quod tota vrbs mimis, hiſtrionibus, ludis ſit occupata, quod alibi plerumque indignando Iuue. carpit, nam Domitianus id genus hominum indulgentiſſime fouebat, pſaltriaſque pſallo citthariſtas, & choro citthariſtas aliquando exhibuit, non contentus citharœdis, vt ſcribit Tranquillus. Idem Circenſibus ludis addidit duas Græcorum factiones, quibus præmium erat pannus purpureus & auratus. NON POSSVM FERRE GRÆCAM VRBEM.] Non poſſum ferre Circenſes, quamuis ſit minima portio FÆCIS ACHAEAE.] Id eſt Græcorum inter mimos, nam ſunt tantum duæ factiones in Circenſibus, ex Syria vero & Phrygia adſunt tibicines & pſaltriæ, quibus omnia theatra referta ſunt. GRAECAM VRBEM.] Cæcilius, vt refert Strabo, rerum Romanarum ſcriptor ſentit vrbem accepiſſe primordia à Græcis, ſed nunc mimos nominaturus & hiſtriones, primum Græcos additos Circenſibus notat. GRAECAM.] Id eſt Græcos qui ſunt ludis additi. QVOTA PORTIO.] id eſt minima portio. FAECIS ACHAEAE.] Id eſt viliſſimorum Græcorum qui in ludis verſantur, nam plures ſunt Syri.

ORONTES.] Fluuius inter Libanum & Antilibanum fluens, qui Tiphon olim eſt appellatus. de hoc plura alibi ex Strabone & Plinio.

CHORDAS OBLIQVAS CVM TIBICINE.] Genus tibiæ notat quæ obliqua dicebatur quam primus Marſias iuuenit in Phrygia vt ſcribit Plinius.

IVSSVS PROSTRARE PVELLAS.] In circo erat ædificium, quod Menianum dicebatur à Meniano conditore , vt ſcribunt Feſtus & Marcel. unde ludi ſpectabantur Circenſes: Tranquil. *pauci ex proximis Menianis.* In proximo proſtrabant meretrices, quæ ex eo appellatę ſunt ſubmenianæ Martia. quaſi ſub Meniano, id tamen idem appellat Submenium,

Raraque Submenij fornice rima patet.

Ex hoc Iuuena. amarè iocatur in ſcænicos homines, dicens puellas quæ prodibant in circum videri accedere ad ſubmenias vbi proſtrent.

CIRCVM.] Circus dictus, quod circum metas pompa ferebatur & equi currebant, vt ait Varro.

Ite quibus grata eſt picta lupa barbara mytra.
Ruſticus ille tuus ſumit recidimna Quirine:
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, aſt hic Amidone relicta:
Hic Andro, ille Samo, hic Thralibus, aut Alabandis
AEſquilias dictumque petunt à vimine collem
Viſcera magnarum domuum, dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior, ede quid illum
Eſſe putes, quemuis hominem ſecum attullit ad nos
Grammaticus, rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, ſcænobates, medicus, magus omnia nouit
Graculus eſuriens, cœlum ſi iuſſeris ibit.

QVIBVS GRATA EST LVPA.] Id eſt pſalteria meretricia.

MYTRA.] Nam Lydiorum & Phrygum erat, quos notat Hero. de Aſſyriis, *Aſſyrij capita crinita habentes mytris redimunt.* Ite inquit Iuuena. qui oblectamini ludis in quibus puellæ meretriciæ ſaltant picta mytra, notans principem , qui his oblectatus eſt. Papini. de eius ludis.

Huc intrant faciles Hamiæ puellæ.

RVSTICVS TVVS.] Romani inquit ſeueriſſimi mutuo commercio molliſſimorum hominum & mimorum effœminantur ſumũtque. RECIDIMNA, Peregrinas veſtes quibus in gymnaſio vtebantur, nam gymnaſium à peregrinis inuectum eſt in vrbem , vbi iuuenes ſe exercẽ-

do & vngendo vires animi amitterent, vt Scribit Plinius. Recidimna autē veſtes ſunt quibus in gymnaſio vtebantur, vt Endromydes. his non aſſentior qui paraſiticas veſtes putant: nam quod nunc loquatur de mollitie gymnaſij, ex eo dicitur quod ait Collo cæromatico. cæroma autem in gymnaſiis tantum in vſum fuit, vt ſcribit Pli. Fidentinus cum ſuo præceptore Chirodita deprauato ſenſu & verſu, aberrque ex Gellio expoſitionem tam vulgarem quàm non neceſſariam.

NICETERIA.] Inſignia victoriæ pugillum qui in gymnaſio alios viciſſent, à νίκη quod ſignificat victoriam: ego inde ſuſpicior eſſe verbum peregrinum, vt recidimna dixit.

COLLO CÆROMATICO.] Paleſtræ molliriē notat, in quam cæromate vngebantur, id erat vnguentum ex oleo & terra in ſpeciem luti. Martialis,

Vara nec in lecto cæromate brachia tendis.

alibi.

Quod ceromata face de Sabina.

Paleſtræ molliriē ita carpit Plinius. *plura de hac parte non ſum dicturus, non Hercules magis, quam de terræ vſu in ceromatis, quibus exercendo iuuentus noſtra corpora vires animorum perdidit.*

HIC ALTA SICYONE.] E regione extat Epidaurum, vt ſcribit Cicero, Sicyon Achaiæ, item vrbs in Laconia. vnde Laconica dicta eſt Sycionа. AMIDON.] Inter Sporadas inſulas molliſſimorum hominum patria. ANDROS, oppidum habet eiuſdem nominis inter Cycladas inſulas, eſt dicta poſtea Cauros, deinde Antandros, vt ſcribit Myrſillus. SAMOS, eodem tractu circum nauigatione habet ſtadiorum. ccc. Parthenias dicta cum Cares olim inhabitarent, eadem Anthemus, Melamphilus, Heros: vino caret, tanta præterea feracitate, vt Manander ſcribit lac gallinæ inde accipi poſſe. ALABANDA, Aſiæ minoris oppidum, duobus promontoriis ſubiacet in ſpeciem ciſtæ inuerſæ imminentibus, vnde Apollonius appellat Alabandam ciſtam inuerſam ſcorpionum plenam: nam eorum illic eſt copia, homines ſunt molles, & pſaltrię multæ, vt ſcribit Strabo. TRALES oppidum in Phrygia Mæandro tranſeunti occurrunt.

ISÆO TORRENTIOR.] Iſæi duo, quorum alter præceptor fuit Demoſthenis, alter qui Romæ declamauit, cuius meminerunt Libanius & Pli. *Magna Iſæum fama præceſſerat, maior inuentus eſt.* TORRENTIOR, Plinius de Aſclepiade rhetore: *Meditata & torrenti oratione blandiebatur.*

ALIPTES.] Ab ἀλείφω, quod eſt vngo, id erat qui Palæſtritas in Gymnaſio vngebat. Martialis vnctor dixit.

Nec rapit immeritas ſordidus vnctor opes.

Clinicus vero medicus qui male valentibus & iacentibus in lecto medetur à κλίνη quod ſignificat lectum. nam aliptes ſanos Palæſtritas curabat. Fidentinus vero & eius præceptor, vbi Martialis ait: *Sor. e filius*

Clinici Labulla peruertendo ſcribunt *Cotta Clunici*, aiuntque Clunicum dici Cottam à Clunia oppido Hiſpaniæ; nos ſuperiora ex Plinio accipimus.

SCHOENOBATES.] Dicitur qui per funes graditur: nam σχοῖνος dicitur funis, & βαίνω aſcendo. Meſſala primus ne vocem Græcam Latinis immiſceret pro ſcœnobate dixit funambulum.

Ad ſummam non Maurus erat, neque Sarmata, nec Thrax
Qui ſumpſit pennas, mediis ſed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchilia, me prior ille
Signabit, fultuſque thoro meliore recumbet
Aduectus Romam, quo pruna & coctana vento,
Vſque adeo nihil eſt quod noſtra infantia cælum
Hauſit Auentini bacha nutrita ſabina.
Quid quod adulandi gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici.
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis.
Miratur vocem anguſtam: qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur Gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare, ſed illis,
Creditur, an melior cum Thaida ſuſtinet, at cum
Vxorem comœdus agat. vel Dorida nullo
Cultam palliolo, mulier nempe ipſa videtur,
Non perſona loqui, vacua & plana omnia dicas,
Infra ventricuum, & tenui diſtantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hamo.
Natio comœda eſt, rides, maiore cachinno
Concutitur, flet ſi lachrymas conſpexit amici,
Nec dolet, igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit Endromydem ſi dixeris æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergo pares, melior qui ſemper & omni
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus
Si bene ructauit: ſi rectum minxit amicus,

AD SVMMAM.] Denique inquit hominem volaſſe per cœlum, de Dędalo Græco fictum eſt: vt veriſimilis fabula videretur: nam hi in cœlum ſe volaturos promittent, vt dixit, ſi voles, adeo vani ſunt, & impudentes.

PRVNA ET COTTANA.] Fructus ſunt peculiares Syriæ: vt ſcribit Pli. Cottana vero fici minores erant, vt idem eſt autor Martia.

Si maiora forent cottana ficus erant.

LONGVM COLLVM.] Hæc aſſentatio erat in gymnaſio in Paleſtritam amicum: nam procera ceruix in Paleſtrita laudatur, & obſtipa. Martia. De tyrone Paleſtræ:

Hac rapit Antæi velox in puluere Draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Pudet refellere deliramenta Fidentini & eius præceptoris. AMICI] à quo vel cœnam, vel aliquid aliud captat, vt Selius cœnipeta in Paulino apud Martia. cuius pedes, comas, & ſingula membra laudat. QVA DETERIVS NON SONAT GALLVS.] Ea vox maxime damnabatur. Quintilianus. *Nam & ſuffocatur ſæpe, & maiore vſu minus clara eſt, & interim eliſa in illum ſonum erumpit, cui Græci nomen à gallorum immaturo cantu dederunt.*

DEMETRIVS ET STRATOCLES.] Hæmus, Antiochus temporum Iuuenalis hiſtriones. Papinius de Hæmo, *Huc intrant faciles Hæmi puellæ.* Iuuenalis alibi: *Mollius hæmo.* Stratoclis & Demetrij: Fabius meminit, quos ſcribit maximos fuiſſe actores comœdiarum, alterum deos, iuuenes: bonos patres, ſeruos, matronas graues, anus, optime repreſentaſſe: alterum acres ſenes, callidos ſeruos, paraſitos, lenones melius, Stratoclis vox acrior, Demetrij iucundior.

ENDROMIDEM.] Endromis veſtis viloſa, qua potiſſimum in Gymnaſiis vtebantur, ſed adulator hoc loco accipiebat ad fouendum corpus, vt oſtenderet ſe algere.

A FACIE IACTARE MANVS.] Adulatorium eſt. Martialis de adulatore,

—geminas tendis in ora manus.

Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo:
Præterea ſanctum nihil eſt & ab inguine tutum,
Non matrona laru, non filia virgo, neque ipſe
Sponſus leuis adhuc, non filius ante pudicus,
Horum ſi nihil eſt, aulam reſupinat amici.
Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, tranſi
Gymnaſia, atque audi facinus maioris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Diſcipulumque ſenex ripa nutritus in illa

Ad

Ad quam Gorgonei delapſa eſt pinna caballi:
Non eſt Romano cuiquam locus hic,vbi regnat
Protogenes aliquis,vel Diphilus, aut Erimanthus,
Qui gentis vitio nunquam partitur, amicum
Solus habet.nam cum facilem ſtillauit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine ſummoueor:perierunt tempora longi
Seruitij,nuſquam minor eſt iactura clientis.
Quod porro officium,ne nobis blandiar,aut quod
Pauperis hic meritum,ſi currit nocte togatus
Currere, cum Prætor lictorem impellat,& ire,
Præcipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, & Modiam collegat ſalutet.
Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum
Filius,alter enim quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Caluinæ vel Catienæ,
Vt ſemel atque iterum ſuper illam palpitet: at tu,

TRVLLA.] A trua dicitur;vas erat quo aqua è culina in lauacrinã proiiciebatur.hic ſignificat vas quo ſordes ventris accipiebantur.Aureis autem vaſis in obſcœnis deſideriis vti primus inſtituit Antonius autore Meſſala,& à ſtipulante Pli.Martialis in Baſſam,

Ventris onus miſero,nec te pudet,excipis auro.

Aſſentator igitur Græcus applaudebat amico,cum eius deiectione alui trulla, quæ ſuberat aurea ſtrepitum faciebat ob pondus & multitudinem ſordium , quas inuerſo & vacillanti fundo exceperat, & optime ſequitur poſt id quod dixit: *Si rectum minxit*. Non moueor quorundam loquacitate,quin hanc ſententiam affirmem & putem veram. Quæ ſomnia ex præceptore ſuo narrat hic Fidentinus.

FACINVS MAIORIS ABOLLÆ.] Ingenti teſtimonio oſtendit malas artes Græcorum & pernitioſas: nam temporibus Neronis Torius Seuinus,vt ſcribit Tacitus, per calumnias accuſauit Barcam Soranum,addiditque quod pro eo ſeruilia filia magicas artes in principem tractaſſet.

EGNATIVS.] Sorani amicus Græcus Stoicæ philoſophiæ profeſſor, pecunia corruptus,teſtimoniũ falſum in Baream dixit. Tacitus: *Egnatius emptus ad opprimendum amicum autoritatem Stoicæ ſectæ præ ſe ferebat habitu & ore ad exprimandam imaginem honeſti. Cæterum animo perfidioſus & ſubdolus auaritiam ac libidinem ocultans , quæ poſtquam pecunia recluſa ſunt dedit*

exemplum præcauendi, vt fraudibus inuolutos, aut flagitiis commaculatos ſic ſpecie bonorum falſos & amicitia fallaces. Alibi, *Corruptor amicitiæ cuius ſe magiſtrum ferebat.*

SENEX DISCIPVLVM.] Egnatius Torium Seuinum.

SOLVS HABET.] Solus vult poſſidere, non vult dare aliis. Mar.
Solus habet nummos.

CVRRERE TOGATVS NOCTE.] Nam toga ſummo mane ſumebatur à clientibus cum ibant ad ſalutandum. Martia.

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,
Attrita veniat ſportula multa toga.

CVM PRÆTOR.] Idem in Paulum conſulem. Mar. in eum quem non pudebat ſalutare diuites more togati,

Dum tu laurigeris intras qui faſcibus annum,
Mane ſalutator limina mille teras.

ALBINAM ET MODIAM.] Vetulas orbas & diuites. Mar.
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.

FILIVS INGENVORVM CLAVDIT LATVS DIVITIS SERVI.] Ingenui inquit rogati ſunt & comites diuitum ſeruorum & libertinæ conditionis hominum. Libertini vero adeo ſunt diuites, vt Caluinæ Catienæque mœchis donent quantum vix Tribuni accipiunt ex ſtipendio, ad hoc alludens quod, vt diximus, libertini & Tribuni edicto Imperatoris quædam ex maximis officiis habebant communia. Prodigalitatem igitur libertinorum cum ſalariis Tribunorum comparauit.

Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere ſella.
Da teſtem Romæ tam ſanctum, quàm fuit hoſpes
Numinis Idæi. procedat vel Numa, vel qui
Seruauit trepidam flagranti ex æde Mineruam:
Protinus ad cenſum de moribus vltima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſeruos, quot poſſidet agri
Iugera, quam multa magnaque paropſide cœnat?
Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei, iures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Diis ignoſcentibus ipſis.
Quid, quod materiam præbet, cauſaſque iocorum
Omnibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna,

Si toga ſordidula eſt: & rupta calceus alter
Pelle patet: vel ſi conſuto vulnere craſſum,
Atque recens linum oſtendit non vna cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quod ridiculos homines facit. exeat, inquit,

SCORTI, VESTITI.]Id eſt meretricis togatæ & publicæ: nam conuictæ adulterij togatæ in publicum procedere cogebantur, vt ante diximus: vel certe ad differẽtiam ancillæ, quæ pro veſte palliolum habet. Martia.

Hanc volo quæ circum pãlliolata vagatur.

CHIONEM.]Cuius meminit Martia.

SERVOS QVOT PASCIT.] Nam tot alebant ſeruos diuites Romani, vt eorum iuſtos & integros prope exercitus domi haberent, vt ſcribit Pli.

SAMOTHRACVM.]Maximum iuſiurandum habebatur, cum obteſtabatur Deos Romanos, id eſt Iouem, Iunonem, Palladem & Penates qui ex Samothracia aducti fuerunt: Ita iurat Scipio apud Sylium:

— tarpeia pater qui templa, ſecundam
Incolis à cælo ſedem.

Id eſt, ô Iupiter: *& Saturnia*, id eſt, ô Iuno, *Nondum*
Iliacis mutata malis, tuque aſpera pectus
Ægide Gorgoneos virgo ſuccincta furores,

Id eſt, ô Pallas. Hactenus, numina Romana. Tum ſequitur:

Indigeteſque Dei ſponte inter numina noſtra.

Id eſt, ô Penates. hi è Samothracia aducti à Dardano Troiam, & ab Ænea è Troia Romam, vt Varro ſcribit. Nigidus & Labeo, autore Macrobio, ſcripſerunt Apollinem & Neptunum eſſe Deos Penates: Dionyſius Halicarnaſſeus ſententia Timæi confutata ſcribit Penates fuiſſe Deos Romæ, quorum duo ſimulachra ænea tenebant haſtas. Non placet quod ex Tarquinio recitat Macrobius. PER SAMOTHRACVM, id eſt per Penates.

ET NOSTRORVM.] Per Iouem, Iunonem, & Palladem.

EXEAT INQVIT.] Alij hunc locum ſunt interpretati aduerſus Neronem qui loca equitum Romanorum ſedilibus plebis præpoſuit ad circum. nam de ordine ſedendi in theatro Lucius Roſius Otho Tribunus plebis, vt ſcribunt Pedianus, Liuius, Porphyrio, multis ante annis legem tulerat, vt ſcilicet quatuordecim proximi gradus equitibus aſſignarentur: Ego aduerſus Domitianum dictum interpretor, qui legem Othonis temporum vetuſtate ferme abrogatam reſtituit, quod Tranquillus his verbis indicat de Domitiano, *licentiam theatralem promiſcua iniquitate ſpectandi inhibuit.* Ex ea edictum erat ne in quattuordecim ſederet, niſi cui eſſent qua-

dringenta ſeſtertia:is enim erat cenſus equeſter:ita factum eſt vt multi nobiles & boni viri qui non integro cenſu equeſtri pro equitibus ſe præſtantes,ante legem reuocatam illic ſedere ſoliti erant, magna cum ignominia ſingulis prope ſpectaculis iuberentur ſurgere: de ho multa extant Mar. epigrammata. Seruando ordini præfecti erant Lectius & Oceanus.

Si pudor eſt,& de puluino ſurgat equeſtri,
Cuius res legi non ſufficit,& ſedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuueneſque laniſtæ.
Sic libitum vano qui nos diſtinxit Othoni.
Quis gener hic placuit cenſu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper ſcribitur hæres?
Quando in conſilio eſt AEdibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migraſſe Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ſed Romæ durior illis
Conatus: magno hoſpitium miſerabile, magno
Seruorum ventres,& frugi cœnula magno.
Fictilibus coenare pudet, quod turpe negauit
Tranſlatus ſubito ad Marſos menſamque Sabellam
Contentuſque illic Veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſi quando theatro
Maieſtas, tandemque redit ad pulpita, notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans:
AEquales habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram, & populum: clari velamen honoris,

SVRGAT.] Mar.

Quadringenta tibi non ſunt Chereſtate, ſurge,
Lectius ecce venit.

PINNIRAPI]Retiarij dicuntur,qui pugnantes aduerſus mirmillonem,

pinnam, hoc eſt ſummitatem galeæ, rapiebant, iactantes illud, *piſcem peto, non te peto*: nam piſci erat in capite mirmillonis.

LANISTAE.] Dicuntur qui erudiunt gladiatores, & habent familias paratas ad munus. Fidentinus hanc ſententiam noſtram cum ſua male confundit & peruertit.

QVANDO IN CONSILIO EST AEDIBVS.] Ædiles vrbis luxus auxerunt ludis apparatiſſimis quos ædebant. Hęc reprehēſio eſt in tempora Poetæ, quibus Domitianus theatralem ſumptum mirum in modum auxerat, vt ſcribit Tranquillus: adeo vt ipſe aliquando præſederit ludis coronatus, purpura amictus cum collegio Flauialium ſacerdotum. Ait igitur Vmbricius pauperem non admitti in conſilium ab ædilibus, notans Principis ſtudia & ludorum luxum ad ſuperbiam.

OLIM.] Quando ſeceſſerunt à Patribus, quo tempore reducti ſunt ab Agrippa creatis Tribunis plebis,

QVOD TVRPE NEGAVIT.] Senſus eſt, Romani pauperes non audent cœnare in fictilibus ne ſint ludibrio. Sed Curius Dentatus, qui ab aratro euocatus, creatuſque ſubito Imperator triumphum duxit de Samnitibus, ſatis docuit id turpe non eſſe: nam Samnitibus aurum afferentibus reſpondit ſe malle in ſuis fictilibus cœnare.

TRANSLATVS SVBITO.] Hoc eſt tranſductus ſubito ab aratro.

AD MARSOS.] Ad triumphalem dignitatem, quam de Marſis & Sabellis deuictis reportauit. Sabelli enim à Samnitibus ſunt, quos vicit Curius: iidem à Græcis Samnites dicuntur, vt Strabo & Plinius ſcribunt. Hiſtoria Curij ſupra eſt recitata, & ſatis nota.

PARS MAGNA ITALIAE.] Suadet Vmbricius Iuuenali vt viuat in municipiis, vbi toga non erit ſumenda ad colendos diuites, nec ludorum ſuperbia ferenda. Plane vt intelligas ſuperiora dicta eſſe in tædia & luxum ludorum, vt expoſuimus. PARS MAGNA.] Quaſi dicat: qui in municipiis ſunt, pars magna Italiæ, vt nos quoque illic poſſimus agere.

NISI MORTVVS.] Nam mortuo addebatur toga. Martialis,

Aut pallens toga mortui tribulis.

Quod Fidentinus è nobis didicit, vt alia multa, quamuis eius pręceptor inuertat.

SI QVANDO COLITVR MAIESTAS DIERVM FESTORVM.] Veluti in luco iuxta Fregellas in agro non procul ab Aquino, quo finitimi populi cōueniebant ſingulis annis, ludos & ſacrificia illic peragebant, vt ſcribit Strabo. idem apud Sillium. EXODIVM.] Finem ſignificat vt Pompeius interpretatur, & Varro affirmat. Varro, *modo in via narra, vt ad exodium ducas*. Exodio item ridicula intexta verſibus, quæ iuuenes inter ſe iactitare cœperunt, nolentes fabulas agere, ſed proprios verſus componentes, vt ſcribit Liuius: ea ſunt inſerta fabulis Attellanicis. Partem igitur fabulæ ridiculis laſciuientem exodium appellarunt ab ἐξω & ᾠδῆς quaſi extra cantilenam inſtitutam & numerum aliorum verſuum. Scio quid alij ſint opinati: ſed ego hoc ſentio, & lego apud Sueto. *Exodio Attellanico*

laceſſitum Tyberium. NOTVM EXODIVM.] Nota ridicula, non enim noua his componuntur in vrbe.

Sufficiunt tunicæ ſummis AEdilibus albæ.
Hic vltra vires habitus nitor: hic aliquid plus
Quam ſatis eſt: interdum aliena ſumitur arca.
Commune id vitium eſt. hic viuimus ambitioſa
Paupertate omnes. quid te moror? omnia Romæ
Cum precio. quid das vt Coſſum aliquando ſalutes,
Vt te reſpiciat clauſo Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus, accipe, & illud
Fermentum tibi habe. præſtant tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia ſeruis.
Quis timet, aut timuit gelida Præneſte ruinam,
Aut poſitis nemoroſa inter iuga Volſinus, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte ſui. nam ſic labentibus obſtat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securus pendente iubet dormire ruina.
Viuendum eſt illic, vbi nulla incendia, nulli
Nocte metus. iam poſcit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon: tabulata tibi iam tertia fumant:
Tu neſcis. nam ſi gradibus trepidatur ab imis:

TVNICÆ ALBÆ.] Non omnes inquit habent tunicas albas, ſed qui præſunt ludis illic: in vrbe vero ſpectatores omnes habent, Mar.

Et plebs & minor ordo maximuſque,
Sanctorum cum duce candidus ſederet.

Lacernæ albæ in diſtichis loquuntur,

Amphitheatrales nos commendatur ad vſus.

Fidẽtinus hoc à nobis didicit, ſed recitãdo inuertit, vt id quod ſequitur.

QVID DAS VT COSSVM.] Pauperes inquit coguntur dare dona diuitibus, in rebus etiam turpiſſimis, vt ſint amici & arrideant, quod ſi diues puerum habet qui primam barbam deponat, aut crines tondeat, pauperes ſtatim donant, quod ſcilicet ille diem feſtum celebrat, vt Trãquil. ſignificat de Nerone. Martia. de eo qui depoſuit barbam die natali atris, & de crinibus Encolpi: Papin. de crinibus Earini: & Trãquil. in C. principe: *vno atque eodem die togam ſumpſit, barbamque poſuit ſine vllo honore*: Id eſt ſine vlla celebratione diei feſti, qualis fieri ſolebat.

AMATI.] Pueri.

PLENA DOMVS.] Statim diuitis domus ea die muneribus implebitur.

TIBICINE.] Tibicines inquit Feſtus in ædificiis dicti æſtimantur à ſimilitudine tibiarum canentium, qui vt cantantes ſuſtinerent ita illa ædificia. TENVI TIBICINE.]Tenui ſuſtentaculo.

IAM POSCIT AQVAM. VCALEGON.] Vcalegon carmine Homeri notus,& Virgiliano verſu,

—iam proximus ardet Vcalegon:

Habuit enim ædes coniunctas Æneæ: inde interpretes noſtri decepti, hunc acceperunt pro ciue vicino; ego verò pro eo tantum cuius domus arderet, in cuius cœnaculis & tabulatis inquilini habitarent pauperes.nam ſuperiora domus inquilinis locabantur. Martialis, ſe inquilinum deſignans.

Et tribus habito ſcalis ſed altis.

Alibi Iuuenalis.

—rarus venit in cœnacula miles,

Id eſt ad inquilinos: ſunt enim pauperes. Hoc igitur inquit incommodum eſt in vrbe pauperibus,quod cum ſint inquilini,& habitant ſuperiora domus diuitis,ſi domus ardet,non monentur à domino, qui vel friuola & minima quæq; ex domo transfert illis neglectis. VCALEGON.] non pro vicino vt dixi,ſed pro eo cuius domus ardet.

Vltimus ardebit, quem tegula ſola tuetur
A pluuia, molles vbi reddunt oua columbæ.
Lectus erat Codro Procula minor, vrceola ſex
Ornamentum abaci, necnon & paruulus infra
Cantarus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.
Iamque vetus Græcos ſeruabat ciſta libellos,
Et diuina Opici rodebant carmine mures.
Nil habuit Codrus.quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infœlix totum nihil: vltimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum & fruſtra rogantem
Nemo cibo, nemo hoſpitio, tectoque iuuabit.
Si magna arturi cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.
Tunc geminus vrbis caſus, tunc odimus ignem,
Ardet adhuc, & iam occurrit qui marmora donet,
Conferat impenſas. hic nuda & candida ſigna,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,

Phecaſianorum vetera ornamenta Deorum.
Hic libros dabit & forulos, mediamque Mineruam:
Hic modium argenti, meliora ac plura reponit

TEGVLA SOLA.] Nam ſuperiora domus habitant inquilini proximi tecto.

LECTVS.] Scilicet triclinaris. idem coniungit Plinius, *lecti*(inquit) *triclinares & vaſa nouem abacorum.*

ABACVS.] Menſam ſignificat, in qua pocula potoria diſponebantur. non capiebat autem ſupra ſex, quod eſt inſtitutum, cum Pompeius ſex pocula myrrina ex triumpho attuliſſet: numerum certum vaſorum in abaco deſignat Plinius, cum ait Pompeium attuliſſe vaſa ex auro & gemmis nouem abacorum. idem autem de ſex poculis, de quibus dixi.

CHIRON.] Ego opus Codri intelligo ita ſcriptum: nam Græcorum & Chironis fabulas continebat.

CISTA.] Vas in quo panes ſeruantur & obſonia. Horati.

Aut ciſtam effractam & ſubducta viatica plorat.

MVRES OPICI.] Populi fuerunt ex teſtimonio Antiochi, Polybij, Straboniſque, qui primis temporibus Campaniam tenuerunt, rudes & inculti, vnde cum Latini barbari dicuntur in contumeliam, opici appellantur. Cato ad filium de Græcis: *Nos quoque dictitant barbaros & ſpurios, noſque magis quam alios opicos appellatione fœdant.* Opici ergo mures dicuntur mea ſententia hic, quaſi barbari, qui doctis carminibus infeſti. alibi, Iuuena.

— opica caſtigat amicæ
Verba.

Fidentini obiurgationibus ignoſco: nam quamuis hic clamet, tamen illic *opicæ amicæ* ex ſententia noſtra exponet *agreſtis.*

EVPHRANORIS.] Euphranor pictor fuit, cuius Paris, Minerua Catuliana à Qu. Catulo dicata ad Capitolium bonus euentus, dextera pateram, ſiniſtra papauer & ſpicā ferens, Latona cum Apolline & Diana infantibus, in æde Concordiæ inter præclara opera numerantur. Idem ſculptor ſcyphos & marmora ſculpſit. hic accipio pro ſculptore; hæc ex Plinio. POLYCLETVS.] In leuioribus perſonis exprimendis magnam obtinuit laudem, vt idem eſt autor, ætatem grauiorem refugiebat, quam non exprimebat commode.

PHECASIANORVM.] Non poſſum hoc loco partim riſu, partim ſtomacho abſtinere, huc ades Fidentine plagiarie, reſtitue mancipium quod noſtrum eſt, non diſcēdam, inquam, priuſquam ſcelus fatearis tuum. Dic te obſecro, nonne veram huius loci ſententiam ignorabas, quam in ſcriptis noſtris legiſti & voluiſti inſerere tuis ineptiis? tu ante confinxeras Phecaſianos deos duodecim eſſe, aſſerique Valerium Antiatem & Ennium, tua ignorantia, rudis præceptoris impudentia ſceleratus, vbi id vnquam legiſti? ſed paulo poſt ſententiam noſtram addis,

quam

quam inepte, bone Deus, tu enim ita cõiugis, quaſi vna eſſet, & altera ex altera dic[illegible]ur, ſi cum tua illa fabuloſiſſima ſit, noſtra vero Appiani autoritate confirmata, quæ verba tu accipiens ex noſtris pro tuis & abs te inuentis recitaſti. nam Appianus ita ſcribit de Antonio: *Exutus nempe curis omnibus & Imperij muneribus ſtolam quadratam Græcorum more pro prima domeſtica induit, calceamentaque candida ſumpſit, qualia ſacerdotes Athenienſium & Alexandrinorum, quos Phecaſios vocant geſtare conſueuerunt*: hęc Appianus, tu plagiarie cum hæc manumiſiſſemus in ſeruitutem tuam vindicaſti. Sed tam imprudenter, vt nemo ſit qui non agnoſcat furtum & inſcitiam damnet.

Perſicus orborum lautiſſimus, & merito iam
Suſpectus, tanquam ipſe ſuas incenderit ædes:
Si potes auelli, circenſibus optima ſoræ,
Aut fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.
Quanti nunc tenebras vnum conducis in annum.
Hortulus hic puteuſque breuis, nec reſte mouendus,
In tenues plantas facili diffunditur hauſtu.
Viue bidentis amans, & culti villicus horti,
Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoreis.
Eſt aliquid quocunque loco, quocunque receſſu
Vnius ſeſe dominum feciſſe lacertæ.
Plurimus hic æger moritur vigilando, ſed illum
Langorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti ſtomacho: nam quæ meritoria ſomnum
Admittunt, magnis opibus dormitur in vrbe:
Inde caput morbi rhedarum tranſitus arcto
Vicorum inflexu, & ſtantis conuitia mandræ
Eripiunt ſomnum Druſo, vituliſque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Diues, & ingenti curret ſuper ora liburno.
Atque obiter leget, vel ſcribet, vel dormiet intus.
Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra,
Ante tamen veniet, nobis properantibus obſtat
Vnda prior, magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur: ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter, at hic tignum capiti incutit, ille metretam.

PERSICVS.] Pactius, Gallita, Laronia, pro orbis ditiſſimis à Iuuenale ponuntur. REPONIT, reſarcit, reſtituit, reparat.

MERITO IAM SVSPECTVS.] Vt illud Martialis.

Collatum eſt decies, rogo non potes ipſe videri

Incendiſſe tuam Tongiliane domum.

De circensibvs.] Alibi dicemus.

Vnivs lacertæ.] Exigui ſpacij agri, vel à lacerta quæ ibi apricatur, vel à menſura lacertorum.

Somnvm admittvnt.] Mart. *Nec requieſcendi in vrbe locus eſt pauperi: negant vitam magiſtri mane piſtores, æratiorum marculi die toto, & ad cubile eſt Roma tedio feſſis, dormire quotiens libuit imus in villam.*

Arcto inflexv.] Nam vici, quorum nomina alibi recitabuntur: ita Romæ erant coniuncti & obliqui, vt difficilem vehiculorum tranſitum præberent. Tacitus. *Arctis itineribus hucque & illuc & enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.* Mandra inter cætera ſignificat mulorum multitudinem. mulis autem vehicula olim trahebantur, vnde muliones dicti, Feſtus autor: Martialis.

Vix que datur longas mulorum ſcandere mandras,

Hic pro mulionibus accipitur.

Drvso.] Druſus, quem nonnulli belli Marſici autorem putauerunt, morbo comitiali laborauit, quo curatus eſt in Anticyra, ſumpto elleboro, vt ſcribit Plinius, Druſus inquit qui comitiali morbo exanimabatur, poſſet tanto ſtrepitu excitari: ſed non placet vt ſcilicet comitialem morbum ſomnum appellauerint: magis conuenit hominem ſui temporis ſomno deditum ab eo notari, vt à Martiale Leuinum,

In Pompeiano dormis Leuine theatro.

Vitvlis marinis.] Iidem phocæ dicuntur, nullumque animal grauiore ſomno præmitur, vt Homerus in Odyſſea cecinit, & repetitum eſt à Plinio in nono. Virgilius,

Sternunt ſe ſomno diuerſo in littore phocæ,

Earum pellis fulgura arcere putatur, vt ſcribit Plin. in vſu etiam Auguſti. Asser, vt non nulli ſentiunt tabulam ſignificat, ſed mea ſententia à Iuuenale & Martiale accipitur pro ligno eminenti, quo lectica ſuſtinetur. Martialis,

Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Cato, *duobus aſſerculis appoſitis parieti quibus, gallinæ in nido poſſint irrepere.* Tranquillus, *lecticary cum aſſeribus ad primum ſtrepitum accurrerunt.*

Pinguia crura luto, planta mox vndique magna
Calcor, & in digito clauus mihi militis hæret.
Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?
Centum conuiuæ: ſequitur ſua quemque culina
Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res
Impoſitas capiti, quas recto vertice portat
Seruulus infœlix, & curſu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ ſartæ: modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant alte, populoque minantur.

Nam ſi procubuit, qui ſaxa liguſtica portat
Axis, & euerſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? quis membra, quis oſſa
Inuenit? obtritum vulgi perit omne cadauer
More animæ. domus interea ſecura patellas
Iam lauat, & bucca foculum excitat, & ſonat vnctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros varie properantur, at ille
Iam ſedet in ripa, tetrumque nouitius horret
Porthmia, nec ſperat cænoſi gurgitis alnum
Infælix, nec habet quem porriget ore trientem.
Reſpice nunc alia, ac diuerſa pericula noctis:
Quod ſpacium tectis ſublimibus, vnde cerebrum

CORBVLO.] Pro quocunque forti ponitur. hic temporibus Neronis rebus in Armenia geſtis claruit. de eius viribus Cornelius Tacitus, *ne ſi ad capiendas copias Syriam mirauiſſet Corbulo, omnium ora in ſe verteret: corpore ingens erat, & ſupra experientiam ſapientiamq; etiam validus.* Martialis hiſdem temporibus Maſclionem & Ninum pro validiſſimis celebrat.

SARRACO.] Hic totus locus ad emulationem Horatij ſcribitur. Horat.

Feſtinat calidus mullis geruliſque redemptor
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris.

MONTEM.] Partem marmoris Lunenſis montem appellat: nam Strabone autore fodiebantur Lunæ marmora candida & varia, vt integra ſæpe parte columnæ fierent, & menſæ.

PATELLAS.] Patella vas fictile erat quo ad ſacra vtebantur. Cicero autor & Liuius. Parabat domus patellas: nam antequam cœnarent lauabantur poſt rem diuinam. STRIGILES, inſtrumenta ferrea quibus lauantium ſudor detergebatur à ſtringendo: nam ſtringere, vt Marcellus ſcribit, eſt radere; & Tranquillus ſcribit, Octauium læſiſſe cutem nimio ſtrigilis vſu; laudatur Pythagoras quod quendam ſe diſtringentem ita effinxerit: vt à populo maxime diligeretur eam effigiem, Agrippa dicauit ante thermas: Tiberius tranſtulit in cubiculum, ſed mox reſtituit populo efflagitante. ſtrigiles, ϛλεγγίτες dicuntur Græce: Martialis de his,

Pergamus has miſit curuo diſtringere ferro.

LINTEA.] His madidum corpus ex balneis ſiccabant, dicebanturque lintea teritoria, quoniam à fullonibus ſępe terebantur dum purgarentur. Martialis.

Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.

GVTTVS, vas ex ligno ſacris adhibebatur vinum guttatim fundens, autor Varro, inde Manius Curius iurauit ſe nihil ex præda habere, præter guttum faginum, quo ſacrificaret. Guttus item vas ex cornu guttatim fundebat oleum lauantibus ſe in balneis, quo verbo vtitur Gellius, prima

æſtimatione fiebat ex cornu rhinocerotis, inde dicitur rhinoceros, de hoc Mart.

Geſtauit fronte modo me iuuentus,
Verum rhinocerota me putabis.

Pleno gvtto. ſcilicet oleo. Componit lintea, diſponit lintea & parat tanquam domino venturo & ſe lauaturo.

Trientem qvem porrigat.] Ægyptij autore Diodoro putabant mortuorum cadauera noua repræſentatione apud inferos tranſuehi in vlteriorem ripam, aderat magiſter cymbæ, quem linqua ſua Charontem appellabant, & cymba, quam varin, Græce βάριν, dicitur. putabant mortuos dare abolum, quem ipſi Charonti repræſentabant, vt per Acheruſiam paludem traiicerent in vlteriorem ripam. Sed Iuuenalis ſuorum temporum auaritiam notat, cum oſtendit pauperi mortuo, ne obolum quidem eſſe.

Teſta ferit, quotiens rimoſa & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent
Et lædant ſilicem. poſsiſque ignauus haberi,
Et ſubiti caſus improuidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas. adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte feneſtræ.
Ergo optes votumque feras miſerabile tecum
Vt ſint contentæ patulas effundere pelues.
Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus:
Ergo non aliter poterit dormire, quibuſdam
Somnum rixa facit: ſed quamuis improbus annis,
Atque mero feruens, cauet hunc, quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſsimus ordo:
Multum præterea flammarum atque ænea lampas.
Me quem luna ſolet deducere, & breue lumen
Candelæ, cuius diſpenſo, & tempero filum,
Contemnit, miſeræ cognoſcas præmia rixæ,
Si rixa eſt vbi tu pulſas, ego vapulo tantum.
Stat contra, ſtarique iubet, parere neceſſe eſt.
Nam quid agas: cum te furioſus cogat, & idem
Fortior? vnde venis? exclamat. cuius aceto,

Ebrivs.] Inſolentiam iuuenum Romanorum notat, quæ à Tranquillo in Nerone perſcribitur. nam per vrbem incedentes pauperes ſago impoſitos iaculabantur, ex quo Mart.

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago,

aut alio aliquo vexationis genere vexabant. Tranquillus de Nerone: *Redeuntes à cœna repugnantes verberare, cloacisque demergere aſſuerat. tacitus pererrabat comitantibus, qui raperent ad venditionem expoſita, & obuiis vulnera inferrent, & reliqua.*

Lugentis amicum.] Verſus Homeri ſunt in principio vltimi Iliados de Achille lugente Patroclum.

Nunc lateri incumbens iacuit mox deinde ſupinus,
Nunc cubat in faciem, nunc recto pectore ſurgens,
Verſat membra thoro.

Cavet hunc.] Licet hoc loco deridere Fidentini fraudem, nos his verſibus Tribunum deſignari diximus à Iuuenale, vt dicat, iuuenes non laceſſere Tribunum armatum, cui tuendæ à graſſatoribus vrbis cuſtodia data eſt, idque apparet ex eo verbo. Atque aenea lampas.) Nam Tribuni incedebant prælato candelabro, quod magno luxu ex ære Corynthio fiebat. Plinius in luxu candelabrorum inuectus hæc addit, *Nec pudet Tribunum militum ea ſalariis emere, cùm id nomen à candelis impoſitum ſit*, quaſi dicat, quamuis candelabra à candelis, quibus pauperes vtuntur, autore Feſto dicta ſint: tamen Tribuni ſine vllo pudore ea ad luxum emunt totis ſalariis candelabrum. in diſtichis Martialis.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.

Fidentini verò præceptor, cùm Plinium deprauaret, quod multis in locis auſus eſt, vt quarto noſtri operis libro facile demonſtrabimus, ita peruertit: *nec pudet Tribunum militum ea ſalinis emere; hoc eſt, ad ſalina,* quoniam vt ille interpretatur, milites ex candelabris ſalina conflabant, in quo non auſus Fidentinus præceptori aduerſari, vix pauca quædam ex hac ſententia noſtra excerpſit, reliqua ſiluit.

Aenea lampas.) Id eſt, candelabrum Corynthium, quo Tribuni vtebantur.

Candelae.) Nam candelis authore Feſto pauperes vtebantur.

Cuius conchę tumes? quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit?
Nil mihi reſpondes, aut dic, aut accipe calcem?
Ede vbi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha.
Dicere ſi tentes aliquid, taciturue recedas,
Tantundem eſt, pariter feriunt, vadimonia deinde
Irati faciunt, libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.
Nec tamen hæc tantum metuas: nam quis ſpoliat te
Non deerit, clauſis domibus poſtquam omnis vbique
Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.

Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quotiens tutæ cuſtode tenentur
Et pontina palus, & gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad viuaria currunt.
Qua fornace graues, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, vt timeas ne
Vomer deficiat, ne mare, & ſarcula deſint:
Fælices proauorum atauos, fælicia dicas
Sæcula, quæ quondam ſub regibus atque tribunis
Viderunt vno contentam carcere Romam.
His alias poteram & plures ſubnectere cauſas:
Sed iumenta vocant, & ſol inclinat: eundum eſt.
Nam mihi commota iamdudum mulio virga
Annuit. ergo vale noſtri memor, & quotiens te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Eluinam Cererem Veſtramque Dianam
Conuerte à Cumis, ſatyrarum ego, ni pudet illas,
Adiutor gelidos veniam caligatus in agros.

CONCHE.] Conchis ab Apitio appellatur Fabatia viridis, atque ita conditur liquamine, coriandro, cimino, porro conciſo, & oleo, quod niſi in magna fuerit copia conchis ingrati eſt ſaporis: Martialis in male cœnantem.

Et bene ſi cœnas conchis inuncta tibi eſt.

alibi. *Si ſpumet rubra conchis tibi pallida teſta.*

Hoc ex nobis Fidentinus accepit, ſed inuertit & mutilat. alij conchem pro faba ſimpliciter accipiunt, quæ veluti concha cortice tegitur & cum ea coquitur, quod non facimus in freſa.

SECTILE PORRVM.] Idē ſectiuū dicitur, vt ſcribit Plinius ad capitati differentiam Tarentique optimè proueniebat, apte nominat porrum: nam in frugali & pauperis menſa id erat. Martialis, inuitans amicum.

Viles Cappadocæ graueſque porri.

alibi. *In quibus eſt lactuca ſedens & ſectile porrum.*

VERVECIS LABRA.] Fidētinus à nobis accipit ſed peruertit, nec percipit, hoc eſt ex more antiquitatis: nam in apophoretis mittebatur caput veruecinum inter cætera munera: Martialis.

Mollia Phryxei ſecuiſti colla mariti.

Ebrius igitur apte interrogat ſciēs hoc eſſe in vſu munerū & pauperis.

FIXA CATENATÆ.] Idem Martialis.

Nulla catenatis præcincta eſt pila lagenis.

PINVS GALLINARIA.] Fallūtur vt diximus, qui putant hanc ſyluam eſſe, quæ ad gallinas dicebatur: nā ea erat ad nonū lapidem in villa, quæ dicebatur Cæſarum iuxta Tyberim loco celebri, vt graſſatores tuto

hic eſſe non poſſent, meminerunt Tranquillus in Galba & Plinius, Intelligo potius ſiluam Gallinariam, quæ autore Strabone, in ſinu Cumano erat multis arboribus denſa & portenta in multa ſtadia, aquarum indiga & fabuloſa: in ea præfecti claſſis Sexti Pompei piratica nauigia ſtruxerunt, cũ Sicilia ab imperio Romano defecit, hæc & vaſtitate erat apta graſſatoribus, & eodem tractu quo palus Pontina, cuius ante meminit.

CEREREM ELVINAM.] Nonnulli dixerunt appellatam à loco iuxta Aquinum, quem nuſquam repperi. ego potius Eluinam intelligo dictam ab eluendo, id eſt lauando: nam qui ſacris initiabantur Cereris lauabantur vt teſtimonio Ariſtophanis docuimus. Plinius Eluinum quidem oppidũ nominat, ſed non his locis poteſt & hoc referre ad celebritatem, quæ fiebat ab Aquinatibus & populis finitimis in luco Minturnenſi, loco irriguo aquis, vt ſcribunt Strabo & Syllius, vt propter eas aquas Ceres, quæ illic colebatur, dicatur Eluina.

VESTRAMQVE DIANAM.] Quam colitis in luco Minturnenſi. Apertiſſimis vt arbitrior argumentis ſingulis ferme locis, quæ quidem obſcuriora habentur, Fidentinũ plagiariũ vel diſſentientem eluſimus, vel aſſentientẽ ſceleris conuicimus, quod ſcilicet noſtra quæ non percipit nefario præceptoris conſilio vſus inuerterit, confuderit, contaminauerit, infinitum, ita me deus amet, prope eſſet ſingula illius deliramẽta, his commentationibus inſectari, ne igitur ſuſpenſum lectorem habeã, ſinã Fidentinũ valere, & in triuio verſari, vbi pueros quotidie male docet. Nam cũ in publica Academia ſuperioribus annis profiteri cœpiſſet, ita ab omnibus eſt deriſus, & exploſus, vt iam eum lucis pudear, nec diſcedat è tenebris triuij, homo nullius doctrinæ, incredibilis impudentiæ, in alieno furore miniſter, in ſuo delirus. reuocabimus ad tribunal quarto alterius noſtri operis libro, eius præceptorem, & experiemur quid in ſua cauſa meditetur, qui diſcipulum quem ad ſcelus impulit, non defendit omnibus ſuffragiis damnatum.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS SATYRA QVARTA.

Ecce iterum Criſpinus, & eſt mihi ſæpe vocandus
Ad partes, monſtrum nulla virtute redemptum
A vitiis, æger, ſolaque libidine fortis:
Delitias viduæ tantum aſpernatur adulter.
Quid refert igitur quantis iumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in vmbra?
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus fælix, minime corruptor, & idem
Inceſtus, cum quo nuper vittata iacebat

Sanguine adhuc viuo terram ſubitura ſacerdos.
Sed nunc de factis leuioribus, & tamen alter:

Ecce iterum.] Accuſaturus Domitianum crudelitatis, gulæ, auaritiæ, à Criſpino orditur, in quo & principem notat. Nam Domitianus inceſta virginum Veſtalium, vt ſcribit Tranquillus, varie & ſeuere coercuit, Papinius.

Pulchrius an tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas iam laudet Veſta miniſtras

Tamen Criſpino adultero notiſſimo & virginis Veſtalis ſtupratori ignoſcebat.

Iterum.] Nam antea eſt notatus verna Canopi Criſpinus.

Ad partes.] Ideſt ad ſatyras, quæ partes ſunt operis.

Delitias viduæ tantum.] Nullo inquit adulterij genere abſtinet Criſpinus præter quàm viduæ, ex quo oſtendit eum ſectari iucundiora adulteria. nam qui ad viduas & anus accedebant, paupertate cogebantur, vt ſcilicet pararent diuitias, *an te Vetulæ Veſsica beata.* Martialis:

Nunc ſectaris anus, ô quantum cogit egeſtas.

alibi.

Munera quod ſenibus viduiſque ingentia mittis.

Nullum igitur committit adulterium Criſpinus, niſi per voluptatem & libidinem animi, cum egeſtate non cogatur viduas adire.

Terram subitura.] Deſignat ſupplicium virginis Veſtalis: nam in via ad portam Collinam tumulus erat, vbi erat domus ſubterranea cum lecto ſtrato, lucerna ardente primitiis, rerum quæ ad victum ſpectant, hoc eſt pane, aqua & lacte, ne virgo tanta religione ſacra detrudi illuc videretur, vt fame periret: ipſa viua impoſita feretro ferebatur per forum magno ſilentio & horrore: cum erat ad domum illam peruentum, depoſito feretro ſolutis vinculis, Pontifex arcana quædam præcatus eam educebat, deinde collocabat in ſcalis, quibus in domum deſcendebatur: & ſtatim ſe auertebat, tum humus iniiciebatur, quod Numa inſtituit, vt ſcribit Plutarchus. Domitianus cum aliis puniuit, tum Corneliam, vt ſcribit Plinius & Tranquillus earum ſtupratores cædebantur virgis in commitio, vt Celer æques Romanus ex ſuſcipitione Corneliæ ſtupratæ iubente Domitiano cæſus eſt, quod ſcribit Plinius.

Si feciſſet idem, caderet ſub iudice morum:
Nam quod turpe bonis, Titio, Seioque, decebat
Criſpinum: quid agas, cum dira & fœdior omni
Crimine perſona eſt? mullum ſex millibus emit,
Aequantem ſane paribus ſeſtertia libris,
Vt perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.
Conſilium laudo artificis, ſi munere tanto

Præcipuam

Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.
Eſt ratio vlterior, magnæ ſi miſit amicæ,
Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.
Nil tale expectes. emit ſibi, multa videmus
Quæ miſer & frugi non fecit Apicius, hoc tu
Succinctus patria quondam Criſpine Papyro,
Hoc precium ſquamæ? potuit fortaſſe minoris,
Piſcator, quam piſcis emi prouincia tanti
Vendit agros: ſed maiores Apulia vendit.
Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putamus
Induperatorem cum tot ſextertia, partem
Exiguam, & modicæ ſumptam de margine cænæ

IVDICE MORVM.] Domitiano, qui vult videri cenſor. Martialis: *Cenſor maxime, principumque princeps.*

TITIO SELIOQVE.] Per Titium & Selium, aliquem equitem Romanum & alios equites intelligit, qui leuiſſimis ſuſpicionibus accuſati de inceſtu Veſtalium, in commitio virgis cæſi fuerant, iubente Domitiano.

MVLLVM SEX MILLIBVS EMIT.] Aſinius Celer vir conſularis, vt Samonicus refert mullũ ſeptem millibus nummum mercatus eſt, in quo teſte Macrobio luxuria ſæculi illius eo magis æſtimari poteſt, quod Plinius negat mullũ repertum, qui duas pondo libras excederet, at nũc maioris ponderis paſſim videntur, vt ſcribit Macrobius, eodem Plinio autore. Mutianus refert mullũ octoginta librarum captum fuiſſe in mari rubro. mulli piſces à colore mulleorum calciamentorum: mullei enim erant calcei regum Albanorum & poſt patritiorum à mulando, id eſt ſumendo dicti, vt ſcribit Pompeius, mendoſa dictio eſt apud Plinium, *molliorum pro muleorum.*

VT PERHIBENT.] Periphraſis eſt aſſentatorum, qui volentes excuſare Criſpinum affirmant mullũ fuiſſe ſex milliũ librarũ, ne cui mirum ſit ſi ſex millibus emit.

MAIORA DE MAGNIS.] Hoc eſt proprium aſſentatorũ & delatorũ.

PRAECIPVAM CERAM.] Magno teſtamento hoc munere.

QVAE VEHITVR CLAVSO ANTRO LATIS SPECVLARIBVS.] Speculares lapides perlucidi, quibus horti operiebantur, & non nunquam conſtruebantur aluearia, tales hortos habuit Tiberius imperator, & Martialis carmine celebrat. Sub his geſtabantur diuites in voluptatem, hæc ex Plinio. Iuuenalis diuitem mulierem deſignans ſcribit eam geſtari in eiuſmodi hortis. Carpenſque ſuorum temporum luxum eos appellat antrum. nam cum ita tecti eſſent ſpeluncæ videbantur.

EMIT SIBI.] In gulam ſuam, Martialis, *Cui dedit ergo ſibi.*

APITIVS.] Sola ſui de hyſtoria cognoſcitur, hic multa millia nummum gula conſumpſit, tã dedicati appetitus, vt cum audiſſet in Libyæ

maiores locuſtas naſci, pro quibus multa in Gallia impenderat, illuc nauigauerit, & quod falſum audiuerat deprehendiſſet, iuſſit nauis gubernatorem ita vertere curſum vt Libya amplius inſpici non poſſit, prouinciam deteſtatus & incolas, plura Suidas & Dion, & nos in commentariis Silij diximus, à Plin. altiſſimus nepotum gurges dicitur, & maius ad omnem luxum ingenium.

PROVINCIA.] Aphrica.

SED APVLIA VENDIT MAIORES.] Hoc eſt, tanti quidem emuntur in Apulia, ſed maiores.

QVALES.] Inſinuatio eſt in reprehenſionem epularum, quas Domi. inſtituerat in Albano, eas ante carpſit.

— rarum ac memorabile magni

Gutturis exemplum.

Quicquid enim ſequitur de rhombo, & ſi fictum eſt, tamen ita narratur, vt apertiſſime notetur luxus Albanus, de quo ante diximus.

Purpureus magni ructaret ſcurra palati,
Iam Princeps equitum, magna qui voce ſolebat,
Vendere municipes fracta de merce ſiluros?
Incipe Calliope licet hic conſidere. non eſt
Cantandum, res vera agitur. narrate puellæ
Pierides: proſit mihi vos dixiſſe puellas.
Cum iam ſemianimum laceraret Flauius orbem
Vltimus, & caluo ſeruiret Roma Neroni,
Incidit Adriaci ſpatium admirabile rombi
Ante domum Veneris quam Dorica ſuſtinet Anchon,
Impleuitque ſinus, neque enim minor hæſerat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti
Deſidia tardos, & longo frigore pingues.
Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter
Pontifici ſummo. quis enim proponere talem,
Aut emere auderet, cum plena & littora multo
Delatore forent: diſperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitiuum dicere piſcem,
Depaſtumque diu viuaria Cæſaris: inde
Elapſum veterem ad dominum debere reuerti?
Si quid Palfurio, ſi credimus Armillato,
Quicquid conſpicuum, pulchrumque ex æquore toto eſt

Res fiſci eſt vbicumque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, iam lætifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam ſperantibus ægris.

PVRPVREVS.] Inuidioſe eum appellauit purpureum propter multitudinem purpurearum veſtium quas habebat. Repete quæ diximus de criſpinis in prima ſatyra.

SILVROS.] Siluri piſces in Nilo tantum natant, & in Nilide lacu iuxta montem inferioris Mauritaniæ, quo argumento Iuba rex contendebat Nilum ex eo oriri, cū idem piſces, alabete. ſ. coracini, ſiluri illic tantū & in Nilo reperiantur.

FLAVIVS VLTIMVS.] Domitianus, qui ex gente Flauia tertius fuit & & vltimus, nā Veſpaſianus primus, Titus ſecundus, Poſtremo Domitianus qui templum quoque Flauiæ genti erexit, collegium Flauialium inſtituit, vt ſcribit Tranquillus. CALVVS item fuit eodem autore & Papinius.

Qui genti patriæ futura ſemper,
Sanxit limina Flauiumque caluum.

Idem appellatur Nero à crudelitate, qua ſcilicet Nero in primis notus eſt.

DORICA.] Condita à Græcis: nā Syracuſani à Græcis oriundi Dionyſij tyrannidem fugientes. ANCONEM condiderunt in ora Galliæ Ciſalpinæ iuxta Cymerum promontorium, autores Salius & Srabo & Plin.

PONTIFICI SVMMO] Satyrice appellat Domitianū ſummū Pontificē, cū ei velit exprobare luxum ſacerdotum, quos in Albano inſtituerat. Plinius de Domitiano, *pontificis,* inquit, *maximi iure, ſeu potius immanitate tyranni, licentia domini.*

VIVARIA CÆSARIS.] Nam piſcinas habuit Domitianus, in quibus autore etiam Plinio nominatim vocari piſces a magiſtro ad æſcā enatal aut.

AD VETEREM DOMINVM.] Hactenus damnauit Domitianū à multitudine delatorum: quod ſequitur oſtēdit multos fuiſſe eodem tempore qui iniqua iuris interpretatione multa vendicabant fiſco publico: hos quidem habuit, ſed prius repreſſit, Tranquillus. *fiſcales* inquit, *calumnias magna calumniantium pœna repreßit: ferebaturque vox eius, Delatores qui non caſtigat, irritat,* poſtea eoſdem fouit, vt idem eſt autor.

PALFVRIO ET ARMILLATO.] Hi fuerunt oratores. de Palfurio Tranquillus in Domitiano ſcribit, quod ſcilicet pulſus olim fuerit ex Senatu, & tunc coronatus de oratoribus in certamine Capitolino: Armillati item meminit in Caligula, ſedii duo ponuntur hic à Iuuenale pro omnibus qui fiſci cauſas agebant per calumnias.

VBICVMQVE NATAT.] Ratio eſt & iniqua interpretatio illorum.

Stridebat deformis hyems, prædamque recentem
Seruabat: tamen hic properat, velut vrgeat Auſter.
Vtque lacus ſuberant, vbi quamquam diruta ſeruat
Ignem Troianum, ac Veſtam colit Alba minorem,
Obſtitit intranti miratrix turba parumper,
Et ceſſit: facili patuerunt cardine valuæ.
Excluſi expectant admiſſa obſonia Patres.
Itur ad Atridem. tunc Picens, accipe, dixit,
Priuatis maiora focis: Genialis agatur
Iſte dies, propera ſtomachum laxare ſaginis,
Et tua ſeruatum conſume in ſæcula rombum.
Ipſe capi voluit. quid apertius? & tamen illi
Surgebant criſtæ: nihil eſt quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur Diis æqua poteſtas.
Sed deerat piſci patinæ menſura. Vocantur
Ergo in conſilium proceres, quos oderat ille,
In quorum facie miſeræ magnæque ſedebat
Pallor amicitiæ, primus, clamante Liburno,
Currite, iam ſedit, rapta properabat abolla
Pegaſus, attonitæ poſitus modo villicus vrbi.
An ne aliud? tunc Præfecti, quorum optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus, omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iuſtitia: venit & Criſpi iucunda ſenectus
Cuius erant mores qualis facundia, mite
Ingenium. maria, ac terras, populoſque regenti
Quis comes vtilior, ſi clade & peſte ſub illa
Sæuitiam damnare, & honeſtum ferre liceret
Conſilium? ſed quid violentius aure tyranni:
Cum quo de pluuiis, aut æſtibus, aut nimboſo
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem: nec ciuis erat, qui libera poſſet
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.

VELVT AVSTER VRGEAT.] Nam Auſtrino flatu obſonia corrumpuntur, vt ſcribit Plinius. VRGEAT cogat properare timentes ne corrumpatur.

ALBA MINOREM.] Locum deſcribit vbi Domitianus quinquatria ſua in Albano celebrabat.

QVAMQVAM DIRVTA.] Idem Strabo ſcribit Alba euerſa templum tan-

tum veſtæ remanſiſſe.

VTQVE LACVS SVBERANT.] Id eſt poſtea quam peruenerunt ad eum locum vbi lacus Albani dicuntur.

VESTAM COLIT ALBA MINOREM.] Ad differentiam templi quod condidit Numma in vrbe, nouum, rotundum & maius vt ſcribit Plutarchus, MINOREM igitur hoc eſt deteriore templo cultam.

ATRIDEM.] Domitianum appellauit, cum eum iam dixerit Neronem: nam Nero Atrides poteſt dici, hoc eſt alter Oreſtes, qui & ipſe matrem interemit, vt ille.

PICENS.] Nomen piſcatoris, alterius meminit Mart.

Scribit in aduerſa Picens epigrammata charta, & alibi.

DIIS ÆQVA POTESTAS] Ex hiſtoria eſt: nam tantæ ſoliditatis & elationis fuit Domitianus, vt cũ audiuiſſet ſe nominari Deum per libellũ, ſtatim edixerit, ne alia præfatione appellaretur: vnde dictus Dominus & Deus.

PEGASVS.] Et Criſpus, CRISPI meminit Tacitus quem inter potentes potius fuiſſe ſcribit quàm inter bonos.

CVM QVO DE PLVVIIS.] Idem ſcribit Tranquillus de hoc Imperatore: nam cum ſcripſiſſet Cerealem Saliudenum Cotianum alioſque Senatores & Conſulares, fuiſſe partim exilio, partim morte damnatos, addit alios præterea idem fuiſſe paſſos leuiſſima quemque de cauſa, leuiſſimam igitur Iuuenal. mortis cauſam eſſe oſtendit.

Sic multas hyemes, atque octogeſima vidit
Solſtitia, his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus eiuſdem properabat Acilius æui
Cum iuuene indigno quem mors tam ſæua maneret,
Et domini gladiis tam feſtinata: ſed olim
Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus:
Vnde fit vt malim fraterculus eſſe Gigantis.
Profuit ergo nihil miſero, quod cominus vrſos
Figebat Numidas Albana nudus arena
Venator, quis enim tam non intelligat artes
Patricias? quis priſcum illud miratur acumen
Brute tuum? facile eſt barbato imponere Regi,
Nec melior vultu, quamuis ignobilis ibat
Rubrius, offenſæ veteris reus atque tacendæ,
Et tamen improbior ſatyram ſcribente cinædo.
Montani quoque venter adeſt abdomine, tardus
Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera: ſæuior illo
Pompeius tenui iugulos aperire ſuſurro,
Et, qui vulturibus ſeruabat viſcera Dacis

Acilivs.] Duo Acilij fuerunt vterque affectus ſupplicio a Domitiano, Acilius Glabrio, quem Plinius in epiſtolis prudentia & fide ſingulari fuiſſe ſcribit. Alter Acilius Lamia, quamuis nonnulli codices habeant [illegible], quia parum prudenter iocatus eſſet in Imperatorem. quis autem ſit I[illegible]nis qui cum eo veniebat, hiſtoriam fingunt multi, ſed nullam proferunt Domitiani temporibus accomodatam.

Arena Albana.] Hoc dicit quoniam in Albano Domitianus conficiendas feras exhibebat, & ipſe conficiebat, adeo vt centenas aliquando proſtrauerit, autore Tranquillo. debebat igitur huic ignoſcere, cum eo fortitudinis genere oblectaretur: vnde Carpophorus in aſſentationem laudatur a Martiale.

Artes patritias.] Nam nobiles nobilitatis nulla ratione habita ad vitandam Imperatoris ſæuitiam, in arenam & ſcænicas operas deſcendebant, ſe ſtultos ſimulantes Brutum imitari, qui Tarquinij crudelitatem ita declinauerat. Quis miretur tuum acumen? quis laudet iam [illegible] tuum ô Brute? nihil enim prodeſt.

Regi barbato.] Quaſi dicat potuiſti facile decipere regem Tarquinium illa ætate rudi & ſimplici. Barbati, antiqui dicuntur: nam quadringentis & quadraginta quatuor annis Romani intonſi fuerunt [illegible]enres tonſoribus, quos poſtea Ticinius Mena è Sicilia duxit vt ſcribit Plinius.

Rvbrivs.] Hic temporibus Domitiani fuit: ſed ex huius nomine alludit ad antiquum Rubrium qui temporibus Neronis deprehenſus in coniuratione Piſoniana, magno animo dixit Neroni ſe illum odiſſe quod hiſtrio eſſet, auriga, incendiarius: & tamē hic quamuis ita audax, erat tamen improbior vt ait Iuuenalis ipſo Nerone qui ſatyram ſcripſit in Quintianum, appellauitque eum mollem & effœminatum ipſe cinædus: nam nupſerat Pythagoræ. hæc ſcribit Cornelius Tacitus pluribus verbis: Reus ergo Rubrius veteris offenſæ, ad Rubrium antiquum alludit: nam Rubrium veterem accipi pro proprio nomine vt Tacitus meminit, nec loco conuenit, nec hiſtoria patitur. Fuit item Rubrius Gallus miniſter Flauij Sabini, vt Tacitus ſcribit, de quo non potes intelligere.

Satyram scribente cinædo.] Nerone qui probroſum carmen ſcripſit in Quitianum, vt Cornelius ſcribit.

Montani.] Trium Montanorum meminit Tacitus, Curtij Alpini, Iulij. Fuit item Montanus Atacinus de quo ſcribit Plinius ad Tyronem: de eo Iuuenalis intelligit; nam fuit Domitiani temporibus.

Dvo fvnera.] Hoc inuidioſe & ſatyrice: nam cadauera vngebantur, & illum vult intelligi tanquam mortuum, vt Mart.

Non dedes ferri mortuus hexaphoro.

Pompeivs.] Delator temporibus Domitiani, vt in prima Satyra eſt dictum. alterius Pompeij meminit Tacitus, *perculit is dies Pompeium quoque Elianum Iuuenem quæſtorium tanquam flagitiorum Fabiani gnarum, eique Italia & Hiſpania interdicta eſt.*

Fuſcus, marmorea meditatus prælia villa:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ.
Grande & conſpicuum noſtro quoque tempore monſtrum,
Cæcus adulator, diruſque à ponte ſatelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque deuexæ iactaret baſia rhedæ.
Nemo magis rhombum ſtupuit: nam plurima dixit
In læuam conuerſus: at illi dextra iacebat
Bellus, ſic pugnas Cilicis laudabat & ictus,
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento: ſed vt phanaticus æſtro
Percuſſus Bellona tuo diuinat, & ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi.
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus. peregrina eſt bellua. cernis
Erectas in terga ſudes? hoc defuit vnum
Fabricio, patriam vt rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur cenſes? conciditur? abſit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait, teſta alta paretur,
Quæ tenui muro ſpacioſum colligat orbem.

FVSCVS.] Cornelius Fuſcus Præfectus Prætoriæ cohortis, poſt necem Auli Sabini miſſus in Dacos à Domitiano: illic interfectus eſt ab hoſtibus, quos domuerat: prima ætate depoſuerat dignitatem Senatoriam, ſeceſſeratque ad quietem: mox per ambitionem ad Domitianum eſt reuerſus. de hoc plura in prima ſat[yr]a diximus.

VILLA MARMOREA.] Mollitiem Cornelij Fuſci notat, quaſi [d]icat qui putabat ita bella geri, vt per ignauiam meditabatur in receſſu molli & vmbra ac villis ſuis marmoreis.

VEIENTO CATVLLO.] Fabricij Veientonis & Catulli Meſſalini meminit Plinius in quarta epiſtola, vterque ſub Domitiano delator fuit, & ad tempora Neruæ vixit: ſed eo crudelior Catullus quod cæcus tela delationum in optimum quemque contorquebat ſine rubore, Plinius. *Cœnabat Nerua cum paucis, Veiento recumbebat proximus, atque etiam in ſinu, dixi omnia cum hominem nominaui: Incidit ſermo de Catullo Meſſalino qui luminibus orbus ingenio ſæuo, mala cæcitatis addiderat. quo ſæpius à Domitiano non ſecus ac tela, quæ ipſa cæca ac improuida feruntur, in optimum quemque contorquebat.*

NVNQVAM VISÆ.] Et Mart. in Cordum cæcum,

Cum ſit tam pauper quomodo? Cæcus amat.

A ponte.] Nam cæci & mutilato corpore ad pontem mendicant.

Axes Aricinos.] Vt illud Matt.

Debet Aricino conuiua recumbere cliuo.

Sic.] Pari adulatione.

Pugnas Cilicis] Ex hoc notat Domitiani tempora quibus ille ſpectaculis intentus intermiſſa munera gladiatoria reuocauit, duoque paria dabat ex ſuo ludo quæ populus petiiſſet. Cilix apud Martialem nomen proprium furis, hic gladiatoris vt Buria & Eridanus temporibus Pompeij.

Pegma.] Machina erat lignea quæ pueris inſidentibus, aut ludicro alio aliquo ornatu in ſcænam producebatur. Gaius princeps in cruſtatum argenteis laminis pegma primus in ludis populo exibuit, & Claudius eos quoque puniebat, qui parum proſpere pegma producerent. dicitur à πήγνυμι, quod eſt compingo: nam eſt moles compacta, inde à ſpectatoribus formoſiores pueri rapiebantur, quod Cornelius Tacitus in theatro notauit: *ibi, inquit, quod cuique collibuit in tenebras rapitur.*

Velaria.] Locus vbi vela ſeruabantur, quibus theatrum operiebatur. quod primus Lentulus Spinter inſtituit, vt ſcribit Plinius.

De temone Brittanno.] Hoc eſt vincetur tuis auſpiciis: nam Brittanni curribus in bello vtuntur, vt ſcribit Cæſar, Brittannicam victoriam prædicit Imperatori, cum ſciat eum puerum illic pugnaſſe.

Tenvi.] Subtili: nam laus eſt figulorum, vt ſcribit Plinius, vt cretam tenuem in conficiendis patinis ducant.

Debetur magnus patinæ ſubituſque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate: ſed ex hoc
Tempore iam Cæſar figuli tua caſtra ſequantur.
Vicit digna viro ſententia, nouerat ille
Luxuriam imperij veterem, noctéſque Neronis
Iam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno
Arderet. nulli maior fuit vſus edendi
Tempeſtate mea, Circeis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinoque edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprehendere morſu,
Et ſemel aſpecti littus dicebat echini.
Surgitur, & miſſo proceres exire iubentur
Concilio: quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos,
Tamquam de Cattis aliquid, toruiſque Sicambris
Dicturus, tamquam diuerſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.

Atque

Atque vtinam his potius nugis tota illa dediſſet
Tempora ſæuitiæ, claras quibus abſtulit vrbi,
Illuſtres animas impune, & vindice nullo.

MEDIAS NOCTES.]Hoc non videtur in Domitianum conuenire poſſe, quem ſcribit Trãquillus, non produxiſſe dapes vltra ſolis occaſum: ſed vt idem eſt auctor conuiuabatur frequenter & laute. de Nerone nullo pacto intelligendum eſt, ſed de Domitiano, quem ſatyrica hyperbole Iuuenalis ait ad mediam vſque noctem ingurgitaſſe.

OSTREA.] Oſtrearum luxus magnæ exprobrationis apud antiquos erat. Sergius orata, vt Plinius ſcribit, in Baiano oſtrearum viuaria inſtituit, primuſque docuit optimum ſaporem eſſe lucrinis: vnde Brunduſij capta in lucrinum lacum aduehebantur, vt illic paſcerentur: Martialis:

Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino.

Luctinum autem lacum olim Auernum dixerunt, vt Artemidorus & Diodorus dixerunt. Sillius Cocyton: aſt hic lucrino manſiſſe vocabula quondam Cocyti memorant.

LVCRINVM.] Saxum, intelligit eam viam quam ſtrauit Hercules vii. ſtadiorum. vel vt Diodorus ſcribit. v. eandem ſtruxit melius Agrippa in exteriore parte ad arcendum pelagus, ita vt poſtea ſinus efficeretur Luctinus, oſtreis capiendis vberrimus, vt ſcribit Strabo.

FVNDO RVTVPINO.] Oſtrea Brittannica intelligit, quæ poſt Lucrina inuenta ſunt, ſed maiore gloria ſaporis. Plinius *nundum Brittannica cubant littora, cum orata docuit aduehere oſtrea Brunduſio, & compaſcere in Lucrino.* RVTVPINVM.]Brittannicum ſignificat ab oppido littorali Ptolemæus autor. Lucanus:

Aut vaga cum Thetis Rutupinaque littora, feruent
Vnde Calidonios fallit turbata Brittannos.

ECHINI.]Miſeni naſcebantur meliore ſapore. Horatius.

Oſtrea circeis Miſeni oriuntur echini.

Ij ſunt in ſpeciem caſtaneæ: Echinus verò quam Latini Remotam dixerunt, & eius meminit Opianus: naues plenis velis euntes retinere dicitur, ſi carinæ hæſerint, quod Plinius credidit, cecinit Lucanus: de his vero Martialis:

Cortice depoſito mollis echinus erit.

DE GETIS.] Nam Daci & Getæ bis defecerant ab eo.

SICAMBRI.]Populi Germaniæ ſunt finitimi Caubis ad Oceanum Bucteris & Cymbris: hos nominat quoniam Domitianus Germaniam domuerat: inde etiam accepto cognomine vt horum ſeditionem & tumultum poſſent timere.

ANXIA.] Tum de graui aliqua re agebatur cum ab aue epiſtola erat allata: inde Plinius ſcribit: Columbas fuiſſe internuntias in magnis rebus: nam in obſidione Mutinenſi, eodem autore, epiſtolas pe-

dibus alligatas in caſtra conſulum attulerunt. Cecinna Volateranus hirundinibus ad id vſus eſt, & Fabius annaliũ ſcriptor ſe hirundine vſum teſtatur, cuius pedibus lino alligato & factis nodis ſignificauit ſuis quoto die eruptio fieri deberet.

HIS NVGIS.] His rebus ridendis vt fuit conſultatio de rhombo.

Sed periit: poſtquam Cerdonibus eſſe timendus
Cœperat, hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

CERDONIBVS ESSE TIMENDVS.] Neſcio quid figuratum & celatum putet hoc loco Tortelius, nam de Fidentino qui eum ſequitur nulla mihi erit mentio, qui putat de Nerone intelligendum. hic eſt ſenſus meo iudicio, vtinam Domitianus his nugis totum tempus imperij conſumpſiſſet, nec abſtuliſſet nobiles & illuſtres viros Cærealem ſcilicet Saluidenum, Acilium, Galbrionem filium, Lamiam. IMPVNE.] Id eſt nullo ex nobilibus exiſtente: qui principis crudelitatem vlciſceretur, in quo ignauiam nobilitatis eorum temporum notat: ſed tandem periit inquit Cerdonum, hoc eſt villiſſimorum hominum beneficio, qui cum illius ſeuitiæ oſtenderentur, vlti ſunt publicam vicem, ij fuerunt Clodianus, Corniculatius, Maximus Parthenij libertus, Saturius decurio cubiculariorum, & alij præterea eius conditionis homines, vt ſcribit Tranquillus. IMPVNE.] Nullo nobilium vlciſcente.

HOC.] Quod ſcilicet tandem etiam à viliſſimis timeretur.

CERDONES.] Dicuntur qui artificio & lucro victum querunt à κέρδος quod ſignificat lucrum: ſed pro plebeiis & vilibus accipiuntur à Iuuenale. Alibi.

— & qua
Turpia cerdoni, Voleſos Brutoſque decebunt.

LAMIARVM.] Non poſuit Lamias quod hi tantum eſſent nobiliſſimi: ſed vt pariter nobilitatem indicaret, & vnum ex hiſtoria referret de nobilibus interfectis à Domitiano. Ælium ſcilicet Lamiam, quem ob ſuſpitioſos & veteres & innoxios iocos interemit, vt eſt apud Tranquillum. Lamiæ autem genus duxerunt à Lamo, qui Caietæ regnauit, vt Homerus cecinit, repetiit Sillius:

Et regnata Lamo Caieta.

Ouidius.

Atque Lami veterem Leſtrygonis inquit in vrbem.
Venimus.

Horatius.

Æli vetuſto nobilis ab Lamo.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS, SATYRA QVINTA.

SI te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens
Vt bona ſumma putes aliena viuere quadra,
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet,
Quamuis iurato metuam tibi credere teſti.
Ventre nihil noui frugalius, hoc tamen ipſum
Defeciſſe puta, quod inani ſufficit aluo.

SI TE PROPOSITI.] Temporum iniquitate & auaritia multi diuites colebant paſſimque captabant cœnas viliſſimis quibuſque officiis, ij multis epigrammatis à Martiale notantur, Solius in primis & Aper. Trebium amicum in eodem vitæ inſtituto verſantem, modoque præſtantem anteambulonem, modo comitem ita monet & deterret, vt per occaſionem ſuorum temporum conditionem notet, inueharturque in ſuperbas & contumelioſas menſas diuitum. qui olim centum quadrantum ſportulam comitibus dabant & clientibus, poſtea rectam cœnam dare cœperunt edicto Domitiani, quod ſcribit Tranquillus. Mart.

Centum miſelli iam valete quadrantes.

Alibi:

Cum vocer ad cœnam non iam venalis vt ante.

Hoc conqueritur Iuuenalis hic fremit, quod ea cœna diuitum plena eſſet contumeliis & iniuriæ in pauperem clientem, ſtructuram & ſenſum ita concipio, nihil noui frugalius vẽtre, ô Trebi, quaſi dicat, potes eſſe contentus pauciſſimis rebus, tamen eſto quod hoc ipſum quo indiges deficiat, quare non mendicas, hoc dico ſi te nondum pudet propoſiti & inſtituti tui: & ſi potes pati ad menſas diuitum, quæ nec Sarmentus nec Galba ſcurra tuliſſent: quamuis tibi iuranti, quod ſcilicet non pudeat & poſſis ferre, non auſim credere: ac ſi dicat ſcio certè teipſum ſponte tua pudere.

SARMENTVS.] Scurra ſeruus Cæſaris cuius meminit Plutarchus in Antonio, *Geminius*, inquit Plutarchus, *dixit amicis Antonij, vinum acidum infundi, Sarmentum Romæ phalernum potare.* Horatius.

Sarmenti ſcurræ pugnam Meßique Cicerri,
Muſa velim memores.

GALBA.] Item ſcurra Mart.

Ille ſuo fœlix Cæſare Galba vetus.

Alibi.

Qui Galbam ſalibus tuis & ipſum,
Poſſes vincere Tiſlium Caballum.

NVSQVAM PONS.] Vbi ſcilicet mendices. Mart.

Errat per vrbis pontes exul & cliuos.

Nulla crepido vacat? nuſquam pons, & tegetis pars
Dimidia breuior? tanti ne iniuria cenæ?
Tam ieiuna fames, cum poſsis honeſtius illic
Et tremere, & ſordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu diſcumbere iuſſus
Mercedem ſollidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ cibus: imputat hunc rex,
Et, quamuis rarum, tamen imputat. ergo duos poſt
Si libuit menſes neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto,
Vna ſimus, ait, votorum ſumma, quid vltra
Quæris? habet Trebius propter quod rumpere ſomnum
Debeat, & ligulas dimittere ſollicitus, ne
Tota ſalutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? vinum quod ſuccida nollet
Lana pati: de conuiua Corybanta videbis,
Iurgia proludunt: ſed mox & pocula torques
Saucius, & rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quotiens liberorumque cohortem

TEGETIS PARS.] Id eſt teges mutilata. Mart. de paupere.

Et teges & cimex & nudi ſponda grabati.

SORDES FARRIS CANINI] Id eſt pane ſordidum caninum. Mart.

Olet caninas panis improbi buccas.

Varro in re ruſtica: panem ordeaceum canibus dandum putat. quod autem dicat panem caninum, non tam puto ad ſordes referri, quàm ad duritiem: Duritiæ enim cibi canes malas firmant: & paulò poſt dicet:

Quæ genuinum agitent non admitentia morſum.

DISCVMBERE IVSSVS.] Id eſt acceptus à diuite ad rectam cœnam.

Post dvos menses.]Mar.

Rectam vocatus cum curris ad cœnam,
Quam tot diebus noctibuſque captauit.

Cessaret cvlcitra lecto.]Inuitat inquit non vt tibi proſit, ſed vt triclinum impleat:nam triclinia certum numerum conuiuarum capiebant.Matt.

Septem ſigna capit, ſex ſumus, adde Lupum:

Vt ſcilicet impleatur triclinium.

rvmpere somnvm.]Martialis,

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,
Attrita veniet ſportula multa toga.

ligvlas.]Ligulam partem quandem in calceis ſcribit eſſe Feſtus ad ſimilitudinem linguæ exertæ. Pollux apud Grecos ſcribit gloſſam,id eſt linguam eſſe partem in calceo. hanc feſtinantes dimittebant. plura in Comentariis Mart.diximus de hoc,& dicemus alibi.

tvrba salvtatrix.] Id eſt turba diuitium:nam intelligo Trebiũ timuiſſe,ne omnes diuities iam ſalutaſſent,quos volebant,ita vt nullus reſtaret, cui aut comes eſſet, aut anteambulo à quo poſſet cœnam captare Mart.

Denariis tribus inuitas & mane togatum,
Obſeruare iubes atria Baſſe tua.
Deinde harere tuo lateri præcedere ſellam.
Ad vetulas tecum,plus minus ire decem.

svccida lana.] Lana inquit ſuccida cum omnem humorem facile attrahat ſine vllo diſcrimine, tamen vinum reſpueret.

corybanta.]Inſanum & furentem quales ſunt Corybantes cybelei,de quibus Ouidius. de his hęc eſt hiſtoria: Cirbas ſacerdos Pinnæ vrbis conditor,occaſionem Rhodiis præbuit,vt vulgarent Corybantes Dæmones eſſe,quoſdam Mineruæ & Solis filios & Saturni. alij Iouis & Aliopes, & abiiſſe in Samothraciam, quæ quondam Melita dicebatur,profectoſque Bactriana, vel ex Colchis, vt nonnulli affirmant eoſdem cum Curetibus Hecates miniſtris.Sceptius putat Corybantes eſſe Curetes,qui ad ſacra Cybelis admiſſi ſunt caſti & puri: illicque ſaltant armati, ita appellati à iactatione capitis,quod κορύβαν dicunt Græci hos Betarmonas Homerus vocat. Strabo ait eos qui capita ſaltando iactant, furiiſque agitantur κορυβαντιᾶν, quidam ab Idæis dactilis putauerunt manaſſe Corybantas. hi in Phrygia tantum & Troade fuerunt, vt Sceptius ſcribit alij in Creta quoque dixerunt. Diodorus verò ſcribit Corybantum Iaſei & Cybeles filium his nomen dediſſe, qui vna cum Dardano Deorum matris ſacra in Phrygiam attulit.

Pugna ſaguntina feruet commiſſa lagena:
Ipſe capillato diffuſum conſule potat,
Calcatamque tenet bellis ſocialibus vuam,
Cardiaco nunquam cyatum miſſurus amico,
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumque ſenectus
Deleuit multa veteris fuligine teſtæ:
Quale coronati Traſea Heluidiuſque ſolebant,
Brutorum & Caſsij natalibus, ipſe capaces
Heliadum cruſtas & inæquales berillos
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum:
Vel ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem

SAGVNTINA.]Hiſpania terram mittebat, vnde pocula fiebant ſaguntina. Martialis,

Ficta ſaguntino cymbia malo luto.

alibi, *Septenaria ſintheſis Sagunt.*

CAPILLATO CONSVLE.]Id eſt antiquiſſimo conſule, nam antiqui intonſi dicebantur, Ouidius,

Et caput intonſum nomen habebat aues.

VVAM CALCATAM BELLIS SOCIALIBVS.]Et hoc quod ſequitur primi excogitauimus in interpretationem huius loci, vt multa alia: ſed Fidentinus ſurripit & pro ſuis recitat, vinum Opimianum intelligit Iuuenalis, nam Lucio Opimio conſule, cum Gracchus tribunus plebis interemptus eſt, temperies quædam fuit quæ coctura dicitur, tanta vini fertilitate & præſtantia, vt quę eo anno diffuſa ſunt in ducenteſimum fuerint ſeruata, redacta in ſpeciem mellis, vt Plinius ſcribit, id vinum à Martiale multis epigrammatis celebratur, idem vinum celebrat Cicero & Anitianum, anno autem Opimij Liuius Druſus autor fuit belli Socialis, quo ſocij Italici nominis Romani à patribus defecerunt, idem bellum dictum Marſicum quoniam defectionis initium à Marſis ſumptum eſt. Druſus ſenatui inuiſus incertum à quo domi occiſus eſt. hic laborauit comitiali morbo, vinumque Opimianum diffuſum eſt tempore bellorum ſocialium, id eſt, belli Marſici, autores Plutarchus, Liuius, Strabo, Pli. *Tenet vuam, potat vinum Opimianum.*

CARDIACO, AMICO.] Cardiaci cordis dolore laborant, quo morbo ſi perierint cor cremari non poteſt, vt ſcribit Pli. iis eodem autore medetur vinum optimum, propterea dicebat Caius Cenſius prætor Chiũ vinum in domum ſuam illatum fuiſſe tum primum cum ſibi cardiaco medicus dediſſet, & hoc à nobis acceptum diſſimulat Fidentinus.

DE ALBANIS MONTIBVS.] Vinum Albanum intelligit prædulce, & ex prædulcibus vuis, vt ſcribit Plinius. Mart.

Hoc de Cæſareis mitis videmus cellis
Miſit Iulæo quæ ſibi monte placet.

DE SETINIS.] Nam Setinum primam laudem obtinuit inter vina, iudicio Auguſti, vt ſcribit Plinius, Sillius,

— ipſius menſis ſepoſta Lyæi.
Setia.

Meminit item Strabo, plura diximus in commentariis Mart.

TRASEA HELVIDIVSQVE SOLEBANT.] Heluidius priſcus autore Tacito ex patre qui ordinem primipilarem duxit, ingenium illuſtre altiobus ſtudiis accommodauit, ſecutus dogmata Stoicorum, gener a Peto Thraſea Patauino delectus eſt, qui ex eius moribus nihil tam ſumpſit quam libertatis ſtudium. Thraſea pereunte coniuratione Piſoniana, vel ſtoliditate Neronis qui eum interfecit quod triſtioris vultus erat, vt Tranquillus ſcribit ipſe in exilium eſt miſſus. Galba vero ad imperium euecto reuerſus Heluidius Marcellum delatorem Thraſeæ ſoceri accuſauit. Hi ergo duo Heluidius & Thraſea Brutorum æmuli fuerunt in tuenda libertate, hæc Cornelius tacitus de Thraſea, *fruſtra Caſſium amouiſti, ſi gliſcere & vigere Brutorum æmulos paſſurus es*, cum autem dies natalis celebrabatur, antiqui coronati ſubtilibus coronis optima hauriebant vina: ſed hiſtoria hæc inſerta eſt à Iuuenale, non tam vt bonum deſignaret vinum quam in Domitiani inuidiam, qui vt ſcribit Tranquillius, Iunium Ruſticum necari iuſſit, quoniam Peti Traſeæ, & Heluidij laudes ediderat, appellabatque eos ſanctiſſimos: præterea eadē de cauſa philoſophos omnes ab vrbe expulit: & Heluidium Heluidij filium ſuſtulit.

BRVTORVM.] Antiqui ſcilicet qui reges eiecit, & alterius qui interfecit Cæſarem, vterque libertatis ſtudio.

VIRRO TENET PHIALAS.] Phialæ vaſa potoria ex eo genere auri fiebant quod electrum appellant, id eſt, vbi quinta argenti portio eſt, quod ſcribit Plinius: ex eo calicem ſacrauit Helena in templo Mineruæ Lyndiæ. Erant autem Phialæ propter emblema tantæ æſtimationis, vt vna duarum vnciarum venierit viginti, quam Pytheas fecit, in cuius emblemate erant Vlyxes & Diomedes palladium ſurripientes. Electrum item notiſſimum eſt, quod ſuccinum appellamus, id fluit ex populis, Mar. de phiala ex electro,

Vera minus flauo radiant electra metallo.

Vera electra, id eſt ſuccinum quod fluit ex populis, minus lucet hac phiala, inſerebatur autem berillus potiſſimum qui chryſtalli coloris eſt, ſed craſſioris, de hoc Martialis,

Et fœlix niueum puſtula vincit ebur.

Hoc genus lapilli inſeri poculis ſcribit Strabo in Indiis maxime.

INÆQVALES BERILLOS.] Nam in ſexangularem poliebantur figurā, vt repercuſſu angulorum color excitaretur, legatur igitur hic locus mea quidā ſētētia hac ſtructa. Virro tenet phialas, appoſitio, CAPACES, id eſt, amplas CRVSTIS ELIADVM, electri ſcilicet metalli, & berillos inæquales & ita expreſſit ex quibus rebus conſtaret phiala ex electro .ſ. berillis inſertis.

Qui numeret gemmas, vngueſque obſeruet acutos
Da veniam, præclara illic laudatur iaſpis.
Nam Virro, vt multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere Zelotypo iuuenis prælatus Hyarbæ.
Tu Beneuentani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quattuor, ac iam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.
Si ſtomachus Domini feruet vinoque, ciboque
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis,
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam, tibi pocula curſor
Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,

QVI NVMERET GEMMAS.] De gemmatis poculis intelligit: nam aureis calicibus gemmas inſerere ſmaragdos præcipue excogitarunt, qui Scithici dicuntur. Plin. *hoc fuit ſatis turba gemmarum potamus & ſmaragdis teximus calices.* Martia.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum.
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Numeret gemmas, inſertas ſcilicet in calice.

IARBÆ.] Hoc ex Virgilio,

—ſtellatus iaſpide fulua
Enſis.

Sed ex ea hiſtoria omnem intelligit antiquitatem: vt ſuorum temporum molliciem accuſet.

TV BENEVENTANI.] Calices vitrei Vatinij dicti ſunt, non tam quod vnus, vt puto, Vatinius fuerit opifex eorum, quam in eius ęternam contumeliam: nam Vatinius temporibus Neronis cum olim vitrearius fuiſſet facetiis ſcurrulibus & bonorum ciuium criminatione ad ſummas opes peruenit: quod ab aliis prætermiſſum, nos ex hiſtoria Cornelij Taciti obſeruauimus, & Fidętinus præceptoris calliditate inſtructus pro ſua recitat: Sed inuento noſtro inuidens per ignorantiam ſubdit, *pro opifice vaſorum non memini me legiſſe*: non audis ſtultiſſime, quod tibi recitaui ex Cornelio? quod ait *Sutrinæ alumnus*: quid illud eſt niſi quod fuerit ſutor vitriarius, & furtum tuum & ignorantiam prodidiſti impudentiſſime plagiarie? nam tu putas alumnum tabernæ ſutrinæ dici Vatinium, quoniam Sutrij ſit educatus, Cornelius de Nerone,

apud Beneuentum interim conſedit vbi gladiatorum munus à Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, Sutrinæ alumnus, corpore detorto. Facetiis ſcurrilibus. primo inter contumelias aſſumptus: dehinc optimi cuiuſque criminatione eo vſque valuit, vt gratia, pecunia, vi nocendi, inter maximos emineret. Mart. alludens ad diſtortum corpus,

Vilia ſutoris calices momenta Vatini
Accipe ſed naſus longior ille fuit.

VITRO RVPTO.] Nam vitrum ruptum ſulphuratis permutabatur. Martialis.

Qui palentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

alibi,

Quæ ſulphurato nolit empta ramento.
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Papinius.

Quique comminutis permutat vitreis
Gregale ſulphur.

DECOCTA.] Refrigerare docuit Nero, qui allata ſibi paluſtri aqua ingemiſcens, quod proprio careret inuento: *hæc eſt*, inquit, *decocta Neronis.* niuibus autem percolata & attenuata gratior erat. Plinius, *decoquunt alias quas mox & illas hyemant.* plura in Martialem diximus.

Cliuoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Aſiæ ante ipſum precio maiore paratus,
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci:
Et ne te teneam Romanorum omnia regum
Friuola, quod cum ita ſit, tu Getulum Ganymedem
Reſpice cum ſities. neſcit tot milibus emptus
Pauperibus miſcere puer: ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio: quando ad te peruenit ille?
Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter,
Quippe indignatur veteri parere clienti
Quodque aliquid poſcas, & quod ſe ſtante recumbas.
Maxima quæque domus ſeruis eſt plena ſuperbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, ſolidæ iam mucida fruſtra farinæ.
Quæ genuinum agitent non admitentia morſum.
Sed tener, & niueus, molliq; ſiligine factus
Seruatur domino. dextram cohibere memento
Salua ſit artocopi reuerentia, finge tamen te
Improbulum, ſupereſt illic qui ponere cogat

Vis tu conſuetis audax conuiua caniſtris
Impleri, paniſque tui nouiſſe colorem?
Scilicet hoc fuerat propter quod ſæpe relicta
Coniuge, per montem aduerſum gellidaſque cucurri
Æſquilias, fremeret ſæua cum grandine vernus
Iupiter, & multo ſtillaret penula nymbo.
Aſpice quam longo diſtendat pectore lancem,
Quæ fertur domino ſquilla, & quibus vndique ſepta

CLIVOSÆ LATINÆ.]Nam in Latina ſepeliebantur mortui, quorum hunc vmbram eſſe timeres.

GELIDÆ CALIDÆQVE MINISTER.]Huic miniſtro negotium erat miſcere calidam & gelidam vrceis, quos miniſtratorios appellabant; de quibus Martialis.

Frigida non deerit, non deerit calda petenti,
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

SILIGINE.]Plinius, *ex ſiligine laudatiſſimus panis: piſtrinarum quoque opera laudatiſſima præcellit in Italia. ſi Campana Piſis nata miſceatur.*

ARTOCOPI.]Artocopus ab ἄρτος dicitur, quod ſignificat panem & κόπος laborem: inde omnes artocopum pro piſtore acceperunt: ego vero pro genere panis intelligo: nam cum Plinius oſtrearios artolaganos, ſpeuſticos, furnaceos, parthicos, multoſque præterea nominaſſet, addit multa eſſe præterea eorum nomina. hæc ſententia mihi probatur, vt Iuuenalis, ſcilicet, derideat, & delitias, & excogitatas panis appellationes.

PENVLA.]Veſtis erat ſuper tunica, ea ſcortea fiebat, id eſt, ex pellibus aduerſus imbres. Martialis,

Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas,

Varro, *Non quærenda eſt homini penula qui habet virtutem imbri oppoſitam,* eadem ex lana Apula texebatur, vt ſcribit Plinius: fiebat item penula Gauſapina, quæ hyeme ſumebatur, villoſa & candida.

SQVILLA.]Inter piſces teſtatos numeratur; eſtque ex genere locuſtarum, quod Plinius oſtendit: Cicero Squillam paruam dixit, ad huius differentiam quam magnam deſignat Iuuenalis.

CAVDA.] Nam in ſquilla & locuſta cauda potiſſimum expetitur, fuiſſe autem lautę gulæ vel Suidas indicat, qui ſcribit Apitium eo potiſſimum cibi genere bona conſumpſiſſe, & eius auiditate in Lybiam nauigaſſe, Græci καράβιδας, ſquillas, Plinius interpretatur ex Ariſtotele eam dictionem accipiens: nam vbi Ariſtoteles ſcribit genera Piſcium cruſta operta, vt locuſtæ & carides more quadrupedum retro mingentium coeunt. Plinius ita ait, *reliqua molium vt canes coeunt: item locuſtæ & ſquillæ.*

Aſparagis,quæ deſpiciat conuiuia cauda,
Cum venit excelſis manibus ſublata miniſtri
Sed tibi dimidio conſtrictus gammarus ouo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipſe venefrano piſcem perfundit: at hic qui
Pallidus offertur miſero tibi caulis,olebit
Laternam: illud enim veſtris datur alueolis,quod
Canna Micipſarum prora ſubuexit acuta:
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lauatur,
Quod tutos etiam facit à ſerpentibus atris.
Mullus erit domino, quem miſit Corſica,vel quem
Taurominitanæ rupes,quando omne peractum eſt,
Etiam defecit noſtrum mare. dum gula ſæuit
Retibus aſſiduis,penitus ſcrutante macello
Proxima,nec patitur Tyrrhenum creſcere piſcem.
Inſtruit ergo focum prouincia: ſumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni murena datur, quæ maxima venit

ASPARAGIS.] Scilicet altilibus. nam duplex eſt, vt Plinius ſcribit, ſilueſtris ſcilicet,qui ſponte naſcitur,& altilis qui cultu excerſcit. Plinius, *Silueſtres fecerat vt quiſque demeteret paſſim: Ecce altiles ſpectantur aſparagi* paulo poſt, *Heu prodigia gulæ.*

GAMMARVS.] Inter locuſtas vilis ſaporis propterea opponitur ſquillæ eiuſdem generis, ad Helleſpõtum & circa Taxum magna copia prouenit,vt ſcribit Ariſtoteles. Mart.

Concolor in noſtra cammare lance rubes.

DIMIDIO OVO.] Nam dimidiatis ouis & ſalſamenta, & quidam piſces condiebantur in cœna pauperis. Mart.

Diuiſis cibium latebit ouis.

alibi, *Secta coronabunt rutatas oua lacertos.*

CANNA MICIPSARVM.] Id eſt, Numidarũ:nam poſt Syphacẽ Maſiniſſa illic regnauit:tum Micipſa qui Cirtam vrbem ampliſſimam reddidit, vt ſcribit Strabo. CANNA:nã in India ſi Melæ,& Plinio autoribus credimus,cãnæ ſunt arboreæ magnitudinis,quarũ internodia lẽbi &nauillæ vicem præſtant: Siſſaminum vt puto oleum deſignat,quod,vt ſcribit Plinius,cibis fædum,& lucernis exile eſt,meminit Strabo in vſu Ægypti,Indię,Aphricæ illud erat.

CVM BOCHORE.] Bochoris rex Ægypti fuit & Numidiæ, vt ſcribunt Diodorus & Solinus, & Tacitus Ægyptium regem fuiſſe oſtendit: ſed hic pro omnibus Numidis & Mauris ponitur, qui ſcilicet more patrio ſiſſamino oleo fætido

in balneis vtebantur. Liuius, *Bocchar ea tempeſtate rex Maurorum erat*, hi verſus, vt dixi, nihil reprehenſionis continent. ſed tantum Siſſaninum oleum deſignant, quod dabatur clientibus.

QVEM MISIT CORSICA.] Nam piſces quibuſdam in locis palmam obtinent vt coracinus in Ægypto, faber Gadibus, helops Rhodi, Salmo in Aquitania, mullus ad Corſicam inſulam quæ in Liguſtico mari eſt, à Græcis Cyrnus dicta, longa ſex millibus paſſuum, diſtans à vadis Volaterranis ſexaginta, incolas habet feros truculenta effigie, vnde ſeruorum gregem ducebant olim Romani paruo precio. hæc ex Plinio & Strabone.

TAVROMINITANAE RVPES.] Taurominium colonia in Sicilia ad promótorium Drepanũ antea Naxos dicebatur, Plinius, accutiſſimis rupibus vt refert Appianus, hinc addit Iuuenalis *rupes*.

MACELLO.] Foro piſcario cuius rationem quære à Varrone. Hortenſius quidem & Lucius Philippus piſcinarum ſtudio tenebatur, vt eſt apud Varronem, Plinium, Macrobium. ſed hic gulam non villarum aut piſcinarum luxum carpit.

PROVINCIA.] Mare prouinciæ externæ vt Siciliæ & Aphricæ & Britanniæ.

LENAS.] Temporibus Cæſaris Lenas, item Neronis & Claudij temporibus damnatus eſt autore Tacito quod prouinciam Sardiniam, cui pręfuerát, ſpoliaſſet. hic pro auaro captatore ponitur, vt Aurelia pro orba vidua diuite, cui multa mitterentur munera: vtrumq; nomé eſt temporum Iuuenalis, vt Gallica & Pactius.

MVRENA.] Murenæ anguillis ſimiles: lautæ enim gulæ habebantur, à freto Siculo miſſæ, illic enim adeo ſaginantur, vt in ſummum pelagus emergát, & fluitent inde plotæ dictæ à Græcis à πλέω quod eſt nauigo: flutæ à Latinis à fluendo: nam torrefacta pelle ſole mergi iterum non poſſunt, capiunturque manu: autores Varro & Macrobius, eadem eſt eius obiurgatio in gulã. *quis neget*, inquit, *indomitam vt ait Cacilius & vallatam gulam apud illos fuiſſe*, *qui ex tam longinquo mari inſtrumenta luxuriæ compararent*. murenarum viuaria vt Plinius autor eſt priuata excogitauit Curius, qui ex triumphalibus cœnis Cæſaris Dictatoris ſeptem millia murenarum appendit: & Hortenſius murenam in piſcina mortuam fleuiſſe dicitur. Antonia Druſi murenæ quam diligebat inaures addidit Baulis, quò multi conueniebant eius rei fama. excogitatum quoq; eſt damnatos homines inter murenas proiici, vt eorum morſu perirent.

Gurgite de ſiculo: nam dum ſe continet auſter,
Dum ſedet, & madidas ſiccat in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ.
Aut glacie aſperſus maculis Tiberinus, & ipſe

Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et ſolitus mediæ criptam penetrare Suburræ.
Ipſi pauca velim facilem ſi præbeat aurem.
Nemo petit, modicus quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri: namque & titulus, & faſcibus olim
Maior habebatur donandi gloria: ſolum
Poſcimus, vt cœnes ciuiliter, hoc face, & eſto,
Eſto vt nunc multi diues tibi, pauper amicis.
Anſeris ante ipſum magni iecur, anſeribus par
Altilis, & flaui dignus ferro Meleagri
Fumat aper: poſt hunc raduntur tubera, ſi ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Maiores: tibi habe frumentum Aledius inquit,
O Libya, disiunge boues, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectas, & chironomanta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia: nec minimo ſane diſcrimine refert

SICVLO.] Nam illic capiebatur vbi Rhegium à Meſſana oppido Siciliæ deſpicitur.

COLVBRE.] Vulgus exiſtimat ſerpentes & angues cum anguillis coire: Plinius id tantum de murenis refert.

CLOACA.] Nam tota vrbs penſilis erat, cloacis corriuatis ſeptem annibus à M. Agrippa ſordes vrbis in Tiberim deferentibus.

IPSI PAVCA VELIM.] Vt ante his, licet ipſum admoneas.

A SENECA.] Hunc diuitem & liberalem fuiſſe Cornelius ſcribit, PISONEM Quoque à Galba adoptatum exercuiſſe largitiones in amicos & ignotos quoque idem tradit.

COTTA.] Huius meminit Hora. fuit autem Aurelius Cotta temporibus Neronis, cui princeps annuam pecuniam inſtituit, quamuis auitas opes per luxum diſſipaſſet. addit Fidentinus vt aliquid noſtris ſcriptis quæ recitat inferret: Cottam Clunicum fuiſſe: cuius meminerit Martialis ab oppido Hiſpaniæ Clunia, cum apud illum legatur *Sote Clinici*. i. Medici. niſi Clunicum velimus intelligere plenis clunibus, qualis eſt Fidentinus.

VT COENES CIVILITER.] i. communibus epulis, eadem eſt expoſtulatio Martialis in Ponticum:

Cur ſine te cœno cum tecum Pontice cœnem,
Sportula quod non ſit proſit edamus idem.

PAVPER AMICIS.] Mart.

Pauper amicitiæ cum ſis Lupe non es amicæ.

IECVR ANSERIS.] Fartilibus in magnam amplitudinem creſcit, lacte mulſo cum exemptum eſt augetur, docuit Apitius ſaginare anſeres: Fico carica, & ſatie extinguere: *incertum Scipione an Metellus fuerit an M. Seſſeius eadem ætate, qui iecur anſeris optimi ſaporis eſſe docuerit.* Verba ſunt Varronis, & à Plinio recitata.

ALTILIS.] Gallina altilis Deliacorum inuento in tantum venit luxum, vt lata lege ſumptuaria à Fannio & edictum ſit, ne quid volucrum apponeretur menſis, præter gallinam, quæ altilis non eſſet.

FERRO MELEAGRI.] Id eſt par ſui Ætolo, Mart.

Ætolo de ſue diues edat.

Alibi.

Qui Diomedeis metuendus ſetiger aliis.
Ætola cecidit cuſpide talis erat.

TVBERA.] In Aphrica autore Plinio laudatiſſima ſunt, proueniuntque magna copia ſi autumno imbres & tonitrua fuerint, tenerrima autem ſunt verno tempore & gratiora, vt idem ſcribit.

ATILIVS.] Vt ex antiqui codicis fide legamus pro guloſo hic ponitur, cuius etiam meminit Mart.

Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, ſi quid tentaueris vnquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina, quando propinat
Virro tibi, ſumitque tuis contacta labellis
Pocula: quis veſtrum temerarius vſque adeo, quis
Perditus, vt dicat regi, bibe? plurima ſunt quæ
Non audent homines pertuſa dicere lena.
Quadraginta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis diis
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres! quantus Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium. vis frater ab illis
Ilibus? ô nummi vobis, hunc præſtat honorem,
Vos eſtis fratres. dominus tamen, & domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi paruulus aula
Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.
Iocundum & charum ſterilis facit vxor amicum:
Sed tua nunc Michale pariat licet, & pueros treis

In gremium patris fundas, ſimul ipſe loquaci
Gaudebit nido: viridem thoraca iubebit
Afferri, minimaſque nuces, aſſemque rogatum,
Ad menſam, quotiens paraſitus venerit infans.
Vilibus ancipites, fungi ponentur amicis
Boletus domino: ſed quales Claudius edit
Ante illum vxoris, poſt quem nil amplius edit.
Virro ſibi, & reliquis Virronibus illa iubebit

QVO GESTV LEPORES.] Nam in ſecandis altilibus ars erat: Plinius cum de ſaginandis ſcribit: *Hinc artes*, inquit, *culinarum vt ſecentur clunes, diuidantur in tergora, & à pede vno dilaceratæ tota repoſitoria occupent.*

TANQVAM HABEAS TRIA NOMINA.] Id eſt ſi velles loqui quaſi tu quoque vnus eſſes ex nobilibus, quaſi innuat, quod tantum his qui nobiles ſunt loqui liceat: nobilitas enim cognomine agnomine, & nomine deſignabatur, vt Gaius Iulius Cæſar. Poſſidonius ſcribit cognomen & agnomen mulieribus non datum fuiſſe: vt ita coniungas. ſi quid tentaueris hiſcere, tāquam tu quoque nobilis ſis & habeas tria nomina vt nobiles, duceris planta & ponere foris.

DA TREBIO.] Alter Trebius fuit comes Luculli proconſulis in Bętica.

VOS ESTIS FRATRES.] Tempora notat quibus diuites etiam erant captatores alienæ hereditatis: vt Mart. in Gargilianum.

Munera quod ſenibus viduiſque ingentia mittis.
Vis te munificum Gargiliane vocem.

FIERI DOMINVS ET REX.] Id eſt ſi vis vt hic te colat.

DVLCIOR ILLO.] Virrone ſcilicet captatore.

CARVM.] Amicum, captatoribus.

MYCHALAE.] Vrbs Ioniæ, vt ſcribunt Herodotus, & Strabo, vbi eſt Paniomus: Mychale hic nomen propriū eſt vxoris Trebij non concubinæ, nec meretricis. Senſus eſt cum non habeas pecuniam non offendes captatores ſi filios habebis.

PVEROS TRES.] Tergeminos vno partu totidem enim poteſt parere, ſupra prodigium eſt.

THORACA.] Thorax indumentum pectoris: nam θώραξ Græce, Latine pectus dicitur, id erat viride in puero. Papinius de Glaucia.

— ſemper ad annos,
Texta legens modo puniceo velabat amictu.
Nunc herbas imitante ſinu.

ANCIPITES.] Inter fungos tutiſſimi ſunt, qui rubent: tertium genus, de quo hic loquitur Suilli dicuntur, venenis accommodati, familiaſque interemerunt, & tota conuiuia aliquando, Anneum Serenū præfectum vigillum Neronis, & Tribunos & Centuriones, *tanta eſt*

Voluptas ancipitis cibi , vt ſcribit Plinius , id eſt periculoſi Martialis,

Sunt tibi boleti, fungos ego ſumno ſuillos.

BOLETVS.]Optimus quidem eſt cibus, authore Plinio:ſed immenſo exemplo in crimen adductus: Locuſtæ artificio dato veneno Claudio Imperatori, Tacitus ſcribit venenum infuſum delectabili cibo: Martialis,

Boletum qualem Claudius edit edas.

Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phiacum autumnus habebat,
Credere quæ poſſis ſurrepta ſororibus Afris:
Tu ſcabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma, & galea, metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuta iaculum torquere capella.
Forſitan impenſæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, vt doleas: nam quæ comœdia mimus,
Quis melior plorante gula, ergo omnia fiunt,
Si neſcis, vt per lachrymas effundere bilem
Cogaris, preſſoque diu ſtridere molari.
Tu tibi liber homo, & regis conuiua videris:
Captum te nidore ſuæ putat ille culinæ:
Nec male coniectat, quis enim tam nudus, vt illum

POMA.] Cytrea vt puto intelligit, quæ Maſſylia & Medica dicuntur: nam Martialis de his idem ſcribit:

Aut Corcyrei ſunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Maſſyli poma draconis erant.

Hæc ſunt poma vt docet Macrobius quæ nunc in delitiis habemus melangola appellantes.

PHÆACVM.] Alcinous Phæacum rex hortos habuit perpetuis fructibus virentes, Homeri teſtimonio : nam vt ille ſcribit, pirum piro ſuccedebat. Fidentinus iam ſe alterum Zoilum profitetur, qui verſum Homeri à nobis acceptum recitat : & paulo poſt inſaniens addit, *vt nos in Odyſſeam ſcripſimus.* cum nec characteres quidem Græcarum literarum agnoſcat. Sed Zoili eſt æmulus, nec imprudentia, nec miſeria inferiore, qui Homerum tanquam cenſor redarguebat, in quem eſurientem facete Ptolemæus: *Miror*, inquit, *cum Homerus mortuus quem reprehendis, tot interpretes ſuſtentet, tu qui illius cenſor es: teipſum alere nequeas*: Phæaces à Phæace Neptuni & Corcyræ filio dicti ſunt, vt ſcribit Diodorus.

SCABIE MALI.]Hunc locum à nobis acceptum Fidentinus inuertit, nec intelligit,quamuis præceptorem ſuum adhibuerit etiam conſiliarium. de pomo militari loquitur Iuuenalis:nam poma ſerebátur in aggeribus caſtrorum, quod Plinius de tuberibus & zinziphis ſcribens oſtendit. *Sextus*, inquit, *Papinius quem conſulem vidimus nouiſsimis Auguſti temporibus,vtraque attulit in caſtrorum aggeribus ſata*,tum idem reprehendens mollitiem militum, qui poma in aggeribus ſererent, ex ſtomacho addit, *Sed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta ſyluæ iam ſcandunt*, ita & eum morem notauit & clientem Trebium tyroni laborioſo comparat.

QVI PARMA.]Periphraſis eſt tyronis:nam tyro parma & galea vtebatur.

A CAPELLA HIRSVTA.]Fidentinus mille fabulas hic confingit, quas omnes probat,præter meam ſententiam quam ſurripuit:non tamen audet palam aduerſari,cum nō intelligat, nec ipſe, nec eius præceptor,aitque capellam eſſe proprium nomen,vel lorum ſignificari, vel tentórium dici:denique fertur præceps miſer magno ventris crepitu, quo præmitur. A capella hirſuta,nos ex ſago cilicio exponimus: nam ſaga militum viliora ex pilis hircinis texebantur. Virgilius,

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphij tondent hirci ſetaſque comantis,
Uſum in caſtrorum,& miſeris velamina nautis.

Columella de capro ita ſcribit: *Sit nitido atque longiſsimo pilo: nam & ipſe tondetur,vſum in caſtrorum,& miſerorum*: Plinius,*in Cilicia & Syria capræ villo tonſili veſtiuntur*.inde Varro,hoc ſagum eſt,quod Martialis Bardiacus dixit verbo externo.*Laxi Bardiacus quod euocat*; & Iuuenalis in vltima *Bardiacus calcens*, vt nos emendauimus. Quintus tamen Poëta qui Homero ſúcceſſit in operis conſummationem ludos in funere Achillis deſcribens iaculationem appellat,αἰγανείῃ ἀπὸ τῆς,αἰγὸς id eſt à Capra hi ſunt verſus,

αἰγανέην δ' ἐς πολλὸν ὑπέρβαλε δινεύοντας
Εὐρύαλος, λαοὶ δὲ μάλ' ἴαχον. οὐ γὰρ ἔφαντο
Αὐτὴν ὑπερβαλέειν.

Bis ferat Etruſcum, puero ſi contigit aurum;
Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit. ecce dabit iam
Semeſſum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos iam veniet minor altilis:inde parato,
Intactoque omnes,& ſtricto pane iacetis.
Ille ſapit qui te ſic vtitur,omnia ferre
Sic potes,& debes pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati,his epulis,& tali dignus amico.

ETRVSCVM AVRVM.] Bulla aurea geſtabatur à nobilibus allata ab Etruria à Tarquinio, vt docet Macrobius: eodem autore datum eſt libertinis vt bullam geſtarent, non auream, ſed ex corio. Plinius, *Vnde mos bullæ durauit, vt eorum qui equo meruiſſent, filij id inſigne haberent, cæteri lorum* Macrobius, *vt libertinorum filij, qui ex iuſta duntaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam & lorum in collo pro bulla decorum geſtarent.* Senſus eſt quis eſt aut natus liber dignus bulla aurea, aut libertinæ conditionis, vt poſſit geſtare lorum, qui poſſit ferre ſuperbiam huius menſæ & contumelias, ac ſi dicat nemo ferret niſi idem ſeruus ſit.

ALTILIS MINOR.] Id eſt mutilata à Virrone.

QVANDOQVE.] Id eſt paulatim in tam ſeruilem animum delabréris, vt ſis paſſurus verbera capite raſo more ſerui, quod genus pulſationis notat. Matt.

— hoc (ſcilicet caput,) *Salamandra notet aut ſæua nouacula nudet,*
Vt digna ſpeculo fiat imago tuo.

Id eſt pulſatione ſpeculi quo ancillam verberauerat. videant Fidentinus & præceptor quam peruerſe hunc locum legant, accipientes interrogatiue, *quandoque*, & neſcio quid ex hiſtoria inculcátes, tam temere quam non neceſſario: nam quandoque nunquam interrogatiue legitur. Præterea ſi de libertate interpretantur, quo pacto ſequitur *nec dura timebis flagra pati*: id enim tantum in ſeruum, non in manumiſſum conuenit: ſed leuitatem exploſam & ſtultitiam nimis inſector.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS
SATYRA SEXTA.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, viſamque diu, cum frigida paruas
Præberet ſpelunca domos, ignemque, laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra:
Siluestrem montana thorum, cum ſterneret vxor
Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud ſimilis tibi Cynthia, nec tibi, cuius

CREDO PVDICITIAM.] Adulteria, quæ lege prohibuerat Domitianus, tota ſatyra inſectatur, & legem irridens quæ contemnebatur, & notans tempora ſua monet autem Poſthumum Vrſidium, qui de vxore ducenda cogitabat, omnem vitæ ſortem connubio præferendam eſſe, repetitaque ſæculorum origine oſtendit nullum vitium apetiiſſe prius mortales, quam adulteria.

SATVRNO.] Ioues tres fuerunt, duo theologi nati in Arcadia, alter filius Ætheris, & Proſerpinæ frater, alter filius Cæli & pater Mineruæ;

certius Saturni filius, qui cū Iano regno pulſus à Ioue Lazio imperauit ætate aurea, vt Heſiodus primus docuit. Homerus verò, ſi Platoni credimus, ſæculum aureum deſignauit in Cyclopibus, quos ſcribit poſt diluuium montium cacumina tenuiſſe, in ſpeluncisque victitaſſe fructibus ſponte naſcentibus.

PRÆBERET SPELVNCA DOMOS.] Homerus de ætate aurea, *in celſis habitantes montibus antra.*

ET PECVS ET DOMINOS.] Vt de Polyphemo ſcribit Homerus Cyclope, quem vt diximus aurea ætate fuiſſe deſignat.

CYNTHIA.] Propertij amica, proprio nomine Hoſtia dicebatur, ait autem vxorem illam ruſticanam non fuiſſe ſimilem Cynthiæ, quoniam hæc luxu veſtium & margaritarum oblectabatur, vt ſæpe conqueritur Propertius,

Quid iuuat ornato procedere vita capillo, Et alibi,
Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Leſbia, proprio nomine Clodia dicta eſt.

Turbauit nitidos extinctus paſſer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus vbera magnis,
Et ſæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe nouo, cæloque recenti
Viuebant homines: qui rupto robore nati
Compoſitique luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſam,
Aut aliqua extiterant & ſub Ioue: ſed Ioue nondum
Barbato, nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viueret horto.
Paulatim deinde ad ſuperos Aſtrea receſſit
Hac comite, atque duæ pariter fugere ſorores.
Antiquum & vetus eſt alienum Poſthume lectum
Concutere, atque ſacri genium contemnere fulcri;
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas,
Viderunt primos argentea ſæcula mœchos.
Conuentum tamen & pactum, & ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras, iamque à tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti,
Certe ſanus eras. vxorem Poſthume ducis?
Dic qua Tiſiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam ſaluis tot reſtibus vllam,
Cum pateant altæ, caligantesque feneſtræ,
Cum tibi vicinum ſe præbeat Æmilius pons.

Aut ſi de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum puſio dormit,
Puſio qui noctu non litigat? exigit à te
Nulla iacens illic munuſcula, nec queritur, quod
Et lateri parcas; nec quantum iuſſit anheles.
Sed placet Vrſidio lex Iulia: tollere dulcem
Cogitat hæredem cariturus turture magno,
Mullorumque iubis & captatore macello.

TVRBAVIT.] Alludit ad verbum Catulli conquerentis de paſſere mortuo. Catullus.

Tua nunc opera meæ puellæ,
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Mart.

Non quales teneri plorauit amica Catulli.

RVPTO ROBORE.] Ad carmen Virgilianum alludit.

Genſque virum truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos neque cultus erat.

NVLLOS PARENTES.] Quaſi dicat, ex quo homines ex parentibus naſci ceperunt, & coniugia ſunt, adulteria committunt.

CAVLIBVS AC POMIS.] Exponit victum argenteæ ætatis, quæ initio aureæ coniuncta hortis pro macello vtebatur.

APERTO HORTO.] Nam vt Plinius ſcribit, *ſæua latrocinatio coegit præfigere aſpectus hortorum.* Fidentinus hoc à nobis accepit: ſed à ſua opinione ſtulta non diſcedens, quam olim conceperat, præceptoris conſilio ita repetit, *& nemo viueret aperto horto propter beſtias*: vide quam conueniat hic ſenſus cum verbis à nobis ex Plinio recitatis, quæ ipſe inſerendo confundit, nos intelligimus, *& quiſque viueret aperto horto*: nam vt diximus poſtea ſæua latrocinatio coegit &c. vt ſcribit Plinius: ante igitur viuebant apertis hortis.

COMITE.] Ex verſu Heſiodi ſumptum eſt, qui ſcribit pudorem & iuſtitiam in cælum fugiſſe ætate aurea.

POSTVME.] Poſtumus fictum nomen apud Mart.

Non dicam licet vſque me rogetis,
Quis ſit poſtumus in meis libellis.

FERREA.] Heſiodus ſcribit ætatem heroicam, qua ſcilicet Heroes claruerunt, ante ferream fuiſſe quod prætermiſerunt noſtri.

DIGITO PIGNVS.] Annulus ferreus ſtatim pactæ vxori mittebatur, vt ſcribit Plinius. Sed hic aureus erat vt puto.

ÆMILIVS PONS.] Idem Miluius dictus eſt, quem Scaurus Æmilius in cenſura fecit & ſtruxit.

Quid fieri non poſſe putes, ſi iungitur vlla
Vrſidio? ſi mœchorum notiſſimus olim

Stulta martiali iam porrigit ora capiſtro,
Quem totiens texit perituri ciſta Latini,
Quid; quod antiquis vxor de moribus illi
Quaeritur ô medici mediam pertundite venam
Delitias hominis Trapeium limen adora.
Pronus, & auratam Iunoni caede iuuencam.
Si tibi contigerit capitis matrona pudici,
Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
Quarum non timeat pater oſcula: necte coronam,
Poſtibus, & denſos per limina necte corimbos;
Vnus Iberinae vir ſufficit? ocius illud
Extorquebis. vt haec oculo contenta ſit vno,
Magna tamen fama eſt cuiuſdam rure paterno
Viuentis. viuat Gabiis vt vixit in agro:
Viuat Fidenis, & agelo cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Spelancis? adeo ſenuerunt Iupiter & Mars?

PERITVRI CISTA LATINI.] Latinus Domitiani Mimus, vt ſcribit Tranquillus vxorem ſummitebat his quorũ delationem apud Imperatorem timebat. hic ponitur pro eo cuius vxor mœcha eſſet. PERITVRI. Epitheton Latini, qui ſemper timebat ſe periturum delationibus apud Domitianum: non quod Poſthumus fuerit adulter Thymeles, ſed vt dixi, per Latinum quem ſummittere vxorem ad placandos alios quos timebat notiſſimum erat: ſimpliciter oſtendit Poſthumum eſſe adulterum.

MEDIAM VENAM.] Media fronte prominentem: nam furentes emiſſo inde ſanguine leuantur.

IVVENCAM AVRATAM.] Cornibus auratis, quod primus Homerus docuit in Odyſſea, accerſito Fabro à Neſtore, qui aurum cornibus victimae infunderet idem ſeruatum fuiſſe teſtatur Plinius: quod Zoilus quoque noſter à nobis acceptum recitat, mutilatũ & imperfectum.

IVNONI.] Virgilius: *Iunoni ante omnes*, &c. Colebatur item Iuno Iugis in vico iugario non iugulario, vt eſt apud Liuium quod ſcribit Feſtus, ita appellatam quod nubentes coniugeret: hinc ſuſpicatus eſt Seruius ex Varronis teſtimonio, nubentes ſub iugum mitti ſolitos uiſſe.

CERERIS VITTAS.] Alii de virginibus intellexerunt & ſacerdotibus Cereris, ſed non placet: poterant enim nominare virgines Veſtales, quarum pudicitia eſt notior: de matronis mea ſententia intelligit, quae anniuerſarium Cereris celebrabant. nam ſolis matronis id licebat, ait Iuuenalis, inter matronas nullam eſſe pudicam, quamuis olim habitae ſint pudiciſſimae, vt illud Valerij ad pudicitiam.

te cuſtode matronalis ſtola cenſetur, id eſt in pretio eſt. Ouidius.

Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris:

Præterea. *—ſubmouimus omnes*

Quas ſtola contingit ſumptaque vitta vetat.

Liuius: *Sacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum eſt, quia nec lugentibus facere id fas eſt, nec ulla illa tempeſtate matrona luctus expers fuerat.*

PAVCÆ ADEO. c. v. c. D.] Periphraſis eſt matronarum, id eſt paucæ ſunt matronæ: Fidentinus Clunicus cum hoc à nobis accipiat, vt furtum diſſimulet, longam verborum ſeriem de pudicitia ex Valerio recitat, ſed tam imperite, vt cum perueniat ad ea pauca verba, quæ nos protulimus in argumentum pudicitiæ matronalis, *te cuſtode matronalis ſtola cenſetur*, ille hæc omittat, miſer & rudis.

NON TIMEAT OSCVLA.] Nam occurrentes affines oſculabantur veteri inſtituto, quod ſcribit Plutarchus in quæſtionibus. Et viri amicos cum mane ſalutabant. Tiberius vero quotidiana oſcula edicto prohibuit quod poſtea abrogatum eſt.

IBERINAE.] Pro muliere quæ in vrbe agat accipitur hoc loco.

GABIIS.] Vbi eruditi ſunt Romulus & Remus. ſi Dionyſio credimus, de hoc alibi plura.

FIDENIS.] Fidenæ liberi iuris erant ante vrbem conditã, nec enim Albæ parebant, vt etiam Antennæ, Colatia, Lauinum, Fidenates: venerunt autem in ditionem quamuis aliquando tentauerint hoſtem perterrefacere nouo commento: nam furiali habitu in aciem proceſſeruut, vt ſcribit Florus.

Porticibusne tibi monſtratur fœmina voto,
Digna tuo cuneis an habent ſpectacula totis
Quod ſecurus ames; quodque inde excerpere poſſis?
Chironomon ledam molli ſaltante Baſillo.
Tuſcia veſcæ non imperat: Apula gannit
Sicut in amplexu, ſubitum & miſerabile longum
Attendit Thymele, Thymele tum ruſtica diſcit.
Aſt aliæ quoties aulæa recondita ceſſant,
Et vacuo clauſoque ſonant fora ſola theatro,

PORTICIBVS] De porticu Pompei & Iſidis intelligit, quo mulieres conueniebant: Martialis.

Cur nec Pompeia lentus ſpeciatus in vmbra,

Nec petit Inachidos limina, ne futuat:

Idem apud Ouidium de porticu Liuia.

CVNEIS.] Nam ſpectatores ſuis ordinibus ſpectabant, qui appellabantur cunei, Tranquillus *quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtres, ac ſenatorij ordinis pronunciauit.*

CHIRONOMON LEDAM.] Ego hunc locum præter aliorum ſenten-

tiam interpretabor: quamuis Fidentinus clunicus tentauerit hoc nobis quoque preripere: ſed tamen ſuam opinionem non intelligit, quã max me probat: meam verò confundit, quam male recitat: Ergo Fidentine clunice vt diſcas, qui putaſti ſubitum, miſerabile, longũ dici de membro virili ſaltatoris & ledam eſſe nomen proprium mulieris tẽporum Iuuenalis: te aliter docui, ſed male accepiſti: Audi iterum: ſed præceptorem tuum poſtea conſule, cum quo multis annis & ſumma familiaritate delirare didiciſti. Chironomia ſignificat manuũ geſticulationem à χειρ quod eſt manus & νόμος lex: ſunt enim motus quidam preſcripti, quibus ſaltantes manibus vtũtur, quod præſertim in Græcorum vſu fuit: hoc eruditionis genus laudatur apud illos, quod ſcribit Fabius. Iuuenalis verò allaturus cauſas quare mulieres ſunt impudicæ: id fieri ait ſpectaculis laſciuiſſimorum ludorum, quos ſcilicet edebat Domitianus: primum omnium mollem ſaltationem exhiberi ſolitam oſtendit: nam olim Pirrhica & ſaltatio armata ſola in theatro exercebatur, integris vrbis moribus: Sed poſtea Gaditani modi & molliſſimæ Græcorum ſaltationes receptæ fuerunt per luxum temporum: illi autem eas in plura diſtinguunt genera, vt ἰκατιείδας & θερμάστριδας χειρονόμους. quæ manuum geſtu ſit θερμαστρις quæ pedum λάκτισμα quæ calcibus ad humerum iactis à mulieribus fiebat: in chironomia autem alij geſtus dicebantur ſubiti: alij miſerabiles: alii longi: veluti in dithyrambicis, alius χεὶρ κατὰ πλατῆς. alius ξύλου παράληψις: alius σιμὴ χείρ.

Leda.] Nomen proprium ſaltationis eſt quæ chironomia repreſentabatur, & Titius vt autor eſt Cicero ſaltationis nomen eſt: ait igitur mimo aliquo ſaltante ledam ſaltationem per Chironomiam ſpectantes mulieres emolliri & corrumpi. Ledam chironomon id eſt, Ledam ſaltationem, quæ chironomia fit.

Bathyllvs.] Puer amatus ab Anacreonte, vt ſcribit Horatius. Bathylli item populi ſeptentrionales, vt ſcribit Ptolemæus: Bathyllus item virga ferrea, vt eſt apud Plinium; quamuis Porphyrio apud Horatium aliter ſit interpretatus, hic pro molli ſaltatore.

Tvscia.] Virgo veſtalis quæ hauſta aqua cribro ex Tyberi ſuſpectam pudicitiam probauit. Tvscia, id eſt mulier quæ etiam ſit altera Tuſcia.

Non imperat vesicae.] Non abſtinet pruritu libidinis.

Svbitvm, miserabile, longvm.] Id eſt Thymele quæ hic ponitur pro quacunque muliere, quæ ſaltationibus oblectatur, vt ante diximus, attendit & obſeruat ſingulos geſtus Chironomiæ, & ſubitos, & miſerabiles: & longos hæc erant nomina geſtuum tanquam diſcat: hæc accepimus ex Iulio Polluce, quo autore hunc locum ita intelliximus.

Thymele tvnc rvstica discit.] Per irriſionem legendum, quaſi dicat, obſeruat ſingulos motus ſaltationum, atque ita diſcit.

Atque à plebeis longe Magaleſia, triſtes
Perſonam, thyrſumque tenent, & ſubligar arci.
Vrbicus exodio riſum mouet Attellanæ
Geſtibus Autonoes: hunc diligit Ælia pauper.
Soluitur his magno comœdi fibula: ſunt quæ
Chryſogonum cantare vetent: Hiſpulla tragœdo
Gaudet. an expectas, vt Quintilianus ametur?
Accipis vxorem de qua citharœdus Echion
Aut Glaphirus fiat pater, Ambroſiuſque choraules.
Longa per anguſtos figamus pulpita vicos:
Ornentur poſtes, & grandi ianua lauro,

SVBLIGAR.] Indumentum athletæ ad virilia tegenda & compeſcendam libidiné, quod in olympico certamine Olim ſumptum eſt, vt ſcribit Thucydides. Athenięſes verò eodẽ autore nudis corporibus vncti oleo primi in gymnaſio ſe exercuerunt. Aliæ inquit quotiens ludi ceſſent theatrales, & ludi Circenſes longe ſunt à plebeis: id eſt quotiens ludi circenſes perfecti ſunt, & ab his diſceſſerunt plebei. nam plebs ludis circenſibus in primis oblectabatur, & ſacrum populare à Martiale appellatur, quod gratum ſit populo. alibi Iuue.

Nam ſi deficeret mœſtam attonitamque videres.
Hanc vrbem.

MEGALESIA.] Dicti à μεγάλη quod ſignificat magna: nam magnæ matri erant dicati à Marco Iunio Bruto, vt ſcribit Liuius. Quid garriunt nonnulli, quod diſcedentibus plebeis nobiles manerent, immo diſcedentibus plebeis ceſſabant ludi; quia in plebis gratiam exhibebantur.

VRBICVS.] Pompeius apud Tacitum, *vrbicus infans* apud Martialem. Hic mimus exodiarius: nã exodia, vt ante dictũ eſt, Attellanis fabulis erant inſerta ridicula continentia.

ÆLIA.] Pro muliere paupere hic ponitur: nam Æliorum familia pauperrima fuit, adeo vt xvii. Ælij eodem tempore domunculam eandem habitauerint, vnum tantũ habentes agrũ Veientanum, & locũ ſpectandi in circo: Ex eadem familia Ælia fuit, quæ fauente Narciſſo ſtuduit præferri Agrippinæ & Iuliæ Paulinæ in Claudij Imperatoris matrimoniũ, autores ſunt Valerius, Porphirio, Cornelius Tacitus.

FIBVLA.] Vtebantur comœdi & citharœdi; non tam vt velarent pudenda, quam vt à coitu comprimerentur, ne eo raucelſerent: ſed mulieres in vetitum nitentes hos ad coitum magno precio conducebant, Martialis:

Dic mihi ſimpliciter comœdis & citharœdis
Fibula quid præſtat? carius vt futuant.

HISPVLA.] Epiſtola Plinij nota mulier: nam eius fratris filia Plinio nupſerat.

nupſerat integris moribus & pudicitia fœmina: Plinius. *Nec aliud decet manibus tuis educatam, tuis præceptis inſtitutã, quæ nihil in contubernio tuo viderit niſi ſanctum honeſtumque.* Ponitur igitur Hiſpula vt ſupra Tucia pro muliere, quæ pudica venerit in ſpectacula, ſed illic corrumpebatur: quod autem amarent comœdos, Martialis:

Comœdi tres ſunt, ſed amat tua Paula Luperce, Quatuor.

ECHION]Citharœdus Thebanus vnde Thebæ Echioniæ, is fuit ſocius Cadmi: vt ſcribit Ouidius, hic pro citharœdo tantum.

GLAPHIRVS.]Citharœdi nomen etiam apud Martialem:

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphiro.

Alibi. *Plus habuit Glaphirus plus Philomelus habet.*

CHAVROLES.] Chorolæ à Græcis à noſtris tibicines appellantur: χόρος enim chorum ſignificat, & αὔλος tibiã, magna olim æſtimatione, & mẽſis principum gratá. Tranquillus de Galba: *Cano*, inquit, *Chaurolæ mire placẽti ſuper cœnam denarios quinque donauit.* Idem Plutarchus in Galba. in hoc genere claruerunt Iſmenias, Dionyſius, Nicomachus. AMBROSIÆ autem dapes principum dicebantur, quibus exhilarandis quoniá adhibebatur Choraules Ambroſius appellatur à Iuuenale. Quam turpiter errat preceptor Fidentini, quá pueriliter inſanit bone Deus! Ait enim Chorauléaccipi pro proprio nomine: Idq; affirmat Tranquilli teſtimonio in Nerone, qui ſcribit, *eum vouiſſe ſe proditurum*, hoc eſt ſe exhibiturum, *hydraulẽ & choraulem, & vtricularium.* hic inuertens legit *periturum*: id eſt necaturum *Choraulem*, quem accipit pro nomine proprio.

Vt teſtudineo tibi, Lentule, canopeo.
Nobilis Euryalum, aut Mirmillonem exprimat infans
Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum
Ad Pharon, & Nilum famoſaque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores vrbis, damnante Canopo.
Immemor illa domus, & coniugis atque ſororis,
Nil patriæ indulſit, ploranteſque improba natos,
Vtque magis ſtupeas, Paridem, ludoſque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna
Et ſegmentatis dormiſſet paruula cunis,
Contempſit pelagus, famam contempſerat olim,
Cuius apud molles minima eſt iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, lateque ſonantem
Pertulit Ionium conſtanti pectore, quamuis
Mutandum totiens eſſet mare: iuſta pericli
Si ratio eſt, & honeſta, timent pauidoque gelantur
Pectore, nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis.
Fortem animum præſtant rebus quas turpiter audent.
Si iubeat coniunx durum eſt conſcendere nauem,
Tunc ſentina grauis, tunc ſummus vertitur aer

Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. illa maritum
Conuomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarſit forma, qua capta iuuenta eſt
Hippia, quid vidit, propter quod ludia dici
Suſtinuit? nam Sergiolus iam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, ſicut
Attritus, galea, mediiſque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum ſemper ſtillantis ocelli,
Sed gladiator erat. facit hoc illos hiacynthos
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa ſorori,

CONOPEVM.] Velum erat quo in Ægypto ad arcendos culices vtebantur: vt ſcribũt Herodotus & Porphyrio. Ego vero puto deſignari opus topiarium, id eſt cum ſerpentibus & textis ramis cubiculi camerati ſpecies effingitur, vt ex Plinio diſcimus, tu ornas inquit fores ramis in ſpeciem topiarij, vt tibi naſcatur filius vel mirmillo vel retiarius, quaſi dicat, vt tibi ſit adulter in tanto apparatu gladiator: nam poſt citharœdos, iam ait gladiatorem amari à mulieribus. LENTVLVS.] Bardiacus, laniſta fuit Plutarchi teſtimonio nobiliſſimus. hic pro quocumque laniſta accipitur, tu inquit ô Poſthume, Lentulus eris Bardiacus: paulo poſt, & habebis familiam gladiatorum: nam tibi naſcentur retiarij & mirmillones.

EVRIALVM.] Eurialus, nomen retiarij.

MIRMILLONEM.] Is dicitur qui pugnat aduerſus retiarium, in cuius galea piſcis effigies inerat, vt ſcribit Feſtus; & Tranquil. multis in locis oſtendit.

NVPTA SENATORI.] Fabritio Veientono.

CANOPO.] Canopus gubernator Menelai nomen loco dedit: ibi feſſa eſt, vt ſcribit Strabo nocte dieque plena cymbarum, in quibus mulieres impudenter canunt & laſciuiunt, vt docuimus apud Syllium. Papinius:

Curue Therapnæi laſciuia tota Canopi.

LVDOS.] Scilicet Circenſes quibus tota vrbs tenetur. hoc autem dicit in inuidiam Domitiani, vt etiam Paridem taxet.

SERGIOLVS IAM RADERE GVTTVR.] Ego ita intelligo Sergiolum exuiſſe omnem formam, cum barba ad guttur iam perueniſſet, atque illic raderetur: tunc enim os plane erat virile: ſed tamẽ vt inquit videntur Narcyſſi & Iacynthi: quia ſunt gladiatores, quod affertur à nonnullis de raſitationis tempore ex Aulo Gellio non conuenit, ita vt ſit contrarium.

REQVIEM.] Id eſt miſſionem, quam gladiatores impetrare ſolebant membro aliquo mutilato: Martialis.

Nuper cum Myrino peteretur miſſio læſo.

Atque viro. ferrum eſt quod amant, hic Sergius idem
Accepta rude cœpiſſet Veiento Videri.
Quid priuata domus, quid fecerit Hippia curas.
Reſpice riuales diuorum: Claudius audi
Quæ tulerit. dormire virum cum ſenſerat uxor,
Auſa Palentino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix auguſta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abſcondente galero,
Intrauit callidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam tunc nuda papillis
Conſtitit auratis titulum mentita Lyciſſæ,
Oſtenditque tuum generoſe Britannice ventrem,
Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit:
Mox, lenone ſuas iam dimittente puellas,
Triſtis abit: ſed quod potuit tantum vltima cellam
Clauſit adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ,
Et laſſata viris nondum ſaciata receſſit
Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.
Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum
Priuignoque datum? faciunt grauiora coactæ
Imperio ſexus, minimumque libidine peccant.
Optima ſed quare Cenſonia teſte marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam,

FERRVM.] Id eſt gladiaturam: Tranquillus de Nerone exhibuit ad ferrum, id eſt ad gladiaturam. FERRVM EST QVOD AMANT.] Quaſi dicat, hos amant, non quia formoſi ſunt, aut diuites, aut nobiles, ſed tantum quoniam ſunt gladiatores: perditæ enim nonnullæ hoc genus diligunt.

SERGIOLVS.] Dictus in Sergij eius monumentum, qui & ipſe autore Valerio matronam promiſſis pecuniis corrumpere tantauerat damnatus à Metello Celere.

RESPICE RIVALES DIVORVM.] A Meſſalina eſt exemplum de impudicitia, de qua hæc Plinius. *Cæteris ſatietas in coitu, homini prope nulla. Meſſalina Claudij Cæſaris coniunx regalem exiſtimans palmam certam, elegit nobiliſſimam ex proſtitutis ancillam mercenariæ ſtipis, eamque die ac nocte ſuperauit*

quinto & vicesimo concubitu: & Tacitus, *Iam Meſſalina facilitate adulteriorum in faſtidium verſa ad incognitas libidines pro fluebat*, de hoc plura paulo poſt dicemus.

TEGETEM.] Fornicem meretrici um.

VNA ANCILLA.] Quam elegerat in certamine libidinis.

FLAVO CRINE.] Nam matronis nigri crines dabantur, vt nigri calcei nobivlibus, vt diximus copioſius in commentariis Martia.

TITVLVM.] Nam cellæ meretriciæ inſcriptæ erant ſuis nominibus Mart. *Inſtraſti quotiens inſcripta limina cellæ.*

GENEROSE BRITANNICE.] Britannicus & Octauia nati ſunt ex Claudia Meſſalina, Britannicum nominat in Claudij deriſionem, qui cum filium in delitiis habebat, ſæpeque ſuis geſtabat manibus, & plebi inter ſpectacula frequenter commendabat. BRITANNICE.] Qui. ſ. in tantis delitiis es.

FOEDA.] Mar. de Læda meretricæ,

Quod ſpurce moriens lucerna Ledæ.

HIPPOMANES.] Vt Plinius ſcribit, Cato eſt in fronte pulli equini caricæ magnitudine, colore nigro, quod ſtatim ædito partu deuorat, alioquin partum ad vbera non admittit, id ad amoris beneficium inaſcitur. eſt item Hippomanes virus ſtillans ex inguine equæ: eſt præterea frutex, vt ſcribit Theocritus in cantatione bucolica, quo equæ inſaniunt ἵππος equum μανία furorem. deſtillantem nunc intelligit, cum addat *priuigno*. Virgilius de hoc,

—quod ſæpe male legere nouercæ.

Ariſtoteles de Hippomane ait de eo ambigi quum alij ſtillans ex inguine equæ, alij innatum fronti pulli equini tradiderunt.

OPTIMA.] Oſtendit nullam diligi propter pudicitiam: ſed aut magnitudine dotis, aut forma.

Nec pharetris Veneris macer eſt, aut lampade feruet:
Inde faces ardent, veniunt à dote ſagittæ.
Libertas emitur: coram licet innuat atque
Reſcribat, vidua eſt locuples, quæ nupſit auaro.
Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum, excutias, facies non vxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſi cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculiſque minores:
Collige ſarcinulas dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis, & ſæpe emungeris, exi
Ocius & propera, ſicco venit altera naſo.
Interea calet & regnat, poſcitque maritum
Paſtores & ouem canuſinam, vlmoſque falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergaſtula tota,
Quodque domi non eſt, & habet vicinus ematur,
Menſe quidem brumæ, cum iam mercator Iaſon

Clauſus, & armatis obſtat caſa candida nautis,
Grandia tolluntur chryſtallina, maxima rurſus
Myrrina: deinde adamas notiſſimus, & Beronicis
In digito factus precioſior, hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.
Nulla ne de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formoſa, decens, diues, fæcunda, vetuſtos

MERCATOR IASON.] Iaſonẽ poſuit pro omni negociatore qui nauigat. ET CASA CANDIDA.] Id eſt niuibus conſperſa inditium hyemis ſequientis, inepti multi hoc loco ambages fingunt & congerũt, cum ſimpliciter dicat hyeme impediente nauigationem negotiatoris, maritum ab vxore cogi nauigare in externas nationes, vt emat ornamenta.

CHRYSTALLINA.] Chryſtallum ex glace concreari putauit antiquitas κρύος, nam gelu ſignificat, Ex eo pocula fiebant maximo luxu, de quibus Plinius in vltimo ſcribit, MYRRINA, item ex humore condenſato ſub terram conflabãtur. primus Pompe. id poculorum genus attulit: Petronius vnũ tercẽtum ſeſtertiis emit. Chryſtallum etiã ex Ægypto. Martia.

Quum tibi Niliacus portet Chryſtalla Cataplus.

ADAMAS NOTISSIMVS, ET BERONICIS &c.] Adamas diu non niſi regibus, & iis admodum paucis cognitus fuit: in Æthiopibus tantum naſci putabatur inter delubrum Mercurij & inſulam Meroem, vt ſcribit Pli. idem tanti precij vt gaudium diuitiarum decerentur. Cum igitur Iuue. velit oſtendere adamantẽ regibus tantum in vſu fuiſſe, vt ſcribit Pli. & locum deſignare vnde mittebatur, ait Adamantem peti, qui notiſſimus eſt, hoc eſt quod genus lapidis notiſſimum eſt geſtatione Beronicum reginarum, earum vtraque fratri nupſit: nam Ptole. Beronicem Ptolemæi & Ariſtonis filiam duxit, cuius crines in cœlum relati putantur, perſuaſione etiã Cononis mathematici, id Calimachus ſcripſit carmine elegiaco, quod ad verbum interpretatus eſt Catul. Altera Beronicæ Herodis filia nupſit. Agrippæ fratri.

Fuerunt item aliæ, quarum vnius meminit Pli. in vltimo.

BARBARVS.] Ptolemæus, dedit ſorori inceſtæ, quæ ei nupſerat. Catullus ex Calimacho.

At tu non orba luxti deſerta cubile,
Sed fratris cari flebile diſcidium.

DEDIT HVNC.] Id eſt, hoc genus lapilli, ſcilicet, adamantem, nam quod confingunt nonnulli de quodam adamante, & vanitatis ſuæ teſtes afferunt grauiſſimos authores cum nihil de eo ſcribant, me ab hac ſententia non deterent. HVNC.] non hunc intelligas, quem ſibi afferri iubent vxores à maritis. quomodo enim omnes vnum eum adamantem petere potuiſſent, ſed hunc expone, id eſt, hoc genus lapilli, quaſi

dicat talis lapillus à reginis tantum ſolet geſtari, quales fuerunt duæ Berenices. & Pli. vt diximus ait, *adamas diu non niſi regibus, & iis admodum paucis cognitus.*

SABBATA MERO PEDE REGES.] Nudis pedibus incedunt, vt ſcribit Diodorus. Sabbatũ lingua eſt Iudeorum, ſignificatque quietem: nã dux Iudeorum Moyſes, cuius meminit Stra. Tacitus & Tro. montem Synai occupauit, in quem venerat per deſerta Arabiæ magna fame & ſiti, tandem inuento frumento & aquam ſeptimo die recreati ſunt: vnde ſabbatũ, id eſt, diem quietis dixerunt, qui in omne æuum ieiunio à Moyſe ſancitus eſt, vt tradit Tro. Apion vero ſcribit ſabbatũ appellatum: quod Iudæi labore feſſi eo die dolore ſplenis correpti ſunt, à ſabbo quod ſplenem ſignificat ſabbatũ deduci. Fiden. vero cum hoc à nobis acciperet, *Apianum* dixit pro *Apion*: quoniam ſcilicet, & neutrum legit, & quod à nobis accipit ita confundit, vt plane vbique ignorantia ſuam & præceptoris ſcelus prodat. alibi plura de hoc dicemus.

Porticibus diſponat agros, intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina.
Rara auis in terris, nigroque ſimillima cygno.
Quis feret uxorem, cui conſtant omnia malo?
Malo venuſinam quam te Cornelia mater
Gracchorum: ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras cum dote triumphos.
Tolle tuum precor Hannibalem, victumque Syphacem
In caſtris, & cum tota Carthagine migra.
Parce precor, Pæan, & tu depone ſagittas:
Nil pueri faciunt, ipſam configite matrem,
Amphion exclamat: ſed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipſumque parentem
Dum ſibi nobilior Latonæ gente videtur:
Atque eadem ſcropha Niobe fœcundior alba:
Quæ tanti grauitas, quæ forma, vt ſe tibi ſemper
Imputet? huius enim rari ſummique voluptas
Nulla boni, quotiens animo corrupta ſuperbo
Plus aloes quam mellis habet. quis deditus autem,
Vſqueadeo eſt vt non illam quam laudibus effert
Horreat, inque die ſeptenis oderit horis?
Quædam parua quidem, ſed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat vlla
Formoſam, niſi quæ de Thuſca græcula facta eſt,
De Sulmonenſi mera Cecropis? omnia Græce,

Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.
Hoc ſermone pauent,hoc iram,gaudia curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta: quid vltra?
Concumbunt Græce.dones tamen iſta puellis:
Tu ne etiam quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat adhuc Græce,non eſt hic ſermo pudicus
In vetula,quotiens laſciuum interuenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή modo ſub laudice relictis
Vteris in turba:quod enim non excitet inguem

PORTICIBVS DISPONAT AVOS.] Nam imagines maiorum in atriis diſponebantur,quæ ad funus alicuius gentilis proferebantur.

SABINA.] Nam Sabinæ bellum inter Romulum & Tacitum diremerunt, notiſſima hiſtoria,& hæ laudantur à caſtitate, vt Patauinæ à frugalitate,autor Plinius in epiſtolis.

MALO VENVSINAM.] Alludit ad carmen Horatij,quo collaudat Apulas & Sabinas.

CORNELIA MATER.] Hæc olim habebatur inſignis pudicitiæ. Scipionis Africani filia,nupſit Cornelio Graccho,cui genuit.C.& Tyberiũ Gracchos ad vtriuſque filij eloquentiam plurimum contulit præceptis ſuis,vt ſcribit Quintilianus. His ſublatis per ſeditionem popularem Miſſenum præ dolore conceſſit : ex hac exemplo vritur Iuuenalis ſuperbiæ matronarum,quoniam,vt ſcribit Plutar.ei gratiſſimum fuit facta Scipionis patris commemorare & iactare.

SYPHACEM.] Vicit Scipio in caſtris vna cum Haſdrubale Numidarum regem eadem nocte, cum prius cõiunctus amicitia per nuptias abalienatus eſſet,ſcribunt Liuius & Syllius.

PARCE.] Amphion vxorem Niobem habuit,quæ quatuordecim filiis fœcunda Thebanas mulieres Latonæ ſacrificantes redarguit, iuſſitque ſibi exhiberi ſacra: quoniam eſſet anteponenda Latonæ. Diana & & Apollo iniuria materna commoti Niobes filios confixerunt ad vnũ ſagittis:quo dolore mater in ſyplum ſaxum verſa eſt.Gellius de numero filiorum Niobes varias refert ſententias. Iuuena. hanc inſerit fabulam,vt mulierum ſuperbiam redarguat.

SCROPHA,ALBA.] Quæ peperit triginta porcos Æneę,quorum ſimulacra poſita ſunt in publico ab Ænea iuxta Albam,in loco qui Tugurium dicebatur,& mater ſcropha ſingulis annis oſtendebatur à ſacerdotibus ex adyto. autores ſunt Varro & Dionyſius.

RANCIDIVS,] Mulieres,quæ blandæ videri volebant Laidis ſcorti antiquiſſimi æmulatione verba Græca vſurpabant,quib.etiã inculcabant. obſcœna. id autem carpit Iuuenalis,in anu præſertim vt etiam Mart. in Geliam,*Cum tibi non Epheſus aut ſit Rhodos.*

Vox blanda,& nequam,digitos habet?tamen omnes
Subſidant pennæ,dicas hæc mollius Hæmo,
Quamquam & Carpoforo facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
Non es amaturus,ducendi nulla videtur
Cauſa,nec eſt quare cœnam,muſtatia perdas
Labente officio,crudis donanda: nec illud,
Quod prima pro nocte datur,cum lance beata
Datius,& ſcripto radiat Germanicus auro.
Si tibi ſimplicitas vxoria,deditus vni
Eſt animus,ſubmitte caput ceruice parata
Ferre iugum:nullam inuenies quæ parcat amanti.
Ardeat ipſa licet,tormentis gaudet amantis,
Et ſpoliis.igitur longe minus vtilis illi
Vxor,quiſquis erit bonus optanduſque maritus.
Nil vnquam inuita donabis coniuge,vendes
Hac obſtante nihil:nihil hæc ſi nolet emetur,
Hæc dabit affectus:ille excludetur amicus
Iam ſenior,cuius barbam tua ianua vidit.
Teſtandi eum ſit lenonibus atque laniſtis
Libertas,& iuris idem contingit arenæ,
Non vnus riualis tibi dictabitur hæres.
Pone crucem ſeruo.meruit quo crimine ſeruus
Supplicium? quis teſtis adeſt?quis detulit? audi
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa eſt.
O demens,ita ſeruus homo eſt?nil fecerit,eſto:
Hoc volo,ſic iubeo,ſit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro,ſed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos,& flammea conterit:inde
Aduolat,& ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulo ante fores pendentia linquit
Vela domus,& adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus,ſic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos,titulo res digna ſepulchri.

HÆMO.] Comœdo & magiſtro pſaltriarum.Papini.
Huc intrant faciles Hæmi puellæ.

CARPOFORVS.] Notus carmine. Mart. fortiſſimus, hic vero Comœ-

Comœdus fuit.

SI TIBI.] Argumentum bipartitum quo oſtendit vxorem non ducendam eſſe, aut, inquit, es amaturus eam, aut non: ſi non amabis quare vis fruſtra conſumere nuptias, & inire impenſam temere? ſi amabis multis afficieris incommodis & eris ſeruus.

DACIVS.] Domitianus, qui Dacos vicit.

ET GERMANICVS.] Idem Domiti. qui a Germania deuicta ſedatis ſeditionibus Lu. An. Germanicus eſt appellatus: in aſſentationem autem temporum Imperatores in populis effingebantur.

SI TIBI SIMPLICITAS.] Id eſt, ſi omnino ſimpliciter vis amare vxorem.

RIVALIS DICTABITVR.] Id eſt, dictabit tibi ſcribenti teſtamentum nomina eorum, a quibus amatur, vt ſcribas eos hæredes.

ITA SERVVS HOMO EST.] Negat ſeruum eſſe hominem inſolentia & ſuperbia ſua, quod affertur ex Macro. de ſeruis nō conuenit: hic enim loquitur ſimpliciter.

OCTO MARITI.] Ad octauum vſque maritum licebat vxori nubere, præterea negabatur. Mar.

Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum.
Picentine.

alibi,

Inſcripſit tumulo ſeptem celebrata virorum
Se feciſſe Cloe.

SIC CRESCIT NVMERVS.] Sic peruenitur ad numerum octo maritorum conceſſum.

Deſperanda tibi ſalua concordia ſocru:
Illa docet ſpoliis nudi gaudere mariti:
Illa docet miſſis à corruptore tabellis
Nil rude, nil ſimplex reſcribere: decipit illa
Cuſtodes, aut ære domat: tunc corpore ſano
Aduocat Archigenem, oneroſaque pallia iactat.
Abditus interea latet, & ſecurus adulter,
Impatienſque moræ pauet, & præputia ducit.
Scilicet expectas vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores quàm quos habet? vtile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla fere cauſa eſt in qua non fœmina litem
Mouerit, accuſat Manilia ſi rea non eſt.
Componunt ipſæ per ſe, formantque libellos,
Principium, atque locos Celſo dictare paratæ.

Endromydas Tyrias, & fœmineum ceroma.
Quis neſcit, aut quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat aſsiduis ſudibus ſcutoque laceſſit,
Atque omnes implet numeros, digniſsima prorſus
Florali matrona tuba, niſi ſiquid in illo

DECIPIT CVSTODES.] Nam adhibebantnt cuſtodes: mater autem docet filiam admittere adulterum cuſtodum occulis deceptis, vel certe his corruptis pecunia.

DOMAT.] Id eſt docet corrumpere pecuniam, ſi minus aliter poteſt fallere.

ADVOCAT ARCHIGENEM.] Hæc eſt vna via fallendi oculos cuſtodum, Archigenem pro quocumq; medico. Mart.

Vxorem Caridemetuam ſcis ipſe, ſinisque
A medico futui

PALLIA ONEROSA.] Id eſt, vult oſtentate veſtes, quas induunt ęgroti. Martialis,

Zoilus ægrotat, faciunt hanc ſtragula febrem.

Scilicet ille morbum ſimulans volebat oſtentare.

ABDITVS.] Ad illud *domat ære*, ſcit enim corruptis pecunia cuſtodibus habere rem cum medico ſi aliter non poteſt.

MANILIA.] Hæc meretrix fuit, quæ vt Gellius ſcribit ab Hoſtilio Mācino Ædile curuli accuſata, quod ambulās ex domo eius noctu lapide ictus eſſet, prouocauit ad Tri. Pl. illumque eſt recriminata, quod vi in domum irrumpere voluiſſe, & cum lapidibus depuliſſet: hic pro muliere litigioſa ex eo nomine accipitur.

CELSO.] Cornelius Celſus temporibus Auguſti floruit, libroſque edidit de re militari, re ruſtica, medicina, ratione dicēdi: huius tamen rhetoricen multis in locis damnat Quintilianus, & in fine ſcribit eum fuiſſe mediocri ingenio, & tamen dignum propoſito ſuo vt omnia ſciſſe putetur: hic pro rhetore acutiſſimo accipitur.

ENDROMYDAS.] Nunc reprehendit gymnaſium mulierum: nam cum ſolis viris, & iis quidem molliſſimis exerceri in gymnaſio datum eſſet, mulieres eaſdem artes exercebant, endromis veſtis quæ in gymnāſio ſumebatur verbo Græco ita dicta: tamen ex Gallia texta aliquando mittebatur, parui quidem percij. ſed tamen in vſu luxurioſorum, Martia.

Pauperis eſt munus, ſed non eſt pauperis vſus.

Pollux vero apud Græcos ait endromidem eſſe genus calciamenti, quo currentes vtebantur in ſtadio à δρόμος quod curſum ſignificat.

PER SE.] Id eſt non adhibito pragmatico. nam pragmatici libellos litigantibus dictabant.

CEROMA.] Vnguentum paleſtritarum, de quo in commentariis Marti. ſatis diximus: hic pro paleſtra. Martia. in Philenem, *& putri luculenta de paleſtra.*

VVLNERA PALI.] Exercebantur tyrones ad palum, vt ſcribit Vegetius; exercebatur item in gymnaſio, Mar.

— aut nudi ſtipitis ictus hebes.

IMPLETVR NVMERVS.] Nihil omittit ex legitima exercitatione.

FLORALI TVBA.] Nam in floralibus, de quibus Ouidius, nudabantur, vt ſcribit Valerius.

Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à ſexu vires amat? hæc tamen ipſa
Vir nolet fieri, nam quantula noſtra voluptas:
Quale decus rerum ſi coniugis auctio fiat,
Balteus, & manicæ, & criſtæ, cruriſque ſiniſtræ
Dimidium tegmen? vel ſi diuerſa mouebis
Prælia tum fœlix ocreas vendente puella.
Hæ ſunt quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delitias & panniculus bombicinus vrit.
Aſpice quo fremitu monſtratos præferat ictus,
Et quanto galea curuetur pondere, quanta
Poplitibus ſedeat, quam denſo faſcia libro,
Et rude ſcaphium poſitis cum ſumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi cæciue Metelli
Gurgitis aut Fabij, quæ ludia ſumpſerit vnquam
Hos habitus? quando ad palum gemit vxor Aſili?
Semper habet lites alternaque iurgia lectus
In quo nupta tacet: minimum dormitur in illo:
Tunc grauis illa viro: tunc orba tigride peior,
Tunc ſimulat gemitus occulti conſcia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Vberibus ſemper lachrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque ipſis expectantibus illam
Quo iubeat manare modo, vt credis amorem
Tu tibi tunc corruca places, fletumque labellis
Exorbes, quæ ſcripta, & quot lecture tabellas
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ.

VERÆ ARENÆ.]Hoc irridendo dicit:fortaſſe inquit exercentur ad palum, vt ita gladiaturam diſcant, quam aliquando exhibebunt in harena vero certamine. Fidentinus verò multa à nobis accepta cõfundit, nec intelligit, quamuis pro ſuis recitet.

DIMIDIVM TEGMEN.] Hoc eſt quod ait Virgilius: Hernicos veniſſe in bellum crure ſiniſtro nudo, hoc eſt ſemitecto & altero nudo, in quo mutuatus eſt verſus Euripidis ex Meleagro, qui duces in aciem deſcendentes eo armaturæ genere deſcribit, vt docet Macro. hoc ait vt inuidioſe oſtendat vxorem omne armorum genus habuiſſe.

OCREAS.] Vtriuſque cruris tegimen, quas inuenerunt Carετes.

CYCLADE.] Cyclas, veſtis muliebris in rotunditate formata, cuius meminit Plautus.

MONSTRATOS.]Dictatos à magiſtro gladiatorum.

DENSO LIBRO.] Id eſt volumine veſtium: nam ſuccinctæ ludebant. Martialis,

Harpaſto quoque ſubligata ludit,

NEPTES.]Nominat treis cenſores, ſed in iudicio aduerſus mulieres citat eorum neptes, hoc eſt ex poſteris, vt mulieres de mulieribus iudicent.

LEPIDI.] De Lepido intelligit, qui bis Conſul fuit & Cenſor cum Flacco.

METELLI.]Metellus cæcus, qui elephantos primo bello Punico oſtendit, & oculos amiſit, cũ Palladium raperet ex ęde Veſtæ bis Conſul, Dictator, Magiſter equitum, Cenſor.

FABII.]Fabius gurges ab Ptolemæo legatus, idem Cenſor.

ASILI.]Gladiatoris, proprium eſt vt Eridanus & Burias apud Pedi. quamuis Fiden. præceptoris doctrina inſtructus ſcribat Aſilium gladiatorem bene in Olympico cucurriſſe. Dio. tradit cũ nec gladiatores vnquam in Olympo fuerint, nec magis currant in certamine, quam Fidẽ. mouuetur, cum incedit ventris mole oppreſſus. Senſus eſt ne vxorem quidem gladiatoris arma aliquando gladiatoria in gymnaſio tractaſſe.

TIGRIDE PEIOR.]Tigris amiſſis catulis in præcipuam ſæuitiam excandeſcit. Papi.

— citius me tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones:

Et vt Plinus ſcribit: *Tunc nota eſt celeritatis.* Flaccus.

— dum ſæua relictis
Mater in aduerſa catulis venenatur Amano.

CVRRVCA.] Apud ſolum Iuuenalem eſt auicula. Plinius prætermiſit. Ariſtoteles appellat hypolaida: hæc oua cuculi fouet. nam cuculus in alieno nido fœtificat: Curruca inde dicuntur viri, qui vxores ab aliis poſſeſſas amplectuntur & fouent, vt curuca oua cuculi ſua eſſe exiſtimat.

ZELOTYPE.]Quæ ſimulat zelotypiam tui.

Sed iacet in ſerui complexibus aut equitis, dic,
Dic aliquem ſodes, dic Quintiliane colorem,
Haremus, dic ipſa, Olim conuenerat, inquit,
Vt faceres tu quod velles, nec non ego poſſem
Indulgere mihi, clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo ſum. nihil eſt audacius illis
Deprenſis, iram atque animos à crimine ſumunt.
Vnde hæc monſtra tamen, vel de quo fonte requiris?
Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomnique breues, & vellere Tuſco
Vexatæ duræque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & ſtantes Collina turre mariti,
Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad Hiſtros
Et Sybaris colles, hinc Rhodos atque Miletos,
Atque coronatum petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles: quid enim Venus ebria curat,
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.
Grandia quæ mediis iam noctibus oſtrea mordet,
Cum perfuſa mero ſpumant vnguenta falerno,
Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.

SED IACET.] Nunc accuſat impudentes, & argutas defenſiones mulierum.

HÆREMVS.] .i. Nos viri neſcimus defendere tam turpem cauſam.

HOMO SVM.] Mulier ſum.

TVSCO VELLERE.] Facere lanam eſt ſeruare pudicitiam: quod fecit Penælope, quæ lanificio & tela procos eluſit. VELLERE TVSCO.] Nã in vico Tuſco lanificium exercebatur: quod indicat Mar. & in eodem ſerica texebantur. Tuſco igitur ex vico Tuſco.

COLLINA.] Nam proximo Hannibale placuit Senatui, vt ſcribit Liuius cõſules inter Collinam & Exquilinam portam ponere caſtra. Sylius de Ro.re in eadem trepidatione.

Hæc tunc Roma fuit: Poſt te cui vertere mores,
Si ſtabat fatis potius Carthago maneres.

VLCISCITVR ORBEM.] Sumit vindictam & ſupplicium luxuria de Romanis: quia vicerunt totum orbem: quaſi dicat, melius fuiſſet non ſuperatum fuiſſe orbem, ne luxuria orbem occuparet.

HISTROS.] Hyſtri ex littore Illyrico occurrunt, domiti olim à Tuditano, ab his miſſi ſunt hiſtriones in vrbem, ſi Pompeio credimus: vt inde apparet eos molliter vixiſſe, quamuis Liuius & Tacitus hiſtrionem ex Hetruria accitum fuiſſe contendant, & ea voce ludionem ſignificari.

SYBARIS.] à Crotoniciſeuerſa eſt ſeptuaginta diebus, amiſitque opes ingentes propter luxum: vt docet Stra. eiuſdem nominis fluuius: vt ſcribit Herodo. Fidentinus labitur miſer & præceps fertur. nam cum Iuuena. dicat luxuriam non fuiſſe illatam ab aliis populis in vrbem, ſed ex vrbe alio fluxiſſe. hic repetit *paupertas fluxit* cum repetẽdum ſit luxuria.

HINC RHODOS ATQVE MILETOS.] Quaſi dicat, aliæ gentes vrbis exemplo luxuriant. RHODOS.]Id eſt luxuria Rhodia ex vrbe Roma. eſt nata. Rhodios fœlices fuiſſe ſcribit Home. Pindarus ex fabula ait auro pluiſſe in eam inſulã: quo tẽpore nata eſt Pallas ex capite Iouis, autor Stra. MILETOS.]Vrbs Ioniæ condita à Neleo, nobilitate cum Epheſeo certat.

TARENTVM.] Tarentini: vt Stra. & Plu. in Pyrrho docent, omnibus delitiis affluentes intra paucos annos factum Imperium amiſerunt. MADIDVM.] Nam illic conuiuia celebrabantur, & ſoluti potus, in quibus ſumebantur coronæ.

VENVS EBRIA.].i. mulier ebria Venerem exercens.

INGVINIS ET CAPITIS.] Reprehendit in mulieribus quod ſint fellatrices & lingant cunnos, quod in Philene notat Mart.

Vndenas vorat in die puellas.

Præterea quod ſint tribades.i. mutuo fricent ſe.

I nunc & dubita qua ſorbeat aera ſanna
Tullia, quid dicat notæ Collactea Mauræ,
Maura pudicitiæ veterem cum præterit aram
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemque Deæ longis ſymphonibus implent,
Inque vices equitant, ac luna teſte mouentur.
Inde domos abeunt, tu calcas luce reuerſa
Coniugis vrinam magnos viſurus amicos.
Nota Bonæ ſecreta deæ, cum tibia lumbos

Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant vlulante Priapo.
Mænades, ô quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus, quæ vox ſaltante libidine, quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens,
Lenonum ancillas poſita Lauſela corona
Prouocat, & tollit pendentis præmia coxæ.
Ipſe Medullinæ frictum criſſantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum ſimulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi iam frigidus æuo.
Laomedontiades, & Neſtoris hernia poſſit,
Tunc prurigo moræ impatiens, tum fœmina ſimplex
Et toto pariter repetitus clamor ab antro.
Iam fas eſt, admitte viros, dormitat adulter,
Illa iubet ſumpto iuuenem properare cucullo.
Si nihil eſt, ſeruis incurritur, abſtuleris ſpem
Seruorum, veniet conductus aquarius, hic ſi
Quæritur, & deſunt homines, mora nulla per ipſam
Quo minus impoſito clunem ſummittat aſello.
Atque vtinam ritus veteres, & publica ſaltem
His intacta malis agerentur ſacra: ſed omnes
Nouerunt Mauri, atque Indi, quæ pſaltria penem

QVA SANNA SORBEAT.] Hoc eſt quo pacto poſſit expirare dum occupata eſt in lingendo cunnum: nam dum lingit naſo tantum reſpirat, ore occupato.

COLLACTEA.] Nomen eſt mulieris lingentis. IMPLENT.] Non intelligo lotium in os Pudicitiæ deæ iactum fuiſſe à mulieribus: ſed mulieres iuxta aram minxiſſe: vt poſtea viciſſim coirent: Poëta autem alludens ad veterem morem : quòd cum ſimulachrum Dei contaminabatur perfundebatur vrina: vt Tranquillus in Nerone docet, cauillando ait mulieres id egiſſe Deam contemnentes.

SYPHONIBVS.] Syphones tubi dicuntur , id eſt cannæ plumbeæ vnde fluit aqua, hic accipitur pro vuluis manantibus vrina, quas & Martialis cubos viſcerum appellat.

INQVE VICES] Leſbię mulieres mutuo fricari primo inſtituerunt: vnde apud Ariſto. λεσβίζειν id agere eſt. Martialis tribadas appellat à τρίβω quod eſt frico , qualis fuit Sapho , vt ipſa fatetur & Porphyrio docet.

TV CALCAS VRINAM CONIVGIS.] id eſt cũ vis ſurgere ad ſalutãdos diuites amicos, tu prius vis coire cũ vxore: ſed nihil ſpermatis in ea reperis.

nam exhauſit lumbos nocturno tempore cum aliis mulieribus, tu igitur tantum calcas eius vrinam & non ſperma.

LVMBOS.] Nam vt Plutarchus ſcribit in Cæſare ad tibiam ſaltabant in his ſacris mulieres, multa Bacchanalibus ſimilia peragentes.

VLVLANTE PRIAPO.] In Bacchanalibus porcum mactant in ſequenti die Baccho ſacrificant: ſed pro veretris ficulneis è collo pendentibus ſtatuas cubitales è neruis compactas fœminæ per pagos circumferunt, mentula pari magnitudine cum reliquo corpore, quam fœminæ ſequuntur Bacchum canentes, quem ritum tradidit Melampus Amphitryonis filius.

LAVFEIA.] Impudicam apud Martialem fuiſſe legimus: nam ſumpto nomine eandem tribadem accuſat, conqueriturque quod cum corona olim daretur his quæ ſeruaſſent virginitatem, & quæ ſemel nupſiſſent: nunc proponatur tribadibus.

PENDENTIS COXAE.] Nam quæ ſuccumbit ſublimi coxa tribadem incumbentem excipit.

ADORAT.] Adorare eſt flectere genua: tribas autem flectit genua dum incumbit.

OMNIA AD VERVM.] Id eſt vera luxuria libidinantur.

DORMITAT ADVLTER.] Verba ſunt dominæ conquerentis adulterum nimium ceſſare.

SACRA PVBLICA.] Id eſt ſacra Bonæ deæ, quæ pro populo fiunt, vt ſcribit Cice. & nos in commentariis Tranquil. docuimus.

Maiorem quam ſint duo Cæſaris Anticatones,
Illic teſticuli ſibi conſcius vnde fugit mus
Intulerit, vbi velari pictura iubetur
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram eſt.
Et quis tunc hominum contemptor numinis, aut quis
Sympuuium ridere Numæ nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat: ſed nunc ad quas non Clodius aras.
Audio quid veteres olim moneatis amici.
Pone ſeram, cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? cauta eſt & ab illis incipit vxor.
Iamque eadem ſummis pariter minimiſque libido,
Nec melior pedibus ſilicem quæ conterit atrum
Quam quæ longorum vehitur ceruice ſyrorum.
Vt ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, ceruical, amicas,
Nutricem, & flauam cui det mandata puellam.

Hac

Hæc tamen argenti ſupereſt quodcunque paterni
Leuibus athletis, ac vaſa nouiſſima donat.
Multis res anguſta domi: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec ſe metitur ad illum
Quem dedit hæc, poſuitque modum: tamen vtile quid ſit
Proſpiciunt aliquando viri, friguſque, famemque,
Formica tandem quidem expauere magiſtra.
Prodiga non ſentit pereuntem fœmina cenſum,
Ac velut exhauſta recidiuus pullulet arca
Nummus, & è pleno ſemper tollatur aceruo,
Non vnquam reputant quanti iam gaudia conſtent.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quod abortiuo non eſt opus: illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida matura iuuenta
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro:
Ergo expectatos ac iuſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus
Conſpicuus longe, cunctiſque notabilis intrat

ANTICATONES.] Cęſar duos libros edidit in Catonem Vticenſem, cum in illius laudem Cicero libellũ ſcripſiſſet. horum meminit Tranquillus in Cæſare, & Plutarchus, quamuis ſignificare videatur vnum tantum fuiſſe Anticatonem. DVO ANTICATONES.] Id eſt pugillares membrani plicati in teretem formam, Anticatones Cæſaris continentes.

SYMPVVIVM.] Vas à ſumendo dictum, vt inquit Varro.

QVIS CVSTODIAT IPSOS CVSTODES.] Martia.

—ſed poſitis cuſtodibus ingens,
Turba futuorum eſt ingenioſus homo es.

FLAVAM PVELLAM.] Impudicam flauis crinibus.

VASA NOVISSIMA.] Poſt quæ nihil reſtat.

FORMICA.] Ad æmulationem Horatij,

—exemplo magni eſt formica laboris.

NVMMVS.] Denarius argenteus, nummi primùm pecus inſigne fuit: vnde pecunia dicta, denarij bigæ & quadrigæ: vnde bigati & quadrigati apud Liuium leguntur. Denarius dictus, quod decem libras æris valeret.

SVNT QVAS EVNVCHI.] Mart.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia quæris, &c.

MATVRA.] Quæ creuerunt ad legitimam ſortem.

Balnea: nec dubiæ cuſtodem vitis & horti
Prouocat à domina: factus ſpado dormiat ille
Cum domina: ſed tu iam durum Poſthume, iamque
Tondendum eunucho bromium committere noli.
Si gaudet cantu: nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus: organa ſemper
In manibus: denſi radiant teſtudine tota
Sardonices, criſpo numerantur pectine chordæ
Quo tener Hedimeles operam dedit, hunc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoque indulget baſia plectro.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti
Cum farre & vino Ianum Veſtamque rogabat.
An capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare: & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro, medicis quid triſtibus erga
Filiolum? ſtetit ante aram, nec turpe putauit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit vt mos eſt, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc quæſo, dic antiquiſſime diuum:
Reſpondes his Iane pater? magna otia cæli:
Non eſt vt video, non eſt quid agatur apud vos.
Hæc de comœdis te conſulit, illa tragœdum
Commendare volet, varicoſus fiet aruſpex.
Sed cantet potius quam totam peruolet vrbem
Audax, & cœtus poſſit quam ferre virorum.
Cumque paludatis ducibus præſente marito
Ipſa loqui recta facie: ſtrictiſque mamillis:
Hæc eadem nouit quid tota fiat in vrbe:

BALNEA.]Nam illic bene mentulati deligebantur. Mar. *Oculis deuorantibus draucos.*

TONDENDVM.]Nam qui iam viri erant deponebant crines: vt eſt apud Mar. ſæpe.

SI GAVDET CANTV.] Hoc notat in mulieribus quod citharœdos perdite ament: quorum certamina inſtituit Domitia. vt ſcribit Tranquil. Victores quod corona querna donabantur: vt in commentariis Mart. diximus cantu: Id eſt citharœdo, canere cum cithara docuit Amphion: vel vt alij aiunt, Liuius autore Pli.

PRÆTORIBVS.] Id eſt in ludis quibus ... præſunt Prætores.

SARDONYCES.] In vſu Aphricani olim fuerunt & Claudii Cæſaris, candorem præ ſe ferunt in Sarda lapillo: vt ſcribit Plinius Ptolæ. à Sardonyce monte Indiæ deriuat. Tibicines autem & citharœdi gemmis vti primus docuit Iſmenias choraules & Dionyſiodorus æqualis eius & æmulus & Nicomachus eodem tempore, autor Pli.

HEDYMELES.] Nomen fictum citharœdi: nam ἡδὺ ſignificat dulce, & μέλος cantum.

CVM FARRE ET VINO.] Fidentinus vbique occurrit: hontami-
pit, illic confundit mea, mox ſua immiſcet, quibus omnia c cra la-
nat: vt in ſuperioribus & in his quæ ſequuntur. Far dabatur in ſa
nam le-
ni: vt eſt apud Oui. Mulier pro adulterio raro farre ſacrificat: n
gitima matrimonia farracea dicebantur: vt ſcribit Dionyſ. Iano autem
& Veſtæ ſacra facit quoniam hæc duo numina generationi præſidere
putantur. Pollio nomen citharœdi. Mar.

Here de theatro Pollione cantante.

QVERCVM CAPITOLINAM.] Id eſt corona ex quercu: quæ dabatur in certamine capitolino citharœdis à Domitia. Marti.

O cui tarpeias licuit contingere quercus.

Et alibi.

Quid pro tarpeiæ frondis honore poteſt.

VELARE CAPVT.] Sacrificare: nam velato capite ſacrificabant ſiue ex inſtituto Æneæ, ſiue vt ſcribit Plutar. ne pares honores mortalibus exhiberentur: quibus caput aperimus.

PATER.] Hoc verbum eſt ex ritu: nam pater dicebatur in ſacris: quaſi Deus Deorum. Idem Geminus & Iunonius autor Macro.

VARICOSVS.] Varices ſunt venæ eminentes & obtortæ in cruribus: mulieri raro accidunt, vt ſcribit Pli. Tumeſcunt nonnunquam in his qui diu ſteterint. Inde illud Vatinij in Ciceronem varicoſum cum gloriaretur humeris Italiæ ſe reportatum eſſe ab exilio, Vnde ergo tibi varices? Appi. ſcribit Marium paſſum eſſe, ſibi extrahi varices, quibus vtroque crure laborabat Plutarchus, alterum tantum crus ei ſanatum fuiſſe ſcribit. VARICOSVS.] Stando cum conſulit exta diu.

Quid Seres, quid Traces agant, ſecreta nouercæ
Et pueri, quis amet, quis decipiatur adulter;
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo
Menſe, quibus verbis concumbat, quaque modis quot:
Inſtantem regi Armenio: Parthoque cometem
Prima videt, famam rumoreſque illa recentes

Excipit ad[illegible] quoſdam facit ille Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arua teneri
Diluuio, nutare vrbes, ſubſidere terras:
Quocumque in triuio, cuicumque eſt obuia narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile quam quod
Vicinos humiles rapere, & concidere loris
Exorata ſolet: nam ſi latrantibus alti
Rumpuntur ſomni: fuſtes huc ocius inquit
Afferte, atque illis dominum iubet ante feriri:
Deinde canem, grauis occurſu, teterrima vultu,
Balnea nocte ſubit, conchas & caſtra moueri
Nocte iubet, magno gaudet ſudare tumultu,
Cum laſſata graui ceciderunt brachia maſſa,
Callidus & criſtæ digitos impreſſit aliptes,
Ac ſummum dominæ fæmur exclamare coegit.
Conuiuæ miſeri interea ſomnoque fameque
Vrgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
OEnophorum ſitiens plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus: de quo ſeſtarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim
Dum redit, & terram luto ferit inteſtino:
Marmoribus riui properant, aut lata falerno
Peluis olet: nam ſic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit & vomit: ergo maritus
Nauſeat, atque oculis bilem ſubſtrigit opertis.
Illa tamen grauior, quæ cum diſcumbere cœpit

SERES.] De his ſatis multa diximus in commentariis Sillij.

NIPHATEM.] Niphates mons eſt in Armenia inter eos qui Gordiei appellantur: vt ſcribit Strabo eiuſdem nominis fluuius. Lucanus.

Armeniuſque tenens voluentem ſaxa Niphatem.

POPVLOS.] Vt Circios, Tapiros, Amardos.

SVDARE.] Elicere ſudorem.

MAGNO TVMVLTV.] .i. tumultuoſis exercitationibus, quæ magno fiunt ſtrepitu & robore.

LASSATA BRACHIA.] De halteribus intelligit: nam halteres pondera erant quibus ambabus manibus comprehenſis & ſalientes vtebantur, & qui volebant ſudare ante quam lauarentur. Ariſtote. *ſaltans*

ponderibus ſuſceptis innititur, præterea, *cur plus proſilit halteres tenens quam non tenens*, Marti.

Quid ſtulte pereunt fortes haltera lacerti.

GRAVI MASSA.] id eſt, graui pondere halteris.

ALIPTES.] Id eſt vnctor: nam vngebat qui volebant lauari.

CALLIDVS.] Vafer & aſtutus: nam dum vngit mulierem fœmora præſertim tractat, & illic digitos imprimit: denique cum pullat vnctam, fœmur præſertim & nates cædit. Ita turpitudinem mulierum notat dum vnguntur.

EXCLAMARE.] Reſonare, vt illud Martia. de Phileni vncti verbere vapulata Magiſtri.

ADMOTVM PEDIBVS.] Martia. pedes vocat ſeruos diſcumbentes, ad pedes multis in locis. qui volebant vomere in balneis vinum peſſimum hauriebant, quale ſcilicet ſerui bibűt, quod appellabant τροπὴν, nam τροπὴ ſignificat verſionem, quæ ſcilicet perturbabat ſtomachum, id verbum apud Martialem, *bibit ergo turpim vt vomat.*

ADMOTVM PEDIBVS.] Id eſt vinum quale menſæ ſeruorum admoueri ſolet. nam peſſimum eſt.

SESTARIVS ALTER.] Duo ſeſtantes. nam ſeſtantes & quincunces erant vaſa vinaria à menſura ſic dicta.

BIBIT ET VOMIT.] Mar.

Nec cœnat prius aut recumbit, ante
Quam ſeptem vomuit meri deunces.

Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſſæ.
Committit vates, & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina ſuſpendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec cauſidicus, nec præco loquetur,
Altera nec mulier, verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelues, & tintinabula, dicas
Pulſari: iam nemo tubas atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit ſuccurere lunæ.
Imponit finem ſapiens & rebus honeſtis.
Nam ſi docta nimis cupit, & facunda videri
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet.
Cædere ſiluano porcum, quadrante lauari.
Non habeat matrona tibi quæ iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes:
Sed quædam ex libris & non intelligit, ode

Hanc ego quæ repetit, voluitque Palemonis artem,
Seruata ſemper lege & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ

PERITVRÆ.] Periit Dido ſi Vir. credimus diſceſſu Æneæ, ſed grauior hiſtoria habet eam periiſſe cum ſocij hortarentur vt nuberet Hiarbæ, qui nuptias petierat ſub denunciatione belli, in media pyra teſtificans ſe ad virum proficiſci, hoc eſt Sicheum coniugem iam mortuum. autor Trogus.

MARONEM.] Vigilium quod nomen ſumptum eſt à Marone Apollinis ſacerdote, Hiſmarij Euanthei filio, cuius meminit Homerus.

LVNÆ.] Menander fabulam compoſuit, quæ Theſſala inſcribitur, quæ hunc morem retulit.

AERA FATIGET.] Tibul.

Cantus & e curru lunam deducere tentat,
Et faceret ſi non æra repulſa ſonent.

IMPONIT FINEM.] Ego hunc locum ita interpretor, quod mulieres quæ ſapientes videri volebant, nouam quoque inſtituebant ſectam & habitum, & ſacra ſua habebant peculiaria: IMPONIT FINEM, id eſt mulier quæ ſapiens videri vult, perſcribit modum & legem, docens, quid ſit honeſtum: nam quæ volunt ſapientes & doctæ videri tunicam ſuccinctam ad medium crus ſument, ſcilicet habitum peculiaris ſectæ. Toga autem oratoris, vt ſcribit Plocius ad talos demitti debet.

CAEDERE PORCVM, SYLVANO.] More veteri & Ægyptio, nam Ægyptij quoq; autore Herodoto porcum tantum mactant Baccho. & Dianæ ſyluarum parenti: vt Syluanus eſt, alius quam Pan. & Latinis tantum notus, vt veri ſimile ſit, quod fabuloſe ſcripſit Probus. Syluani numen in Italia primum inſtitutum fuiſſe, porcum ita mactabant veteres Latini in ſponſaliorum coniunctione, vt ſcribit Varro accepto ab Hetruria more.

SYLVANO.] Vt videatur ſequi Syluas, vt philoſophi & poetæ ſolent.

LAVARI QVADRANTE.] Vt delitias aſpernari videatur intenta litteris: nam pauperes & inculti publicis balneis quadrante lauabantur.

ENTHYMEMA.] Enthymema commentum aut commentationem dixerunt Latini, vt ſcribit Fabius. Alij imperfectum ſillogiſmum maxime vrget aduerſarium, nunquam ferme niſi per interrogationem qua expugnantibus conſtet, vt illud Antonium priuatum non ferre potuiſtis, hunc Imperatorem feretis?

QVAEDAM EX LIBRIS.] Vt Martialis,

—ſit non doctiſſima coniunx, [illegible]

ARTEM PALAEMONIS.] Apte inſolentem mulierem dicit dare operam Palæmoni:nam Remius Palæmon grammaticus tantæ ſuperbiæ fuit,vt litteras ſecum natas diceret: & ſecum morituras, appellaretque Marcum Varronem porcum litteratum,is Vicentinus fuit temporibus Tiberij & Claudij Imperatoris,tantæ prodigalitatis, vt demum coactus ſit colere vitem,vt ſcribit Tranquillus. Nomentanum fertile reddidit, vt tradit Plinius:in diuiſione partim orationis Ariſtarchum eſt ſecutus, Fabio autore.

AMICAE OPICAE.] Quam ſcilicet appellat opicam id eſt barbaram,& agreſtẽ,vt ante diximus, opici mures:Fidentinus quod illic negauit,hic tandem à nobis doctus fatetur.

Verba : ſolœciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi,turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circundedit,& cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt quam fœmina diues,
Interea fœda aſpectu ; ridendaque multo
Pane tumet facies , aut pinguia popeana
Spirat,& hinc miſeri viſcantur labra mariti:
Ad mœchum veniunt lota cute,quando videri
Vult formoſa,domi mœchus foliata parantur:
Emitur his quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum,& tectoria prima reponit
Incipit agnoſci,atque illo tunc lacte fouetur,
Propter quod ſecum comites educit aſellas,
Exul hyperboreum ſi dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatu inducitur atque fouetur
Tot medicaminibus,coctæque ſiliginis offas
Accipit,& madidæ facies dicetur an vlcus.
Eſt operepretium penitus cognoſcere toto
Quid faciant agitentque die:ſi nocte maritus
Auerſus iacuit,periit libraria,ponunt
Coſmetæ tunicas,tarde veniſſe liburnus
Dicitur,& pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur,hic frangit ferulas,rubet ille flagellũ,
Hic ſcutica,ſunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat,atque obiter faciem linit,audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum:
Et cædens longi relegit tranſacta diurni,
Et cedit donec laſſis cædentibus exi

Intonat horrendum, iam cognitione peracta
Profectura domo Sicula non mitior aula.
Nam ſi conſtituit ſolitoque decentius optat
Ornari, & properat, iamque expectatur in hortis,
Aut caput Iſiacæ potius ſacraria lenæ.

SOLOECISMVM.] Mat. iocans in hoc genus mulierum.
Sæpe ſolœciſmum mentula noſtra facit.

VIRIDES GEMMAS.] Id eſt ſmargdos Pli.

MAGNAS ELENCHOS.] Proceros vniones quos mulieres autore Plinio binos & trinos auribus & digitis ſuſpendebant, & à ſtrepitu idem dicebantur crotala: nam κρύω ſignificat pulſo.

POPPEANA.] Poppeana dicebantur panis offæ oblitæ lactæ aſinarum, à Poppea vxore Neronis, quæ id primum docuit, quemadmodum Coſmiana vnguēta à Coſmio dicimus, & Niceroriana à Nicerote magiſtro Pli. *cutem in facie erugari & tenereſcere: & candorem cuſtodiri lacte aſinino putant.* paulo poſt, *Popea hoc vxor Neronis principis inſtituit, balnearum quoque ſic ſolio temperato, aſinarum gregibus ob hoc etiam commitantibus.*

DOMI.] Id eſt, apud maritum.

FOLIATA PARANTVR MOECIS.] Id eſt, ſe vngit foliato cum accedit ad mœchos, vt placeat. foliatum vnguentum pretioſiſſimum. idem nardinum fiebat, autore Plini. ex omphaton balammo iunco coſto, nardo amomo, mirtha, balſamo.

TECTORIA.] Tectoriam calcem antiqui dixerunt qua parietes exteriori parte oblinuntur, & opus tectorium quod extra ſpecioſum eſt & læuigatum.

PRIMA REPONIT.] Id eſt, illas offas.

COSMETÆ.] Ancillæ curantes ornatum dominæ, nam κοσμέω ſignificat orno.

ALIENI SOMNI.] Id eſt mariti qui dormiuit nec rem cum ea habuit. Pſecas, nomen ancillæ ſumptum ab vna ex comitibus Dianæ cuius meminit Oui. ψεκάζω ſignificat irroro: nam irrorat dominam ſe componentem.

SICVLA AVLA.] Id eſt Phalaride, qui primus in Sicilia tyrannidem inſtituit, vt ſcribit Plinius: reprehendit autem inſolentiam mulierum quæ cum ſibi diſpliceant verberant ancillas: quod Martialis notauit in Lalage, cum vidiſſet ſe in ſpeculo.

IN HORTIS.] Duobus in locis adulteriorum erat occaſio, in hortis, ſcilicet, & in templo Iſidis Deæ. de hortis hiſtoria apud Tacitum: de templo Iſidis carmen ext. t Ouidij in libro de arte.

LENAE ISIACAE.] Id eſt, lenæ quæ in templo Iſidis eam expectat.

Compo-

Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros Pſecas infœlix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crinem facinuſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? quænam eſt hic culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera læuum
Extendit, pectitque comas & voluit in orbem.
Eſt in conſilio matrona admotaque lanis
Emerita, quæ ceſſat acu, ſententia prima
Huius erit: poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt, tanquam famæ diſcrimen agatur.
Aut animæ, tanta eſt quærendi cura decoris:
Tot premit ordinibus; tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis,
Poſt minor eſt; aliam credas: cedo ſi breue parui
Sortita eſt lateris ſpatium, breuiorque videtur
Virgine pygmæa, nullis adiuta cothurnis,
Et leuis erecta conſurgit ad oſcula planta.
Nulla viri interea cura, nec mentio fiet
Damnorum: viuit tanquam vicina marito.
Hoc ſolo proprior quod amicos coniugis odit
Et ſeruos, grauis eſt rationibus. ecce furentis
Bellonæ matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semiuir, obſcœno facies reuerenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta
Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & phrygia veſtitur bucca tyara.
Grande ſonat, metuique iubet ſeptembris, & auſtri
Aduentum, niſi ſe centum luſtrauerit ouis,
Et xerampelinas veſtes donauerit ipſi
Vt quicquid ſubiti & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum
Hybernum fracta glacie deſcendet in amnem,
Ter matutino Tyberi mergetur, & ipſis
Vorticibus tumidum caput abluet; inde ſuperbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis

VIRGINE PYGMÆ.] Id eſt, breuior tribus ſpithamis, nam Pygmæi intra tres ſpithamas habent ſtaturam, vt ſcribit Plinius, hoc eſt intra

tre s drodrantes:nam dodrantalis menſura eſt vnius ſpithamæ.

Gravis est rationibvs.] Id eſt affert ſumptum.

Ecce.] Superſtitionem mulierum carpit cum aliis religionibus: tum in Cybeleios ſacerdotes & Iſidis.

Tympana plebeia.] Id eſt tympana iſiaca & alexandrina.

Bvcca.] Veſtis eſt, vnde buccula & ſubbuccula dicitur, Tranquillus & Horatius verbum vſurpant.

Xerampelinas.] Xerampelinæ dicuntur togæ raſæ virides: has ſupra appellauit Galbana raſa, & Marti. Tunicam praſſinam ideſt viridem ξηρὸς ſignificat aridum & ἄμπελος ſignificat pampinum : vnde xerampelinæ : ideſt raſæ tunicæ virides.

Eat in tvnicas.] Hoc tractum eſt ex ritu compitalino, nam pilæ, ideſt effigies hominum veteribus veſtibus indutæ ſuſpendebantur in compitis, vt manes contenti illis imaginibus & ſimulacris abſtinerent viuis, autor Feſtus.

Hibernvm fracta glacie.] Hæc de ſacerdotibus iſiacis, qui idem faciebant.

Descendat in amnem.] Ex ritu ægyptio hoc fit: nam ſacra Iſidis in Ægypto igne & aqua in primis celebrabātur in monumentum priſtinæ nauigationis Iſidis : quæ in Ægyptum eſt delata, autor Euſebius.

Ereptet genibus ſi candida iuſſerit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaſque petitas
A Meroe portabit aquas, vt ſpargat in ædem
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ouili.
Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri:
En animam & mentem cum qua dij nocte loquuntur.
Ergo hic præcipuum ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circundatus, & grege caluo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Ille petit veniam quotiens non abſtinet vxor
Concubitu ſacris obſeruandiſque diebus,
Magnaque debetur violato pœna caduceo:
Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens
Illius lachrymis, meditataque murmura præſtant,
Vt veniam culpæ non abnuat anſere magno,
Scilicet, & tenui popano corruptus Oſyris,
Cum dedit ille locum. cophino fœnoque relicto
Archanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos

Arboris, ac ſummi fida internuncia cæli.
Implet & illa manum, ſed parcius, ære minuto.
Qualiacunque voles Iudæi ſomnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel diuitis orbi

Candida io.] Io, Inachi Argiuorũ regis filia à Phœnicibus rapta eſt, vt Herodoto credimus, & abducta in Ægyptũ. Oſiris eam duxit vxorem: quo mortuo regnum tenuit: dictaque Iſis, poſt mortem habita pro Dea: eius ſacra Romam tranſlata ſunt, templo iuxta campum Martium erecto, ſacerdotes linea veſte vtentes euagabantur lugentes: mox ad lætitiam conuerſi ſacra perficiebant, id erat monumentum Iſidis, quæ Orum quoque filium ſolicite perquirebat amiſſo marito, verita ne ei accidiſſet quod patri: mulieres hæc ſacra frequentabant, nefaſque his erat illis diebus coniungi cum viro.

Meroe.] Lege Plinium & Strabonem de Meroe.

Linigero.] Ouidius:

Ne fuge linigeræ Memphitica templa iuuencæ.

Mart. *Linigeri fugiunt calui ſiſtrataque turba.*

Linigeri, ſacerdotes Iſidis quoniam veſte linea vtebantur, vt Herodotus ſcribit præſertim xylina: vt auctor eſt Plinius, nec aliam induere fas erat; calceis item papyraceis. calvi dicuntur quoniam eodem autore cum alibi ſacerdotes permittant comam in Ægypto, eorum capita raduntur, imo & tertio quoque die totum corpus raditur, ne tinea vel aliud aliquid ſordidum inter ſacra offendat.

Anvbis.] Lingua Ægyptia Mercurius dicitur: idem ſignificat canem: nam Mercurius capite canino vna cum Iſide colebatur: quoniam Diodoro teſte Iſis canibus vſa eſt ad maritum inueniendum. canes propterea in eius ſacrorum pompa præcedebant: addit Diodorus Annubim fuiſſe filium Oſiridis fratrem Macedonis, qui quoniam cane inſigni armorum vſus eſt, ea imagine colebatur: hoc loco Anubim appellat ſacerdotem Iſidis, quando tanquam Anubis, ideſt, Mercurius nuntius erat inter mulieres & Iſidem.

Sacris diebvs.] Dicatis Iſidi. nam tunc nefas erat mulieribus coire, Propertius:

Quæ Dea tam cupidos totiens diuiſit amantes.
Quæcumque illa fuit ſemper amara fuit.

Argentea serpens.] Intelligit de ſerpente quæ in imagine Oſiridis in ara Iſidis complectebatur canem & lupum, producto capite ad dexteram Oſiridis, auctor eſt Macrobius. de hoc magis placet intelligas quam de dracone qui eſt in virga Mercurij geminus.

Ansere magno.] Nam & carnibus anſerinis veſcebantur ſacerdotes Ægyptij & bubulis, vt ſcribit Herodotus.

Pepono tenvi.] Suidas apud Græcos ſcribit peponum eſſe placentã

latam tenuem rotundam de qua nunc intelligit.

Sacerdos arboris.] Alludit ad ſacerdotes Dodoneas, inter quas ætate præſtabant Promenea: Tindarete, Nicanda: nam ad fagum arborem reſponſa dabant, vt Herodotus & Sillius ſcribunt.

Qvaliacvnqve.] Nam ſomnia in templo Oſiridis, de quo loquitur, captabant, vt Strabo ſcribit vel pro ſe vel pro aliis.

Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus aruſpex.
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri, faciet quod deferat ipſe:
Chaldæis ſed maior erit fiducia: quicquid
Dixerit aſtrologus, credet à fonte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri:
Præcipuus tamen horum eſt qui ſæpius exul,
Cuius amicitia conducendaque tabella
Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni:
Inde fides arti ſonuit ſi dextera ferro,
Læuaque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.
Nemo mathematicus genium idemnatus habebit,
Sed qui pene perit, cui vix in Cyclade mitti
Contigit, & parua tandem caruiſſe Seripho.
Conſulit ictericæ lento de funere matris:
Ante tamen de te Tanaquil tua: quando ſororem
Efferat, & patruos, an ſit victurus adulter
Poſt ipſam: quid enim dare maius numina poſſunt.
Hæc tamen ignorat quid ſydus triſte minatur
Saturni, quo læta Venus ſe proferat aſtro,
Qui menſis damno, quæ dentur tempora lucro.

Comagenvs.] Ex Syria tamen auruſpices excelluerunt in Telineſſo vrbe Cariæ, Comagene verò pars eſt Syriæ, vnde comagenum dixerunt iecur anſeris maceratū muibus, quod medicamentum eſt & Comageni inuenerunt. cum eo conuenit quod dixit aruſpicem Comagenum, ideſt Syrium: nam Syrij Sacras columbas autumant, putantes reginam ſuā in columbam conuerſam fuiſſe, quaſi dicat ne auibus quidem ſuis ſacris parcunt.

Qvod deferat ipse.] Ideſt quod accuſet ipſe & obiiciat aliis, ex hiſtoria eſt: nam qui filiam Bareæ ad magicam hortati ſunt, eam poſtea ſunt inſectati accuſationibus.

CHALDÆIS]Caue coniugas deferat Chaldæis;ſed ita legas,*ſed maior eſt fiducia Chaldæis*,id eſt plus credunt Chaldæis.id eſt aſtrologis quam aruſpicibus.

QVONIAM DELPHIS ORACVLA CESSANT.]Hoc ait in irriſionem omnium oraculorum: nam Delphica oracula amplius non dabantur, quia ſcilicet nunquam fuerant,quod Cicero ita ſcribit. *Cur iſto modo Delphis iam oracula non eduntur,non modo noſtra ætate ſed iam diu, iam vt nihil poſſit eſſe contemptius*, Lucanus,

—ſiluit poſtquam reges timuêre futura,
Et ſuperos vetuêre loqui.

Extat Plutarchi libellus,quo diſputat quare ſiluerunt oracula, AMONIS oraculum inſtituit puella à phœnicibus diuendita, vt Ægyptij tradunt Pauſanias Hamonem paſtorem autorem fuiſſe ſcribit,Diodorus Amonem regem. Herodotus Amum lingua Ægyptia Iouem ſignificari ſcribit,vnde Iupiter Amon.

MAGNVS CIVIS.] Damnat aſtrologorum ſcelera,ſumpto exemplo à Seleuco aſtrologo,cuius conſilio mors Galbæ dilata eſt ab Othone,vt ſcribit Tranquillus: *hanc*, inquit, *operam præſtant aſtrologi, vt rebus nefariis conſulant.* Fidẽtinus ſtultam prius opinionem de Piſone recitat,mox addit à nobis edoctus, *quidam volunt de Galba intelligi*,ego is ſum, ita volo & interpretor, Fidentine:Recte tu quidem in hoc quod hãc opinionem ad alios reiecisti:nam veram ſententiam nunquam dixiſti ex te. MAGNVS CIVIS,id eſt Galba.

OBIT.] Conſilio ſcilicet Seleuci aſtrologi.

PARVA SERIPHO.]Seriphus inter duodecim Cyclades eſt, vbi Perſeus educatus capite Gorgonis incolas in lapides cõuertit,quoniam his adiutoribus Polydectes rex,Perſei matrem ad nuptias cogere voluit,Strabo autor.graue illic erat exilium,poſt Seriphon eſt Tenos dicata Neptuno, inde emenda carmen. Virgilij,

Vndarum Tenos æquorumque regi.

ICTERICÆ.]Ictericum morbũ regium.Celſus & Plinius appellant,quoniam vt ait Celſus,regio cubiculi apparatu curatur. Idem arcuatus à colore arcus celeſtis: Varro regium dictum putat, quod mulſo precioſiſſimo remedio curatur.

EPHEMERIDAS]Sempronius Aſelio ſcribit eſſe diaria,in quibus ſingulorum dierum acta continentur,quam interpretationem alij hoc loco ſecuti ſunt: ſed ex verbis Plinij planum eſt ephemeridas eſſe ſubputationem numerorum in aſtris,quid quoque die immineat Plinius. *Crinas Maſſilienſis arte geminata,vt cautior religioſiorque ad ſyderum motus ex ephemeride mathematica cibo dando, horamque obſeruando eum auctoritate præceſſit.*

SVCCINA.] Nam hæc manibus tractabant & tenebant matronæ vt bene olerent, vt eſt apud Mart.Thraſyllus,hic mathematicus fuit ætate Tiberij principis,vt plane oſtendit Tranquillus.

nam exhauſit lumbos nocturno tempore cum aliis mulieribus, tu igitur tantum calcas eius vrinam & non ſperma.

LVMBOS.] Nam vt Plutarchus ſcribit in Cæſare ad tibiam ſaltabant in his ſacris mulieres, multa Bacchanalibus ſimilia peragentes.

VLVLANTE PRIAPO.] In Bacchanalibus porcum mactant in ſequenti die Baccho ſacrificant: ſed pro veretris ficulneis è collo pendentibus ſtatuas cubitales è neruis compactas fœminæ per pagos circumferunt, mentula pari magnitudine cum reliquo corpore, quam fœminæ ſequuntur Bacchum canentes, quem ritum tradidit Melampus Amphitryonis filius.

LAVFEIA.] Impudicam apud Martialem fuiſſe legimus: nam ſumpto nomine eandem tribadem accuſat, conqueriturque quod cum corona olim daretur his quæ ſeruaſſent virginitatem, & quæ ſemel nupſiſſent: nunc proponatur tribadibus.

PENDENTIS COXAE.] Nam quæ ſuccumbit ſublimi coxa tribadem incumbentem excipit.

ADORAT.] Adorare eſt flectere genua: tribas autem flectit genua dum incumbit.

OMNIA AD VERVM.] Id eſt vera luxuria libidinantur.

DORMITAT ADVLTER.] Verba ſunt dominæ conquerentis adulterum nimium ceſſare.

SACRA PVBLICA.] Id eſt ſacra Bonæ deæ, quæ pro populo fiunt, vt ſcribit Cice. & nos in commentariis Tranquil. docuimus.

Maiorem quam ſint duo Cæſaris Anticatones,
Illic teſticuli ſibi conſcius vnde fugit mus
Intulerit, vbi velari pictura iubetur
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram eſt.
Et quis tunc hominum, contemptor numinis, aut quis
Sympuuium ridere Numæ nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat: ſed nunc ad quas non Clodius aras.
Audio quid veteres olim moneatis amici.
Pone ſeram, cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? cauta eſt & ab illis incipit vxor.
Iamque eadem ſummis pariter minimiſque libido,
Nec melior pedibus ſilicem quæ conterit atrum
Quam quæ longorum vehitur ceruice ſyrorum.
Vt ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, ceruical, amicas,
Nutricem, & flauam cui det mandata puellam.

Hæc tamen argenti ſupereſt quodcunque paterni
Læuibus athletis, ac vaſa nouiſſima donat.
Multis res anguſta domi: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec ſe metitur ad illum
Quem dedit hæc, poſuitque modum: tamen vtile quid ſit
Proſpiciunt aliquando viri, friguſque, famemque,
Formica tandem quidem expauere magiſtra.
Prodiga non ſentit pereuntem fœmina cenſum,
Ac velut exhauſta recidiuus pullulet arca
Nummus, & è pleno ſemper tollatur aceruo,
Non vnquam reputant quanti iam gaudia conſtent.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quod abortiuo non eſt opus: illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida matura iuuenta
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro:
Ergo expectatos ac iuſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus
Conſpicuus longe, cunctiſque notabilis intrat

ANTICATONES.] Cęſar duos libros edidit in Catonem Vticenſem, cum in illius laudem Cicero libellũ ſcripſiſſet. horum meminit Tranquillus in Cæſare, & Plutarchus, quamuis ſignificare videatur vnum tantum fuiſſe Anticatonem. DVO ANTICATONES.] Id eſt pugillares membrani plicati in teretem formam, Anticatones Cæſaris continentes.

SYMPVVIVM.] Vas à ſumendo dictum, vt inquit Varro.

QVIS CVSTODIAT IPSOS CVSTODES.] Martia.

—ſed poſitis cuſtodibus ingens,
Turba ſututorum eſt ingenioſus homo es.

FLAVAM PVELLAM.] Impudicam flauis crinibus.

VASA NOVISSIMA.] Poſt quæ nihil reſtat.

FORMICA.] Ad æmulationem Horatij,

—exemplo magni eſt formica laboris.

NVMMVS.] Denarius argenteus, nummi primùm pecus inſigne fuit: vnde pecunia dicta, denarij bigæ & quadrigæ: vnde bigati & quadrigati apud Liuium leguntur. Denarius dictus, quod decem libras æris valeret.

SVNT QVAS EVNVCHI.] Mart.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia quæris, &c.

MATVRA.] Quæ creuerunt ad legitimam ſortem.

Balnea: nec dubiæ cuſtodem vitis & horti
Prouocat à domina: factus ſpado dormiat ille
Cum domina: ſed tu iam durum Poſthume, iamque
Tondendum eunucho bromium committere noli.
Si gaudet cantu: nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus: organa ſemper
In manibus: denſi radiant teſtudine tota
Sardonices, criſpo numerantur pectine chordæ
Quo tener Hedimeles operam dedit, hunc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoque indulget baſia plectro.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti
Cum farre & vino Ianum Veſtamque rogabat.
An capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare: & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro, medicis quid triſtibus erga
Filiolum? ſletit ante aram, nec turpe putauit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit vt mos eſt, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc quæſo, dic antiquiſſime diuum:
Reſpondes his Iane pater? magna otia cæli:
Non eſt vt video, non eſt quid agatur apud vos.
Hæc de comœdis te conſulit, illa tragœdum
Commendare volet, varicoſus fiet aruſpex.
Sed cantet potius quam totam peruolet vrbem
Audax, & cœtus poſſit quam ferre virorum.
Cumque paludatis ducibus præſente marito
Ipſa loqui recta facie: ſtrictiſque mamillis:
Hæc eadem nouit quid tota fiat in vrbe:

BALNEA.]Nam illic bene mentulati deligebantur. Mar. *Oculis deuorantibus draucos.*

TONDENDVM.]Nam qui iam viri erant deponebant crines: vt eſt apud Mar. ſæpe.

SI GAVDET CANTV.] Hoc notat in mulieribus quod citharœdos perdite ament: quorum certamina inſtituit Domitia. vt ſcribit Tranquil. Victores quod corona querna donabantur: vt in commentariis Mart. diximus cantu: Id eſt citharœdo, canere cum cithara docuit Amphion: vel vt alij aiunt, Liuius autore Pli.

PRÆTORIBVS.] Id eſt in ludis quibus ... præſunt Prætores.

SARDONYCES.] In vſu Aphricani olim fuerunt & Claudii Cæſaris, candorem præ ſe ferunt in Sarda lapillo: vt ſcribit Plinius Ptolæ. à Sardonyce monte Indiæ deriuat. Tibicines autem & citharœdi gemmis vti primus docuit Iſmenias choraules & Dionyſiodorus æqualis eius & æmulus & Nicomachus eodem tempore, autor Pli.

HEDYMELES.] Nomen fictum citharœdi: nam ἡδὺ ſignificat dulce, & μέλος cantum.

CVM FARRE ET VINO.] Fidentinus vbique occurrit: hontami-pit, illic confundit mea, mox ſua immiſcet, quibus omnia c ſacra la-nat: vt in ſuperioribus & in his quæ ſequuntur. Far dabatur in nam le-ni: vt eſt apud Oui. Mulier pro adulterio raro farre ſacrificat: gitima matrimonia farracea dicebantur: vt ſcribit Dionyſ. Iano autem & Veſtæ ſacra facit quoniam hæc duo numina generationi præſidere putantur. Pollio nomen citharœdi. Mar.

Here de theatro Pollione cantante.

QVERCVM CAPITOLINAM.] Id eſt corona ex quercu: quæ dabatur in certamine capitolino citharœdis à Domitia. Marti.

O cui tarpeias licuit contingere quercus.

Et alibi.

Quid pro tarpeiæ frondis honore poteſt.

VELARE CAPVT.] Sacrificare: nam velato capite ſacrificabant ſiue ex inſtituto Æneæ, ſiue vt ſcribit Plutar. ne pares honores mortalibus exhiberentur: quibus caput aperimus.

PATER.] Hoc verbum eſt ex ritu: nam pater dicebatur in ſacris: quaſi Deus Deorum. Idem Geminus & Iunonius autor Macro.

VARICOSVS.] Varices ſunt venæ eminentes & obtortæ in cturibus: mulieri raro accidunt, vt ſcribit Pli. Tumeſcunt nonnunquam in his qui diu ſteterint. Inde illud Vatinij in Ciceronem varicoſum cum gloriaretur humeris Italiæ ſe reportatum eſſe ab exilio, Vnde ergo tibi varices? Appi. ſcribit Marium paſſum eſſe, ſibi extrahi varices, quibus vtroque crure laborabat Plutarchus, alterum tantum crus ei ſanatum fuiſſe ſcribit. VARICOSVS.] Stando cum conſulit extra diu.

Quid Seres, quid Traces agant, ſecreta nouercæ
Et pueri, quis amet, quis decipiatur adulter;
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo
Menſe, quibus verbis concumbat, quaque modis quot:
Inſtantem regi Armenio: Parthoque cometem
Prima videt, famam rumoreſque illa recentes

Excipit ad[illegible] quoſdam facit ille Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arua teneri
Diluuio, nutare vrbes, ſubſidere terras:
Quocumque in triuio, cuicumque eſt obuia narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile quam quod
Vicinos humiles rapere, & concidere loris
Exorata ſolet: nam ſi latrantibus alti
Rumpuntur ſomni: fuſtes huc ocius inquit
Afferte, atque illis dominum iubet ante feriri:
Deinde canem, grauis occurſu, teterrima vultu,
Balnea nocte ſubit, conchas & caſtra moueri
Nocte iubet, magno gaudet ſudare tumultu,
Cum laſſata graui ceciderunt brachia maſſa,
Callidus & criſtæ digitos impreſſit aliptes,
Ac ſummum dominæ fæmur exclamare coegit.
Conuiuæ miſeri interea ſomnoque fameque
Vrgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
OEnophorum ſitiens plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus: de quo ſeſtarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim
Dum redit, & terram luto ferit inteſtino:
Marmoribus riui properant, aut lata falerno
Peluis olet: nam ſic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit & vomit: ergo maritus
Nauſeat, atque oculis bilem ſubſtrigit opertis.
Illa tamen grauior, quæ cum diſcumbere cœpit

SERES.] De his ſatis multa diximus in commentariis Sillij.

NIPHATEM.] Niphates mons eſt in Armenia inter eos qui Gordiei appellantur: vt ſcribit Strabo eiuſdem nominis fluuius. Lucanus.

Armeniuſque tenens voluentem ſaxa Niphatem.

POPVLOS.] Vt Circios, Tapiros, Amardos.

SVDARE.] Elicere ſudorem.

MAGNO TVMVLTV.] .i. tumultuoſis exercitationibus, quæ magno fiunt ſtrepitu & robore.

LASSATA BRACHIA.] De halteribus intelligit: nam halteres pondera erant quibus ambabus manibus comprehenſis & ſalientes vtebantur, & qui volebant ſudare ante quam lauarentur. Ariſtote. *ſaltans*

ponderibus ſuſceptis innititur, præterea, *cur plus proſilit halteres tenens quam non tenens*, Marti.

Quid ſtulte pereunt fortes haltera lacerti.

GRAVI MASSA.] id eſt, graui pondere halteris.

ALIPTES.] Id eſt vnctor: nam vngebat qui volebant lauari.

CALLIDVS.] Vafer & aſtutus: nam dum vngit mulierem fœmora præſertim tractat, & illic digitos imprimit: denique cum pulſat vnctam, fœmur præſertim & nates cædit. Ita turpitudinem mulierum notat dum vnguntur.

EXCLAMARE.] Reſonare, vt illud Martia. de Phileni vncti verbere vapulata Magiſtri.

ADMOTVM PEDIBVS.] Martia. pedes vocat ſeruos diſcumbentes, ad pedes multis in locis. qui volebant vomere in balneis vinum peſſimum hauriebant, quale ſcilicet ſerui bibũt, quod appellabant τρεπὴν, nam τροπὴ ſignificat verſionem, quæ ſcilicet perturbabat ſtomachum, id verbum apud Martialem, *bibit ergo torpim vt vomat.*

ADMOTVM PEDIBVS.] Id eſt vinum quale menſæ ſeruorum admoueri ſolet. nam peſſimum eſt.

SESTARIVS ALTER.] Duo ſeſtantes. nam ſeſtantes & quincunces erant vaſa vinaria à menſura ſic dicta.

BIBIT ET VOMIT.] Mar.

Nec cœnat prius aut recumbit, ante
Quam ſeptem vomuit meri deunces.

Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſſæ.
Committit vates, & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina ſuſpendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec cauſidicus, nec præco loquetur,
Altera nec mulier, verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelues, & tintinabula, dicas
Pulſari: iam nemo tubas atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit ſuccurere lunæ.
Imponit finem ſapiens & rebus honeſtis.
Nam ſi docta nimis cupit, & facunda videri
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet.
Cædere ſiluano porcum, quadrante lauari.
Non habeat matrona tibi quæ iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes:
Sed quædam ex libris & non intelligit, odi

Hanc ego quæ repetit, voluitque Palemonis artem,
Seruata ſemper lege & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ

PERITVRÆ.] Periit Dido ſi Vir. credimus diſceſſu Æneæ, ſed grauior hiſtoria habet eam periiſſe cum ſocij hortarentur vt nuberet Hiarbæ, qui nuptias petierat ſub denunciatione belli, in media pyra teſtificans ſe ad virum proficiſci, hoc eſt Sicheum coniugem iam mortuum. autor Trogus.

MARONEM.] Vigilium quod nomen ſumptum eſt à Marone Apollinis ſacerdote, Hiſmarij Euanthei filio, cuius meminit Homerus.

LVNÆ.] Menander fabulam compoſuit, quæ Theſſala inſcribitur, quæ hunc morem retulit.

AERA FATIGET.] Tibul.

Cantus & e curru lunam deducere tentat,
Et faceret ſi non æra repulſa ſonent.

IMPONIT FINEM.] Ego hunc locum ita interpretor, quod mulieres quæ ſapientes videri volebant, nouam quoque inſtituebant ſectam & habitum, & ſacra ſua habebant peculiaria: IMPONIT FINEM, id eſt mulier quæ ſapiens videri vult, perſcribit modum & legem, docens, quid ſit honeſtum: nam quæ volunt ſapientes & doctæ videri tunicam ſuccinctam ad medium crus ſument, ſcilicet habitum peculiaris ſectæ. Toga autem oratoris, vt ſcribit Plocius ad talos demitti debet.

CAEDERE PORCVM, SYLVANO.] More veteri & Ægyptio, nam Ægyptij quoq; autore Herodoto porcum tantum mactant Baccho. & Dianæ ſyluarum parenti: vt Syluanus eſt, alius quam Pan. & Larinis tantum notus, vt veri ſimile ſit, quod fabuloſe ſcripſit Probus. Syluani numen in Italia primum inſtitutum fuiſſe, porcum ita mactabant veteres Latini in ſponſaliorum coniunctione, vt ſcribit Varro accepto ab Hetruria more.

SYLVANO.] Vt videatur ſequi Syluas, vt philoſophi & poëtæ ſolent.

LAVARI QVADRANTE.] Vt delitias aſpernari videatur intenta litteris: nam pauperes & inculti publicis balneis quadrante lauabantur.

ENTHYMEMA.] Enthymema commentum aut commentationem dixerunt Latini, vt ſcribit Fabius. Alij imperfectum ſilogiſmum maxime vrget aduerſarium, nunquam ferme niſi per interrogationem qua expugnantibus conſtet, vt illud Antonium priuatum non ferre potuiſtis, hunc Imperatorem feretis?

QVAEDAM EX LIBRIS.] Vt Martialis,

—ſit non doctiſſima coniunx, [illegible]

ARTEM PALAEMONIS.] Apte inſolentem mulierem dicit dare operam Palæmoni: nam Remius Palæmon grammaticus tantæ ſuperbia fuit, vt litteras ſecum natas diceret: & ſecum morituras, appellaretque Marcum Varronem porcum litterarum, is Vicentinus fuit temporibus Tiberij & Claudij Imperatoris, tantæ prodigalitatis, vt demum coactus ſit colere vitem, vt ſcribit Tranquillus. Nomentanum fertile reddidit, vt tradit Plinius: in diuiſione partium orationis Ariſtarchum eſt ſecutus, Fabio autore.

AMICAE OPICAE.] Quam ſcilicet appellat opicam id eſt barbaram, & agreſtē, vt ante diximus, opici mures: Fidentinus quod illic negauit, hic tandem à nobis doctus fatetur.

Verba: ſolæciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circundedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt quam fœmina diues,
Interea fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia popeana
Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti:
Ad mœchum veniunt lota cute, quando videri
Vult formoſa, domi mœchis foliata parantur:
Emitur his quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit
Incipit agnoſci, atque illo tunc lacte fouetur,
Propter quod ſecum comites educit aſellas,
Exul hyperboreum ſi dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur atque fouetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madidæ facies dicetur an vlcus.
Eſt operepretium penitus cognoſcere toto
Quid faciant agitentque die: ſi nocte maritus
Auerſus iacuit, periit libraria, ponunt
Coſmetæ tunicas, tarde veniſſe liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic ſcutica, ſunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat, atque obiter faciem linit, audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum:
Et cædens longi relegit tranſacta diurni,
Et cedit donec laſſis cædentibus exi

Intonat horrendum, iam cognitione peracta
Profectura domo Sicula non mitior aula.
Nam ſi conſtituit ſolitoque decentius optat
Ornari, & properat, iamque expectatur in hortis,
Aut caput Iſiacæ potius ſacraria lenæ.

SOLOECISMVM.] Mar. iocans in hoc genus mulierum.
Sæpe ſolœciſmum mentula noſtra facit.

VIRIDES GEMMAS.] Id eſt ſmaragdos Pli.

MAGNAS ELENCHOS.] Proceros vniones quos mulieres autore Plinio binos & trinos auribus & digitis ſuſpendebant, & à ſtrepitu idem dicebantur crotala: nam κρέω ſignificat pulſo.

POPPEANA.] Poppeana dicebantur panis offæ oblitæ lactæ aſinarum, à Poppea vxore Neronis, quæ id primum docuit, quemadmodum Coſmiana vnguēta à Coſinio dicimus, & Nicerotiana à Nicerote magiſtro Pli. *cutem in facie erugari & tenereſcere: & candorem cuſtodiri lacte aſinino putant.* paulo poſt, *Popea hoc vxor Neronis principis inſtituit, balnearum quoque ſic ſolio temperato, aſinarum gregibus ob hoc etiam commitantibus.*

DOMI.] Id eſt, apud maritum.

FOLIATA PARANTVR MOECIS.] Id eſt, ſe vngit foliato cum accedit ad mœchos, vt placeat. foliatum vnguentum pretioſiſſimum. idem nardinum fiebat, autore Plini. ex omphaton balammo iunco coſto, nardo amomo, mirrha, balſamo.

TECTORIA.] Tectoriam calcem antiqui dixerunt qua parietes exterior parte oblinuntur, & opus tectorium quod extra ſpecioſum eſt & læuigatum.

PRIMA REPONIT.] Id eſt, illas offas.

COSMETÆ.] Ancillæ curantes ornatum dominæ. nam κοσμέω ſignificat orno.

ALIENI SOMNI.] Id eſt mariti qui dormiuit nec rem cum ea habuit. Pſecas, nomen ancillæ ſumptum ab vna ex comitibus Dianæ cuius meminit Oui. ψεκάζω ſignificat irroro: nam irrorat dominam ſe componentem.

SICVLA AVLA.] Id eſt Phalaride, qui primus in Sicilia tyrannidem inſtituit, vt ſcribit Plinius: reprehendit autem inſolentiam mulierum quæ cum ſibi diſpliceant verberant ancillas: quod Martialis notauit in Lalage, cum vidiſſet ſe in ſpeculo.

IN HORTIS.] Duobus in locis adulteriorum erat occaſio, in hortis, ſcilicet, & in templo Iſidis Deæ. de hortis hiſtoria apud Tacitum: de templo Iſidis carmen extat Ouidij in libro de arte.

LENAE ISIACAE.] Id eſt, lenæ quæ in templo Iſidis eam expectat.

Compo-

Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros Pſecas infœlix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crinem facinuſque capılli.
Quid Pſecas admiſit? quænam eſt hic culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera læuum
Extendit, pectitque comas & voluit in orbem.
Eſt in conſilio matrona admotaque lanis
Emerita, quæ ceſſat acu, ſententia prima
Huius erit: poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt, tanquam famæ diſcrimen agatur.
Aut animæ, tanta eſt quærendi cura decoris:
Tot premit ordinibus; tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis,
Poſt minor eſt; aliam credas: cedo ſi breue parui
Sortita eſt lateris ſpatium, breuiorque videtur
Virgine pygmæa, nullis adiuta cothurnis,
Et leuis erecta conſurgit ad oſcula planta.
Nulla viri interea cura, nec mentio fiet
Damnorum: viuit tanquam vicina marito.
Hoc ſolo proprior quod amicos coniugis odit
Et ſeruos, grauis eſt rationibus. ecce furentis
Bellonæ matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semiuir, obſcœno facies reuerenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta
Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & phrygia veſtitur bucca tyara.
Grande ſonat, metuique iubet ſeptembris, & auſtri
Aduentum, niſi ſe centum luſtrauerit ouis,
Et xerampelinas veſtes donaueris ipſi
Vt quicquid ſubiti & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum
Hybernum fracta glaice deſcendet in amnem,
Ter matutino Tyberi mergetur, & ipſis
Verticibus tumidum caput abluet: inde ſuperbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis

VIRGINE PYGMÆ.] Id eſt, breuior tribus ſpithamis, nam Pygmæi intra tres ſpithamas habent ſtaturam, vt ſcribit Plinius, hoc eſt intra

tres drodrantes: nam dodrantalis menſura eſt vnius ſpithamæ.

GRAVIS EST RATIONIBVS.] Id eſt affert ſumptum.

ECCE.] Superſtitionem mulierum carpit cum aliis religionibus: tum in Cybeleios ſacerdotes & Iſidis.

TYMPANA PLEBEIA.] Id eſt tympana iſiaca & alexandrina.

BVCCA.] Veſtis eſt, vnde buccula & ſubbuccula dicitur, Tranquillus & Horatius verbum vſurpant.

XERAMPELINAS.] Xerampelinæ dicuntur togæ raſæ virides: has ſupra appellauit Galbana raſa, & Marti. Tunicam praſſinam ideſt viridem ξηρὸς ſignificat aridum & ἄμπελος ſignificat pampinum: vnde xerampelinæ: ideſt raſæ tunicæ virides.

EAT IN TVNICAS.] Hoc tractum eſt ex ritu compitalino, nam pilæ, ideſt effigies hominum veteribus veſtibus indutæ ſuſpendebantur in compitis, vt manes contenti illis imaginibus & ſimulacris abſtinerent viuis, autor Feſtus.

HIBERNVM FRACTA GLACIE.] Hæc de ſacerdotibus iſiacis, qui idem faciebant.

DESCENDAT IN AMNEM.] Ex ritu ægyptio hoc fit: nam ſacra Iſidis in Ægypto igne & aqua in primis celebrabātur in monumentum priſtinæ nauigationis Iſidis: quæ in Ægyptum eſt delata, autor Euſebius.

Ereptet genibus ſi candida iuſſerit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaſque petitas
A Meroe portabit aquas, vt ſpargat in ædem
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ouili.
Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri:
En animam & mentem cum qua dij nocte loquuntur.
Ergo hic præcipuum ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circundatus, & grege caluo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Ille petit veniam quotiens non abſtinet vxor
Concubitu ſacris obſeruandiſque diebus,
Magnaque debetur violato pœna caduceo:
Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens
Illius lachrymis, meditataque murmura præſtant,
Vt veniam culpæ non abnuat anſere magno,
Scilicet, & tenui popano corruptus Oſyris,
Cum dedit ille locum. cophino fœnoque relicto
Archanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos

Arboris, ac ſummi fida internuncia cæli.
Implet & illa manum,ſed parcius, ære minuto.
Qualiacunque voles Iudæi ſomnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel diuitis orbi

CANDIDA IO.]Io, Inachi Argiuorũ regis filia à Phœnicibus rapta eſt, vt Herodoto credimus, & abducta in Ægyptũ. Oſiris eam duxit vxorem : quo mortuo regnum tenuit : dictaque Iſis, poſt mortem habita pro Dea:eius ſacra Romam tranſlata ſunt,templo iuxta campum Martium erecto,ſacerdotes linea veſte vtentes euagabantur lugentes:mox ad lætitiam conuerſi ſacra perficiebant, id erat monumentum Iſidis, quæ Orum quoque filium ſolicite perquirebat amiſſo marito, verita ne ei accidiſſet quod patri: mulieres hæc ſacra frequentabant , nefaſque his erat illis diebus coniungi cum viro.

MEROE.] Lege Plinium & Strabonem de Meroe.

LINIGERO.] Ouidius:

Ne fuge linigeræ Memphitica templa iuuencæ.

Mart. *Linigeri fugiunt calui ſiſtrataque turba.*

Linigeri, ſacerdotes Iſidis quoniam veſte linea vtebantur, vt Herodotus ſcribit præſertim xylina: vt auctor eſt Plinius, nec aliam induere fas erat; calceis item papyraceis. CALVI dicuntur quoniam eodem autore cum alibi ſacerdotes permittant comam in Ægypto, eorum capita raduntur , imo & tertio quoque die totum corpus raditur, ne tinea vel aliud aliquid ſordidum inter ſacra offendat.

ANVBIS.] Lingua Ægyptia Mercurius dicitur : idem ſignificat canem : nam Mercurius capite canino vna cum Iſide colebatur:quoniam Diodoro teſte Iſis canibus vſa eſt ad maritum inueniendum. canes propterea in eius ſacrorum pompa præcedebant : addit Diodorus Annubim fuiſſe filium Oſiridis fratrem Macedonis, qui quoniam cane inſigni armorum vſus eſt, ea imagine colebatur: hoc loco Anubim appellat ſacerdotem Iſidis,quando tanquam Anubis, ideſt, Mercurius nuntius erat inter mulieres & Iſidem.

SACRIS DIEBVS.] Dicatis Iſidi. nam tunc nefas erat mulieribus coire, Propertius:

Quæ Dea tam cupidos totiens diuiſit amantes.
Quæcumque illa fuit ſemper amara fuit.

ARGENTEA SERPENS.] Intelligit de ſerpente quæ in imagine Oſiridis in ara Iſidis complectebatur canem & lupum , producto capite ad dexteram Oſiridis , auctor eſt Macrobius.de hoc magis placet intelligas quam de dracone qui eſt in virga Mercurij geminus.

ANSERE MAGNO.] Nam & carnibus anſerinis veſcebantur ſacerdotes Ægyptij & bubulis , vt ſcribit Herodotus.

PEPONO TENVI.] Suidas apud Græcos ſcribit peponum eſſe placentã

Chaldæis]Caue coniugas deferat Chaldæis,ſed ita legas,*ſed maior eſt fiducia Chaldæis*,id eſt plus credunt Chaldæis.id eſt aſtrologis quam auruſpicibus.

Qvoniam delphis oracvla cessant.]Hoc ait in irriſionem omnium oraculorum: nam Delphica oracula amplius non dabantur, quia ſcilicet nunquam fuerant,quod Cicero ita ſcribit. *Cur iſto modo Delphis iam oracula non eduntur,non modo noſtra ætate ſed iam diu*, iam vt nihil poſſit *eſſe contemptius*, Lucanus,

—ſiluit poſtquam reges timuêre futura,
Et ſuperos vetuêre loqui.

Extat Plutarchi libellus,quo diſputat quare ſiluerunt oracula, Amonis oraculum inſtituit puella à phœnicibus diuendita, vt Ægyptij tradunt Pauſanias Hamonem paſtorem autorem fuiſſe ſcribit,Diodorus Amonem regem. Herodotus Amum lingua Ægyptia Iouem ſignificari ſcribit,vnde Iupiter Amon.

Magnvs civis.] Damnat aſtrologorum ſcelera,ſumpto exemplo à Seleuco aſtrologo,cuius conſilio mors Galbæ dilata eſt ab Othone,vt ſcribit Tranquillus: *hanc*, inquit, *operam præſtant aſtrologi, vt rebus nefariis conſulant*. Fidétinus ſtultam prius opinionem de Piſone recitat,mox addit à nobis edoctus, *quidam volunt de Galba intelligi*,ego is ſum, ita volo & interpretor, Fidentine:Recte tu quidem in hoc quod hãc opinionem ad alios reieciſti:nam veram ſententiam nunquam dixiſti ex te. Magnvs civis,id eſt Galba.

Obit.] Conſilio ſcilicet Seleuci aſtrologi.

Parva seripho.]Seriphus inter duodecim Cyclades eſt, vbi Perſeus educatus capite Gorgonis incolas in lapides cõuertit,quoniam his adiutoribus Polydectes rex,Perſei matrem ad nuptias cogere voluit,Strabo autor.graue illic erat exilium,poſt Seriphon eſt Tenos dicata Neptuno, inde emenda carmen.Virgilij,

Vndarum Tenos æquorumque regi.

Ictericæ.]Ictericum morbũ regium.Celſus & Plinius appellant,quoniam vt ait Celſus,regio cubiculi apparatu curatur. Idem arcuatus à colore arcus celeſtis:Varro regium dictum putat, quod mulſo precioſiſſimo remedio curatur.

Ephemeridas]Sempronius Aſelio ſcribit eſſe diaria,in quibus ſingulorum dierum acta continentur,quam interpretationem alij hoc loco ſecuti ſunt: ſed ex verbis Plinij planum eſt ephemeridas eſſe ſubputationem numerorum in aſtris,quid quoque die immineat Plinius. *Crinas Maſſilienſis arte geminata,vt cautior religioſiorque ad ſyderum motus ex ephemeride mathematica cibo dando, horamque obſeruando eum auctoritate præceſſit.*

Svccina.] Nam hæc manibus tractabant & tenebant matronæ vt bene olerent, vt eſt apud Mart.Thraſyllus,hic mathematicus fuit ætate Tiberij principis,vt plane oſtendit Tranquillus.

Illius occurſus etiam vitare memento,
In cuius manibus ceu pinguia ſuccina, tritas
Cernis ephemeridas, quæ nullum conſulit, & iam
Conſulitur: quæ caſtra viro patriamque petente
Non ibit pariter numeris reuocata Thraſylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro, ſi prurit frictus ocelli
Angulus, inſpecta geneſi coliria poſcit.
Aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſyris.
Si mediocris erit ſpatium luſtrabit vtrumque
Metarum & ſortes ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum popiſma roganti.
Diuitibus reſponſa dabit Phryx augur, & inde
Conductus dabit aſtrorum mundique peritus,
Atque aliquis ſenior qui publica fulgura condit.

Petosiris.] Et Necepſus celebrãtur teſtimonio Plin. in ii. naturalis hiſtoriæ. Petosiris, id eſt ratio aſtrorum tradita à Petoſiti, id genus medicinæ inſtituit Ctinas Maſſilienſis de cibo ſcilicet dãdo ægrotis ex hora aſtrorum.

Si mediocris erit.] Si inquit mulieres ſint mediocris conditionis conſulunt ſortilegos, qui ſunt minoris auctoritatis quam aſtrologi.

Vtrumque spacium.] Id eſt vtrumque caput pendentium ſortium.

Sortes.] Inuenit Numerius Suffuſius præneſtinus cædem pendebat Romæ, hoc genere diuinationis humiliores vtebãtur. Cicero: *quis enim magiſtratus aut quis illuſtrior vtitur ſortibus.*

Frontem.] Id eſt adibit, & etiam metopoſcopos, quæ fronte inſpecta futura prædicunt, & chironomantes qui ex manuum inciſutis vaticinantur.

Popysma.] Nonnulli pro coitu acceperunt: ſed nulla ratione confirmati. nam Græce ποππύζειν, eſt manu tractare, adhibito etiam leuiore ſono vocis ad manſuefaciendum, vt ſolemus æquos indomitos: quem ſonum, quoniam cunnus facit in coitu. Mart. dixit,

— fatui popyſmata cunni.

Hic igitur ita intelligit, chironomanta diu differt ſententiam ſuam, vt mulierem conſulentem diu palpitet, & tractet: nam popiſma vt dixit eſt tractatio manuum.

Phryx augur.] Hoc ait quoniam vt ſcribit Cicero, Arabes, Cilices, Phryges, cantus auium notauerunt diligenter & auguria.

Publica fulgura.] Hoc eſt qui habent publicam curam fulgurum:

nam cum cadebant fulgura aderant qui locum expiarent,cæſis bidentibus,quem clauſum & ſeptum bidental appellabat Perſius,

Triſte iaces lupis euitandumque bidental.

Plebeium in circo poſitum eſt & in aggere fatum,
Quæ nudis longum oſtendit ceruicibus aurum:
Conſulit ante phalas,delphinorumque columnas,
An ſaga vendenti nubat caupone relicto.
Hæ tamen & partus ſubeunt diſcrimen,& omnes
Nutricis tolerant, fortuna vrgente, labores:
Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto.
Tantum artes huius, tantum medicamina poſſunt
Quæ ſteriles facit,atque homines in ventre necandos
Conducit.gaude infelix, atque ipſe bibendum
Porrige quicquid erit:nam ſi diſtendere vellet,
Et vexare vterum pueris ſalientibus, eſſes
Æthiopis fortaſſe pater:mox decolor hæres
Impleret tabulas,nunquam tibi mane videndus.
Tranſeo ſuppoſitos,& gaudia,votaque ſæpe
Ad ſpurcos decepta lacus,atque inde petitos
Pontifices,alios Scaurorum nomina falſo
Corpore laturos,ſtat fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus,hos fouet omnes
Inuoluitque ſinu:domibus tunc porriget altis,
Secretumque ſibi mimum parat. hos amat,his ſe
Ingerit,atque ſuos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus,hic theſſala vendit
Philtra,quibus valeat mentem vexare mariti,
Et ſolea pulſare nates,quod deſipis inde eſt,
Inde animi caligo & magna obliuio rerum,
Quas modo geſſiſti:tamen hoc tolerabile ſi non
Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui tota tremuli frontem Cæſonia pulli
Infundit:quæ non faciet quod principis vxor?
Ardebant cuncta & fracta compage ruebant:
Non aliter quam ſi feciſſet Iuno maritum
Inſanum.minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus,ſi quidem vnius præcordia preſſit
Ille ſenis,tremulumque caput deſcendere iuſſit
In cælum,& longam manantia labra ſaliuam.

Plebeivm in circo positvm.] In circo Flaminio Gnei Domitij delubro Scopæ manu ſculptæ erant Nereides, ſuper delphines, & alia prætcrea, magnum ac præclarum opus, etiam ſi totius vitæ fuiſſet, vt ſcribit Plin. id appellatur ad columnas delphinorũ. iuxta item circũ erat coloſſus Bruti Callaici in templo, proſtabant mulieres ad circũ, ſupra *ad circum iuſſas proſtrare puellas.* Phalæ alta ædificia dicuntur autore Pompeio, vel turres ligneæ, vt ſcribit Marcellus, à phalado, quod cælum ſignificat apud Etruſcos. dicitur ergo ante phalas, id eſt ad templum Bruti iuxta circum, vbi erat coloſſus altiſſimus. Senſus eſt pauperes mulieres, & plebeias adire proſtantes ad circum iuxta ſcilicet delphinos Gnei Domitij & coloſſum Bruti, & ab his capere conſilia. Fatvm plebeivm, id eſt reſponſa de fato plebeiarum mulierum. In circo et aggere in mulieribus proſtantibus ad circum iuxta aggerem qui illic erat.

Qvæ ostendit longvm avrvm.] Periphraſis eſt mulieris proſtantis.

Consvlit.] Dat conſilium plebeiæ interroganti. quod autem mulieres proſtitutæ darent reſponſa, locus ille indicat Plinij de Nerone, *vtinamque inferos potius & quoſcunque de ſuſpicionibus ſuis, deos conſuluiſſet, quam lupanaribus atque proſtitutis mandaſſet inquiſitiones eas.*

Hæ.] Scilicet plebeiæ & pauperes: nunc enim inuehitur in diuites quæ medicamentis abortiua faciebant.

Ad spvrcos lacvs.] Ad paludem Velabrenſem: nam illic pueri exponebantur, eoſdem lacus gelidos dixit Mart.

Falso corpore.] Nam ſunt ſuppoſiti, nec nati ex nobilibus.

Avvncvlvs Neronis.] Caligula frater Agrippinæ matris Neronis, qui à Cæſonia amatorio medicamento potionatus eſt, vt ſcribit Tranquillus, quod mox eum in furorem vertit, dato Hippomane, cuius in veneficio tantæ vires ſunt, vt affuſum æris mixturæ in effigiem equæ olym piæ admotos mares equos in rabiem coitus ageret. de Hippomane ſatis multa ante diximus.

Ivno maritvm.] Nam Iuno, 19. Iliados, vt ſcribit Homerus, accepto à Venere ceſto in tantum amorem ſuccendit Iouem, vt faſſus ſit ſe nunquam adeo arſiſſe, ſed hic intelligit totum orbem non aliter nutaſſe inſano Caligula, qui eum gubernabat, quam ſi Iuppiter verſus eſſet in furorem, cuius nutu omnia reguntur, vt ita detrimentum veneficij muliebris amplificet.

Senis.] Nam ad ſexageſimum quartũ annum peruenerat. Descendere, & Seneca ſcribit Claudium primum aſcendiſſe in cælum: ſed eundem comuni deorum decreto deiectum ad Inferos. Papinius,

Nondum ſtelligerum genitor demiſſus in axem:
Claudius.

Hæc poſcit ferrum atque ignes, hæc potio torquet,
Hæc lacerat mixtos equitum cum ſanguine patres,
Tanti partus equæ: quantum venefica conſtat!

Oderunt

Oderunt natos de pellice,nemô repugnet,
Nemo vetet,iamiam priuignum occidere fas eſt.
Vos ego pupili moneo quibus amplior eſt,res
Cuſtodite animas,& nulli credite menſæ,
Liuida materno feruent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis quicquid porrexit illa
Quæ peperit,timidus prægustet pocula papas.
Fingimus hæc,altum ſatyra ſumente cothurnum.
Scilicet egreſsi finem,legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hyatu,
Montibus ignotum rutulis,cæloque Latino.
Nos vtinam vani,ſed clamat Pontia feci,
Confiteor,puerisque meis aconita paraui
Quæ deprahenſa patent facinus tamen ipſa peregi.
Tu ne duos vna ſæuiſsima vipera cœna?
Tu ne duos?ſeptem ſi ſeptem,forte fuiſſent.
Credamus tragicis quicquid de Cholchide torua
Dicitur,& Progne.nil contra conor,& illæ
Grandia monſtra ſuis audebant temporibus:ſed
Non propter nummos,minor admiratio ſummis
Debetur monſtris,quotiens facit ira nocentem
Hunc ſexum,rabie iecur incendente feruntur
Præcipites,vt ſaxa iugis abrupta,quibus mons
Subtrahitur,cliuoque latus pendente recedit.

Hæc poscit ferrvm.]Id eſt hæc potio facit vt viri verſi in furorem poſcant arma & ignes.

Mixtos.]Hoc ait propter Caligulam,qui Equeſtrem ordinem & Senatorium furens lacerauit,quod factum fuiſſe videri vult Iuuenalis ob poculum amatorium. Tranquillus de Caligula nihilo reuerentior leniorue erga Senatum quoſdam ſummis honoribus functos ad eſſendum ſibi occurrere paſſus eſt,quoſdam cum clam interemiſſet.citauit vt viuos,præterea ab eodem.xx.amplius equites tumultu eliſos fuiſſe ſcribit:eundem denique in cunctos Senatores ſæpe fuiſſe inuectum & in Equeſtrem ordinem:Papinius de Caligula.

— nec proximus heres
Immitis quamquam & furiis agitatus abegit.

Tanti partvs eqvæ.]Legatur per epiphonema,& coniungatur cum ſuperioribus,vt Fabius illud Vir.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Tanti, id eſt tantarum virium eſt. Partvs eqvæ, id eſt Hippomanes, quod naſcitur in fronte pulli equini.

Qvantvm.] Hoc referatur ad inſequentia: nam hîc orditur reprehenſionem in matres, quæ exigua mercede conductæ filios veneficiis necăt, vt vacuę nubant adulteris. quătum conſtat vna venefica, interrogatiue: quaſi dicat minima mercede inuenitur etiam mater quæ veneneт filiŭ.

Nemo repvgnet.] Id eſt ego permiſerim vt habeant odio filios natos ex concubina viri.

Iamiam.] Cum ſcilicet filij veneno necentur.

Est fas.] Ego putauerim fas vt occidant priuignum, & filiis ſcilicet abſtineant.

Adipata.] Id eſt macteæ: nam macteæ erant partes carnium adipe conditæ, aptæ veneficiis, inde ſcribit Tranquillus miſſas fuiſſe macteas venenatas ab Imperatore.

Fingimvs.] Videmur fingere.

Pontia.] Nomen mulieris apud Tacitum, quæ interfecta eſt ab Octauio ſagitta, dum viro necato ei nubere nollet. Pontia item duos filios veneno ſubſtulit, vt adultero nuberet, huius meminit Martialis in Gallam. *O mater qua nec Pontia deterior.* De hac extat epigramma quod circunfertur, quo ſcelus fatetur.

Aconita.] Venena ociſſima, vt ſcribit Plin. quibus Calfurnius vxores dormientes necauit. nam tactis fœminibus fœminini generis aconitum mortem celerem affert.

Credamvs.] Senſus eſt, quæ ſcribunt tragici de mulieribus quæ necauerint filios, vt de Medea, fabuloſa quidĕ ſunt: ſed tamen eſto quod vera fuerint, nulla in eiuſmodi fabulis mater fingitur, quæ mercede & pecunia corrupta filium necauerit: ſed propter iram aut aliŭ aliquĕ dolorem.

Illam ego non tulerim quæ computat, & ſcelus ingens
Sana facit. ſpectant ſubeuntem fata mariti
Alceſtem, & ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri, cupiant animam ſeruare catelli.
Occurrunt tibi multæ Belides, atque Eriphillæ:
Mane Clytemneſtram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Inſulſam & fatuam læua dextraque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ:
Sed tamen & ferro ſi prægustaret Atrides
Pontica ter victi cantus medicamina regis.

Illam qvæ compvtat.] Id eſt quæ certo conſilio non perturbato animo deſcendit ad ſcelus, vt temporibus noſtris.

Spectant.] Scilicet quotidie in theatro dum repræſentatur.

Alcestem.] Fabulam de Alceſte quæ pro viro mori voluit.

Belides.] Id eſt quę viros necauerint, vt Belides fecerunt. ſenſus eſt, cŭ

ſpectentur fabulæ in theatro earum quæ pro viris voluerunt mori, vt Alceſtis,& quæ necarunt,vt Belidum & Clytemneſtrę;nulla tamen Alceſtem, ſed Belides imitatur.

Si atrides.]Si maritus,vt Agamemnon Clytemneſtræ.

Pontica medicamina.]Id eſt antidotum quod Mitridates rex Ponti contra venena quotidie ſumebat, ex ſale,ruta,nuce,fico conditum,ter à Romanis victus,Scylla ſcilicet Lucullo,Pompeio extrema clade,vt Gellius ſcribit,venena ſumpſit violentiſſima:ſed cum non proficerent.gladio ſe transfixit. huius compoſitionem ſcriptam inuenit Pompeius in eius ſcrinio, Iugulans erat vna,fici duæ ſiccæ potiſſimũ,rutæ folia xx.ſalis granum in vnum contuſa & deuorata ieiuno.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS
SATYRA SEPTIMA.

ET ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camænas
Reſpexit,cum iam celebres notique Poëtæ
Balneolum Gabiis,Romæ conducere furnos
Tentarent:nec fœdum alij nec turpe putarent
Præcones fieri,cum deſertis Aganippes
Vallibus exuriens migraret in atria Clio.
Nam ſi pieria quadrans tibi nullus in arca

Et spes et ratio.]Hæc ſatyra ciuium auaritiam notat,qui Poëtis nihil dabant, cum tamen princeps contigiſſet qui ſtudiis fauebat. idem ſenſus eſt Mart.in epigrammate,quo cõqueritur non eſſe Mecœnatem temporibus ſuis,cum ſit Auguſtus.legatur igitur, ſatyra nõ per ironiam, ſed aperto ſenſu,vt ita laudetur Domitianus, ſi Quintilianum & Mart. ſequimur eundem Imperatorem ita laudantes, vel certe Nerua quod magis placet,ex cuius principatu Poëtis,Mart.quoque congratulatur,

Contigit Auſoniæ procerum mitiſſimus aulæ
Nerua,licet toto nunc Helicone frui,

Tota igitur obiurgatio eſt auaritiæ ciuium & laus Principis.

Solvs.]Id eſt nullus ciuis,ſed ſolus Imperator,

Camænas.] Antiqui dixerunt Carmenas & Caſmenas, vt Næuius, nos eliſa litera Camænas.

Balneolvm Gabiis.]Cogitabant,inquit, Poëtæ de conducendo balneolo & furno:nam qui pauperes ſunt tremere dicuntur. Mart.

Et tremere & ſordes farris mordere canini,

Qui autem frigebant Horatij emulatione dicuntur cogitare de furno & balneolo conducendo,vt illic caleant.Hora. *—nec qui*

Frigus collegit furnos & balnea laudat,

Vt fortunatam plene præſtantia vitam.

BALNEOLVM AVT GABIIS.]Dicit vt oſtendat id cõduci propter frigus. nam Gabij,vt ſcribit Horatius inter loca frigida numerabantur.

PRÆCONES.]Hoc eſt extremæ deſperationis & difficultatis viuendi ſubire munus,ſcilicet præconis.Martialis,

Præconem iubeas vel architectum.

Oſtendatur,ames nomen,victumque Machæræ,
Et vendas potius commiſſa quod auctio vendit
Stantibus:O Enophorum,tripodes,armaria,ciſtas
Alchinoen Bacchi,Thebas,& Terea Fauſti.
Hoc ſatius quam ſi dicas ſub iudice vidi,
Quod non vidiſti,faciant,equites Aſiani:
Quanquam Capadoces faciant equiteſque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſt hac,nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis,laurumque momordit.
Hoc agite iuuenes circumſpicit,& ſtimulat nos
Materiamque ſibi ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum ſpectanda tuarum
Præſidia,atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur:lignorum aliquid poſſe ocius,& quæ
Componis dona Veneris,Teleſine,marito,
Aut claude,& poſitos tinea pertunde libellos,
Frange miſer calamos,vigilataque prælia dele,
Qui facis in parua ſublimia carmina cella.
Vt dignus venias hederis,& imagine macra:
Spes nulla vlterior,didicit nam diues auarus
Tantum admirari,tantum laudare diſertos:
Vt pueri Iunonis auem:ſed defluit ætas
Et pelagi patiens,& caſſidis atque ligonis.
Tædia tunc ſubeunt animos,tunc ſeque,ſuamque

AMES VICTVM ET NOMEN.] Id eſt non te pudeat quærere victum & appellari præconem.

MACHÆRÆ.]Id eſt præconis,à Machæra qui in eo munere tunc præſtabat. Machæra apud Græcos ſignificat enſem & cultrum: hoc verbum plane Græcum inſeruerunt carmini, vt panſam acontion,vt autor eſt Macrobius. non conuenit autem cum præcone, de quo hic loquitur,ſi exponas Machæræ, id eſt enſis, placet accipias pro nomine pro-

prio præconis tempore Iuuenalis, vt Gellius & Eulogus præcones ſunt apud Martialem.

VENDAS COMMISSA.] Id eſt quæ data tibi ſunt à dominis vt vendas.

TRIPODAS.] Menſas, poſtea inuenta ſunt monopodia luxu Aſiatico: vt ſcribit Liuius.

ARMARIA.] Maiora repoſitoria librorum.

ALCIONEM BACCHI.] Bacchus & FAVSTVS poetarum ſunt nomina: tragœdias temporibus Iuuenalis ſcribentium: ſed inepte, vt Baſſus apud Mart. ALCINOEM id eſt tragœdiam ſcriptam de Alcinoe, quæ vna ex Pleiadibus ex Neptuno peperit Ireum patrem Orionis: vt ſcribit Hyginus, à quo Irea opidum fuit agri Tebani, vt ſcribit Srabo. TEREA, regem Daulidis, id eſt tragœdiam de Tereo & Philomela.

DICAS SVB IVDICE] Vanitatem teſtimoniorum carpit in quo notat in primis Aſiaticos, qui vt ſcribit Cicero teſtimonia mutabant.

EQVITESQVE BYTHINI ALTERA.] Id eſt Gallogræcia.

NVDO TALO.] Cum equites dixiſſet, qui in bello operam ſolent præſtare, ſtatim addit eos etiam inutiles eſſe bello, quod notat ex more illorum: quibuſdam enim Græcorum inſtitutum fuit olim prodire in bellum altero crure ſeminudo; quod Macrobius docet Euripidis & antiquorum teſtimoniis: & Virgilius in Hernicos tranſtulit.

— veſtigia nuda ſiniſtri,
Inſtituere pedis.

TRADVCIT.] Ridendos præbet, & tradit nobis Martialis.

Deſine ſi pudor eſt miſeram traducere caluam.

Papinius. *Ego* inquit *traducor*. NVDO TALO molli corpore & pene inermi, ex armaturæ enim genere corporis mollitiem notat. ALTERA GALLIA. id eſt Gallogræcia. Nam qui ad Paphlagoniam conſederunt olim duce Leonorio diuiſi in tres gentes, eiuſdem tamen linguæ erãt.

Si QVA.] Hinc eſt initium Satyræ.

CROCEÆ TABELLAE.] Nam libri citro cuius color croceus eſt, ſeruabantur.

TELESINE.] Ad Theleſinum ſcribit etiam Martialis.

Quod mihi non credis veteri Theleſine ſodali.

TINEA.] Ouidius:

Roditur, & tinea carpitur ore liber

MACRA IMAGINE.] Nam vatibus dabatur ſtatua macra coronata edera in æde camœnarum poſt mortem. Lucius vero Actius poeta viuens eam ſibi poſuit: vt ſcribit Plinius,

Terpſicorem odit facundam & nuda ſenectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iſte
Quem colis, & muſarum, & Apollinis æde relicta.

auditorium extruit & ſubſellia conducit: & libellos diſpergit &c.

CONDVCTO TIGILLO.] Ideſt tignis conductis à te.

POSITA EST.] Id eſt conſtructa.

REPORTANDIS.] In alienis & referendis ad dominum à quo conduxiſti eas.

AMBITIOSI MALI.] Malum ambitioſum appellat poeticem qua homines verſantur cupidi laudis tantum.

CACHOETES.] Imitatio item Lucilliana, ideſt malus mos.

IN ÆGRO.] Ideſt in ambitioſo corde multos ſuorum temporum notat, & in primis Papinium, qui per ambitionem in poetarum certamine concertauerat in quinquatriis Mineruæ.

VENA PVBLICA.] Æmulatio Horatij.

Nec qui circa vilem patulumque morabitur orbem.

NEC FERIAT.] Id eſt non ſignet: metaphora à ſignantibus pecuniam. Horatius, licuit ſemperque licebit ſignatum præſente nota producere nomen.

CARMEN TRIVALE.] Quale ſolent cantare ruſtici in triuiis. Virgilius.

— num tu in triuiis in docte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperere carmen.

CONTINGERE THYRSVM.] Id eſt concipere animo furore Bacchi: nam bacchantes comis ſerta, & thyrſos manibus ſumere ſolebant, id eſt haſtas pampinis inuolutas, vt ſcribit Diodorus: & bacchari poetæ dicuntur, quando in furore concepto ſcribunt: Papinius.

Hac ego naſcentes latus bacchatus ad aras.

Vexant, & dominis Cyrræ, Niſæque feruntur
Pectora veſtra, duas non admittentia voces
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus & equos, facieſque deorum,
Aſpicere, & qualis Rutulum confundat Erynnis.
Nam ſi Virgilio puer: & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydri:
Surda nihil gemeret graue buccina poſcimus vt ſit
Non minor antiquo Rubrenus Lapa choturno,
Cuius & alueolos, & lænam pignorat Atreus.
Non habet infælix Numitor, quod mittat amico:
Quintillæ quod donet habet, nec defuit illi
Vnde emeret multa paſcendum carne leonem
Iam domitum: conſtat leuiori bellua ſumptu
Nimirum, & capiunt plus inteſtina poetæ.
Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: & Serrano, tenuique Saleio
Gloria quantalibet, quid erit ſi gloria tantum eſt.

DOMINIS CYRRÆ NISÆ QVE] Id eſt Apolline Cyrreo & Baccho Nyſeo. Cyrta vrbs vetuſta erat, ante quã erat Chryſſea planities: vnde erat aſcenſus in Delphos: vt Strabo ſcribit, inde Cyrreum Apollinem dicimus Delphicum: Nyſa in Parnaſſo & Arabia fœlici, vt ſcribit Diodorus, vbi educatus eſt Bacchus.

ASPICERE.] Ingenio ſibi repreſentare. CVRRVS quos excogitauit Virgilius in Iuturna & Turno.

CADERENT OMNES A CRINIBVS HYDRI.] Id eſt nihil profeciſſet Allecto ſuis colubris, quibus bellum Latinum ſuſcitauit, vt eſt apud Virgilium, id eſt Virgilius non potuiſſet canere illud bellum.

BVCCINA.] Alludit ad carmen Virgilij de Allecto:

— Cornuque recurue.
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
Contremuit nemus.

NIHIL GEMERET.] Id eſt Virgilius non potuiſſet excitare illud bellũ Latinum ſi neceſſaria defuiſſent.

RVBRENVS LAPPA.] Poeta eius temporum pauperrimus.

ATREVS.] Fœnerator: vt apud Mar. Claudius.

QVINTILLE.] Vt illud Martialis.

Pauper amicitia, cum ſis Lupe non es amica.

Vix poſſum iam diu ſtomachum cohibere toties occurrunt Fidentini clunici ineptiæ, quas etiam refutare pudet, ne vlla ex parte me mouere videantur, vt hoc loco quod ait de Caluo poeta intelligendum eſſe & de Numitore fratre Romuli.

DOMITVM.] Hanno pœnus primus docuit leonem domari, vt ſcribit Plinius.

CAPIVNT PLVS.] Per ironiam legendum eſt.

LVCANVS.] Pro quocunque poeta diuite ponitur, qui tantum ſcribat carmen ad laudem. Lucanum diuitem fuiſſe ſcribit Tacitus, qui tradit Melam eius patrem procuratione negotiorum Imperatoris ingentes opes fuiſſe conſecutum, quarum auiditate Nero paſſus eſt eum falſo crimine damnari; occurrit igitur tacitæ obiectioni: poſſent enim dicere ciues poetam contentum eſſe debere laude, nec aliquid præterea quærere: ita eſt inquit, ſi ſunt diuites vt Lucanus. Sed Sarano & Saleio Baſſo ſit quanta vis gloria: quid tamen facient ſi nihil præter gloriam habebunt, cum ſint pauperes? nam SARANVS nomen eſt poetæ temporũ Iuuenalis, vt Vmber Baſſus Clunius, apud Martialem: & SALEIVS Baſſus floruit temporibus Veſpaſiani, vt docet Cornelius de rhetoribus, Cornelius. *Securus ſit inquit, Aper & Saleius & quiſque alius ſtudium poetices & carminum gloriam fouet:* Eiuſdem meminit Quintilianus. *Vehemens inquit, & poeticum ingenium & Salei Baſſi præfuit, nec ipſum ſenectus maturauit.* Claruit in primis gratia Imperatoris: Codex meus & Manilij auditoris mei certiſſimæ fidei & ſummæ vetuſtatis Saleio habent, vt multis hactenus oſtendi pro quo alij habent Salino: in quo inepiiſſimus ſenſus eſt. Nam Salinum nunquam nominatur à poetis, niſi in tenui menſa: quo modo autem conuenit hortis marmoreis &

tenui

Salino: SARRANO. id eſt vitreo. Præterea quo pacto bene enunciatur hic verſus abſolute: *Gloria quantalibet &c.* Melius nos coniungimus: Gloria ſit quamtalibet Sarrano & tenui id eſt pauperi Saleio. quid erit &c. Non me mouent, aut Fidentini eiulatus: aut eius præceptoris nomen, quod interponit: facile enim patior vtrunque eorum diſſentire, cum male ſentiant.

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit Conſtatius vrbem,
Promiſitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: ſed cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agauem.
Ille & militia multis largitur honorem,
Semeſtri vatum digitos circunligat auro:
Quod non dant proceres dabit hyſtrio: tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopeia fecit, Philomena Tribunos.
Haud tamen inuideas vati quem pulpita paſcunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculeius?
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium, tunc vtile multis
Pallere, & vinum toto naſcire decembri.
Veſter porro labor fecundior hiſtoriarum.

CVRRITVR.] Statius Papinius Neapolitanus vt ipſe in ſiluis de ſe ſcribit, quamuis alter Statius fuerit Tholoſanus, vt tradit Euſebius, ex certamine poetarum à Domitiano inſtituto coronatus eſt in quinquatriis Mineruæ: inde ita ſcribit ad Domitianum.

—qualis ſub collibus albæ.
Cum modo Germanicas acies modo Daca ſonantem.
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Idem ad Septimium.

Hinc mea carmina
Regina bellorum Virago
Cæſareo perarauit auro.
Cum tu ſodalis dulce periculum
Connixus omni pectore coleres.

Et ad vxorem.

—ter me niditis albana ferentem.
Dona comis ſancto quæ Cæſaris induitauro.
Viſceribus complexa tuis.

Eum honorem cum inſolenter iactaret: aliis poetis erat inuiſus. Iuuenaliſque per indignationem eum notat, & Paridem panthomium;

cuius gratia non carminis merito Papiniũ coronatũ fuiſſe innuit ab his verſibus totũ ſatyricum opus inchoauit,ſed occultauit diu,mox cũ magno ſucceſſu audiretur eos huic ſatyræ inſeruit. Dici autem hæc in Papinium ex ſtomacho,vel ille verſus ſatis indicat.

Haud tamen inuideas vati quem pulpita paſcunt.

NISI VENDAT AGAVEM.] Carmen thebanum Paridi pantomimo: non quod ille alieno carmine vellet videri doctus: ſed hoc ait vt oſtendat eũ Paridis gratiæ ſeruire, cui ſpe mercedis dat carmen & omnem tribuit operã,huius Paridis apud Mart.eſt ephitaphion.

Vrbis deliciæ ſaleſque Nili &c.

Alter Paris temporibus Neronis fuit, quem ille interfecit tanquam eiuſdem artis æmulum,erat enim hiſtrio.

HONOREM MILITIÆ.] Ideſt tribunatum.

SEMESTRI AVRO] Nã tribuni quoque anulũ geſtabant vt oſtendit Plutarchus. Et nepos in epiſtolis pro Caluiſio ita rogat, *hunc rogo ſemeſtri tribunatu ſplendidiorem & ſibi & auunculo ſuo facias.* hinc Iuuenalis anulum tribunicium ſemeſtrem dixit.

CAMERINOS.] Nobiles ſed non gratos principi,qualis fuit Supplicius Camerinus qui de proconſulatu Aphricæ accuſatus eſt apud Neronem, Sed tamen abſolutus,vt Cornelius ſcribit.

BAREAS.] Ideſt nobiles non gratos principi: qualis fuit Bareas Sarranus de quo antea eſt dictum.

PELOPEIA.] Opus de Pelopeia vxore Thyeſtis.

HAVD TAMEN INVIDIAS VATI.] Hoc ex ſtomacho ait in Papiniũ qui canens & recitans carmina victum quærebat,in quo ait non eſſe ei inuidendum,notans illius impudentiam & turpem quæſtum.

PASCVNT.] Nam Papinius accepit prædium à Domitiano in Albano, quod iactat. *Aſt ego Dardaniæ quamuis ſub collibus Albæ*
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Vnda domi.

FABIVS LENTVLVS.] De his ante dictum eſt.

VINVM TOTO DECEMBRI.] Hoc dicit propter ſaturnalia, quæ menſe decembri celebrabantur, magna licentia poculorum, Papinius in Saturnalibus. *Et multo grauidus mero december.* Sẽſus igitur eſt, vtile fuiſſe multis vino abſtinuiſſe,etiã eo tempore quo omnes indulgent.i.in Saturnalibus. TOTO DECEMBRI. ideſt totis ſaturnalibus. Fidentinus poſt fabulas ſuas tandem noſtram refert opinionẽ, cui inuitus aſſentitur.

Scriptores petit hic plus temporis atque olei plus.
Namque oblita modis milleſima pagina ſurgit
Omnibus, & creſcit multa damnoſa papyro:
Sic ingens rerum numerus iubet,atque operum lex.
Quæ tamen inde ſeges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit hiſtorico quantum dares acta legenti?
Sed genus ignauum,quod tecto gaudet,& vmbra.
Dic igitur quid cauſidicis ciuilia præſtant

Officia, & magno comites in faſce libelli?
Ipſi magna ſonant, ſed tunc cum creditor audit
Præcipue: vel ſi tetigit latus acrior illo
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles.
Conſpuiturque ſinus: veram deprendere meſſem
Si libet, hinc centum patrimonia cauſidicorum:
Parte alia ſolum rus Sati pone lacertæ.

Olei Plvs.] Id eſt longiorē lucubrationē, vnde orationes Demoſthenis dictæ ſunt lucernam olere, quoniam noctu hæ erat lucubratæ.

Sed genvs ignavvm.] Proponit obiectionē & ei reſpondet, Poſſes inquit dicere hiſtoricos nihil lucrari, quoniā non prodeūt in forū, & agunt negociū, ſed ſemper in vmbra ſunt: Iuuenalis vero oſtendit homines eiuſdē inſtituti & artis non plus lucrari ſi in negotiis verſentur quam qui in vmbra fuerunt antiquorū temporibus, Cauſidici inquit, qui exercent eloquentiā in foro, centū non habent tantū diuitiarū vt omnia eorū bona poſſint cōparari etiā cū exiguo rure Attici Sati equitis Romani, quē ditiſſimū fuiſſe ſcribit Cornelius Nepos, eloquentē teſtatur Cicero, appellatū Satū oſtendit Suetonius, *Cecilius inquit Epirota Tuſculi natus, libertus Attici Sati equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ,* quod idē delectatus ſit ocio, & vmbra oſtēdit Cicero ad eū ſcribens, *te inquit ocium me vero negociū delectat.* Ditior igitur olim in ocio & vmbra fuit Atticus eques, & eius etiā minima villa plus valuit quā patrimonia centū cauſidicorū qui nūc in negotiis verſantur: & ita oſtēdit culpa temporum hoc accidere, non deſidia hominum vt pauperes ſint.

Creditor.] Qui pecuniā credidit debitori. Creditor itē cuius pecunia aliud aliquid agit vt hoc loco & apud Ciceronē, *res agitur per eoſdem creditores &c.* Creditor, ideſt qui conduxit patronum pecunia ſua.

Qvi venit ad dvbivm nomen.] In foro erant cauſidici, qui ad ſubſellia vocē tantū cliētibus accōmodabāt, & pragmatici qui his ſuppeditabāt iura, vt Cicero & Fabius ſcribunt, quorū erat maior dignitas & famæ diſcrimen. de pragmatico igitur nūc loquitur ſubmonēte & incitante cauſidicū ad clamorem ſuppeditata lege. Acrior id eſt vehementior illo creditore, id eſt qui magis vrget cauſidicum.

Cvm grandi codice.] Scilicet legum.

Pone solvm rvs lacertæ.] Hoc eſt ſolū rus exiguū, quaſi dicat nō cōferas omnes villas ſed vnū tantū rus atq; id breue: nā lacerta eſt breuis mēſura terræ: ante, *vnius ſeſe dominū feciſſe lacertæ.* Sati id eſt Attici Sati equitis Romani, qui eloquentiā nūquā exercuit in foro. Quod Fidētinus præceptorē ſecutus multa hoc loco recenſeat delitamēta & confingat fabulas, nec miror nec moueor: illud vero rideo quod ait præceptori ſuo placere Satum eſſe propriū aurigæ: id ne à libris ſibyllinis acceptū putes, oſtēdi multis Iuuenalē meū in cuius margine id ſcriptū eſt, ſine vlla auctoritate, vt multa alia in eiuſmodi codicibus reperiuntur.

Conſedere duces.ſurgis tu pallidus Aiax
Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Iudice.rumpe miſer tenſum iecur, vt tibi laſſo
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ:
Quod vocis precium? ſiccus petaſunculus, & vas
Pelamidum,aut veteres Aphrorum epimenia bulbi.
Aut vinum Thyberi deuectum quinque lagenæ:
Si quater egiſti,ſi contigit aureus vnus,
Inde cadunt partes in fœdere pragmaticorum,
Æmilio dabitur quantum petet,& melius nos
Egimus:huius enim ſtat currus æneus, alti
Quadriiuges in veſtibulis,atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curuatum haſtile minatur
Eminus,& ſtatua meditatur prælia luſca.
Sic pedo conturbat,Matho deficit,exitus hic eſt
Tongilli, magno cum rinocerote lauari
Qui ſolet,& vexat lutulenta balnea turba.
Perque forum iuuenes longo premit aſſerere Medos
Empturus pueros,argentum,myrina,villas.

CONSEDERE DVCES.] Hemiſtichion eſt Ouidij, ſumptum de certamine Aiacis & Vlixis in iudicio armorum.

DVBIA PRO LIBERTATE.] Tanquã ageres cauſã de conditione tua.

BVBVLCO IVDICE.] Hoc eſt apud iudicem rudem:hoc dicit quoniã multi Imperatorum indulgentia aſciti fuerant in decurias iudicum externi & barbari homines, quod Fidentinus ſomniat de Veſpaſiano, bone deus quam ridiculum eſt!

SCALARVM.] Scalæ Gemoniæ dicebãtur in quas dãnati trahi ſolebãt Trãquillus, *Nemo punitorum non in Gemonias abiectus vncoque tractus.* Gloria ſcalarũ erat,cũ patronus reũ damnabat. Senſus eſt, eſto quod viceris & dãnaueris reũ ad Gemonias, quod preciũ vocis erit tibi? Alij putãt ſcalas fuiſſe forulos & armaria cauſidicorũ quæ palmatũ foliis ornabãtur quũ illi viciſſent cauſã:Cicero, *Correpſimus ſcalas*, hęc legi in margine mei, Iuuenalis antiqui. VT TIBI LASSO, ideſt eſto quod tibi laſſo poſt multos labores. FINGANTVR VIRIDES PALMÆ SCALARVM, id eſt detur victoria de reo damnato ad ſcalas in quas obtinueris eum abiiciendum. QVOD VOCIS PRECIVM? ideſt quid premij tibi erit? Exigua munera cauſidicorũ deridet Martia. in Sabello, longo epigrãmate. Salſamenta his mittebãtur vthillæ lucanica, vẽtre cũ faliſco. Hic Iuue. *ſiccus petaſunculus*

PELAMIDVM.] Pelamides thynni ſunt intra annuũ tẽpus, cũ limum eruunt:nam πηλὸς, ſignificat limum, vnde pelamides. Hæ in alica coctæ particulatimque conſectæ in genera ciborum diſpartiebantur, vt ſcribit Plin.

Epimenia.] Sacra dicuntur menſtrua: ſed placet magis legas epimenida: nam epimenidum ſcillæ genus eſt proximum bulbis, quod Plin. ſcribit eſſe gratum cibis; & Theophraſtus anguſtiore folio ac minus aſpero ab vſu ita appellatum, in Aphrica præſtabant, Columella.

Et quæ ſica legit Getulis obruta glebis.

Mittebantur autem bulbi cauſidicis. Mart.

Cum bulbis cocleiſque caſeoque.

Epimenida aphrorum.] Appoſitio eſt, veteres bulbi qui apud Aphros epimenida ſunt.

Si quater egisti.] Id eſt ſi apud quatuor decurias iudicum, cauſam egeris, & tum demum datus ſit vnus aureus.

Partes cadunt.] Id eſt diſcedunt à lite, quam componunt arbitrio pragmaticorum. quos adeunt tanquam peritiores iuris.

Æmilio dabitur.] Idem apud Martialem eſt, qui ait cauſidicos vt conducerentur ſtatuas oſtentaſſe Mart.

Tam graue percuſſis in cudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cum faber aptat equo.

Sedens bellatore eqvo.] Deſcribit ſtatuam equeſtrem quam oſtendant cauſidici vt conducantur.

Lusca.] Nam in alterum latus & oculum incumbunt equites in haſtam proni.

Pedo.] Cauſidicus, alter Poëta cuius meminerunt Ouidius & Mart.

Conturbat.] Id eſt multa obiit negocia, Mart.

— conturbabit Atlas. Et alibi.

Conturbator Aper Vilius eſurio.

Deficit.] Inopia perit: nihil enim lucrabatur. Mart.

Parua rogas magnos, ſed non dant hæc quoque magni
Vt leuius pudeat iam Matho magna roga.

Hic est exitus.] Id eſt hæc cauſa eſt quare conducatur Tongilius de quo Mart.

Vri Tongilius male dicitur hemitritæo
Noui hominis mores, eſurit atque ſitit.

Rinocerote.] Rinoceros vas ſignificat, quo in balneis vtebantur ex cornu Rinocerotis, de quo diximus in commentariis Mart. inferioris conditionis homines pro Rinocerote vtebantur gutto ex cornu Tauri.

Turba lutulenta.] Id eſt multitudine comitum qui eum per lutum ſunt comitati & lauantur vna. Fidentinus clunicus lutulenta exponit pro pædiconum, quaſi in eo poſſet opes oſtentare Tongilius quod pædicones multos haberet comites.

Longo assere.] De aſſeribus ante eſt dictum.

Empturus pueros.] Id eſt tanquam velit emere pueros qui in ſeptis vendebantur, quò qui ſe diuites iactabant accedebant, tanquam omnia empturi, quod in Mamurra deridet Mart.

In ſeptis Mamurra diu, multumque vagatus,
Hic vbi Roma ſuas aurea vexat opes.

Spondet enim tyrio ſtlataria purpura filo.
Et tamen hoc ipſis eſt vtile,purpura vendit
Cauſidicum,vendunt amethyſtina, conuenit illis
Et ſtrepitu & facie maioris viuere cenſus.
Sed finem impenſæ non ſeruat prodiga Roma.
Vt redeant veteres,Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos,niſi fulſerit anulus ingens.
Reſpicit hoc primum qui litigat,an tibi ſerui
Octo,decem comites poſt te , an ſit ſella togati
Ante pedes: ideo conducta Paulus agebat
Sardonice.atque ideo pluris quam Coſſus agebat.
Quam Baſilus,rara in tenui facundia panno.
Quando licet flentem Baſilo deducere matrem?
Quis benedicentem Baſilum ferat?accipiat te
Gallia vel potius nutricula cauſidicorum
Affrica,ſi placuit mercedem imponere linguæ:
Declamare doces ô ferrea pectora Vecti,
Cum perimit ſæuos claſſis numeroſa tyrannos,
Nam quæcunque ſedens modo legerat,hæc eadem ſtans
Proferet,atque eadem cantabit verſibus iiſdem.
Occidit miſeros Cambre repetita magiſtros.
Quis color?& quod ſit cauſæ genus,atque vbi ſumma
Quæſtio,quæ veniant diuerſa parte ſagittæ,
Noſſe volunt omnes, mercedem ſoluere nemo:
Mercedem appellas?quid enim ſcio,culpa docentis
Scilicet arguitur,quod læua in parte mamillæ

SPONDET.] Id eſt præbet auctoritatem quod poſſit emere.

STLATARIA PVRPVRA.]Antiqui Stlatum pro latum dixerunt,vtPompeius ſcribit,& ſtlitem pro litē vt Fabius tradit , vnde ſtlata latum nauigium dictum eſt,purpura ſtlataria non à nauigio vt ego ſentio dicitur, ſed eſt periphraſis lati claui,vt legas purpura ſtlataria id eſt latus clauus purpureus quem geſtat.

TYRIO FILO.]Id eſt lana tyria.

SED FINEM.] Impenſe eos carpit,qui vt diuites viderentur & ita conducerentur,fœnore veſtes & comites conducebant, in quo Mart. Saufellum deridet.

Cinctum togatis & poſt & ante
Saufellum.

Octo servi.]Nam hic erat iuſtus numerus his qui geſtabantur, Catullus,*octo homines parare rectos ad lecticam*

Pavlvs.]Cauſidicus,cuius meminit Mart.

Gratus ſic tibi Paule ſit december.

Declamare doces.]Erant qui declamare docerent propoſita conttrouerſia ex hiſtoria aut oratione.Cicero ad præturam vſque Græce declamauit Latine ſenior.

V e c t i.] Vectius pro præcetore quocunque declamationum hic ponitur:nam vt ſcribit Plinius.*Vectius Valens adulterio Meſſalinæ Claudij Cæſaris nobilitatus,pariterque eloquentiæ aſſectator fuit.*

Classis.]Pars populi erat vt apud Liuium.Claſſis item numerus diſcipulorum , qui in claſſem diſtributi , vt ſcribit Quintilianus ordinem dicendi ſecundum ingenij vires ſeruabant,*ea nobis*,inquir,*ingens palmæ cõtentio,ducere vero claſſem multo pulcherrimum:*nam victor claſſi præponebatur,eratque triginta diebus in imperio, deinde certaminis erat poteſtas. V e c t i,legas genitiuo caſu , vt dicar, O quam patiens eſt Vectius in eo munere.

Occidit miseros Cambre.]Cornelius de declamationibus ita ſcribit,*Declamationes aut ex hiſtoriis trahebantur,ſicut ſanè nonnullæ vſque adhuc, aut ex veritate ac re,ſi qua forte recens accidiſſet : itaque locorum etiam appellationibus additis proponi ſolebant, & ſic certe collectæ editæque ſe habent.* Cambre igitur inſcriptio eſt declamationis à loco : nam Cambre oppidum eſt in Theutrania Troadis, vt ſcribit Plinius & è proxima regione eſt Leſbos,in qua Mitylenem occuparunt tyranni , vt autor eſt Strabo, Nigeſſilus & Magarogilus, Alceus Poëta eos carmine eſt inſectatus,vnde aureum plectrum habuiſſe dicitur autore Fabio. de tyrannis eiectis Cambre declamatio ſæpe erat repetenda à magiſtris , hæc placet ſententia vt conueniat cum eo quod dixit,

Cum perimit ſæuos claſſis numeroſa tyrannos.

Quod alij à Cambro Scytharum rege cuius meminit Diodorus Cambrem declamationem deducunt,nulla ex parte accommodatum eſt.

Nil ſalit Arcadico iuueni, cuius mihi ſexta
Quaque die miſerum dirus caput Hannibal implet:
Quicquid id eſt de quo deliberat,an petat vrbem
A Cannis, an poſt nymbos & fulmina cautus
Circumagat madidas à tempeſtate cohortes.
Quantumuis ſtipulare:& protinus accipe quod do,
Vt totiens illum pater audiat,aſt alij ſex
Et plures vno cum clamant ore ſophiſtæ,
Et veras agitant lites raptore relicto:
Fuſa venena ſilent,malus ingratuſque maritus,
Et quæ iam veteres ſanant mortaria cæcos.
Ergo ſibi dabit ipſe rudem ſi noſtra mouebunt

Conſilia,& vitæ diuerſum iter ingredietur
Ad pugnam qui rhetorica deſcendit ab vmbra
Summula ne pereat,qua vilis teſſera venit
Frumenti.quippe hæc merces lautiſſima, tenta
Chryſogonus quanti doceat,vel Pollio quanti
Lautorum pueros artem ſcindens Theodori,

ARCADICO IVVENI.]Id eſt aſinino:nam in Arcadia optimi & maximi aſini ſunt,vt ſcribit Varro & Plinius, & in Italia reatini. Axius Senator quatringentis aſinum emit: Mecenas pullo aſinino veſci docuit: ſed eo mortuo deſitum eſt.

A CANNIS.] Cannæ in Apulia nobiles buſto Romanorum,vt ſcribit Plin.Cannæ item Locrorum opidulum in Aſia, vt Strabo tradit.A CANNIS: Deliberauit enim Hannibal an duceret exercitum ad vrbem victis Romanis ad Cannas,Maarbale præfecto equitum ſuadente & hortante,pollicenteque ei cænam in Capitolio die quinto,lęta reſpondit Hannibal res eſt,ſed via maior quam vt capere animo poſſim.

CIRCVMAGAT.]Id eſt reducat Sillius.

— cunctantem & vana minantem
Circumagit caſtriſque ducem ſuccedere cogit.

A TEMPESTATE.]Nam duplici tempeſtate cum eſſet ad tertium lapidem à pugna eſt reuocatus,vt apud Liuium & alios ſcriptores eſt,volentem tertio progredi reduxit Iuno,vt Syllius cecinit.

AST ALII SEX.] Ex hoc autem oſtendit non eſſe ſubeundum munus docendi,quoniam ſophiſtæ qui ſe rhetoribus præſtare contendunt: iam magis audiuntur quam rhetores: nam falſis argumentationibus malas cauſas docent defendere.

SOPHISTÆ.] Apud Græcos rhetores dicuntur: Sophiſtæ item erant qui falſis argumentis, malas cauſas tueri docebant in eos ſcripſit Iſocrates perpetuam orationem, quæ inſcribitur κατὰ τῶν σοφιστῶν. iam ergo inquit, vero rhetori non eſt locus. ſed ſophiſtæ tantum ſunt in precio.

FVSA VENENA.] Scilicet à Medea,id eſt ſi accuſaretur Medea, quod fuſco bitumine venenato,cuius meminerunt Plin.& Diodorus Creontem regem cum Iaſonæ qui eius filiam Creuſam, vt alij ſcribunt Glaucam relicta Medea duxerat,& totam domum combuſſerit, vix euadente Iaſone, Sophiſtæ docent qua arte poſſit defendi vt abſoluatur. RAPTORE RELICTO. Cum aufugit à Iaſone, incenſa domo Creontis.

SILENT.]Defenduntur & abſoluuntur.

MALVS INGRATVSQVE MARITVS.] Id eſt Iaſon cenſetur maritus malus & ingratus & arte ſophiſtarum damnatur, tanquam malus maritus erga Medeam, cum ipſa debeat puniri,quoniam ipſa reliquit Iaſonem combuſta domo & necatis filiis.

ET MORTARIA QVÆ IAM SANANT.] Id eſt iam arte ſophiſtarum iudicantur venena prodeſſe, id eſt tantum abeſt vt Medea damnetur, quod magicem exercuerit in Eſone reſtituendo ad iuuentam: vt iam ars magica ſalutaris habeatur artificio ſophiſtarum.

CHRYSOGONVS.] Cytharœdus de quo ante: *Sunt quæ Chryſogonum cantare vetent.*

POLLIO.] Alter citharœdus. ſupra:

An capitolinam deberet Pollio quercum,
Sperare.

Et fidibus promittere. Mart.

Here de theatro Pollione cantante.

Cytharœdi, inquit, quales ſunt Chryſogonus & Pollio, maiorem mercedem conſequuntur ſua diſciplina quàm rhetores.

THEODORI.] Theodorus Gadareus rhetor fuit, de quo Suetonius in Tiberio. *Sæua ac lenta crudelitas ne in puero quidem latuit, quam Theodorus Gadareus rhetoricæ præceptor, &c.* Eiuſdem meminit Fabius, hic dicebat rhetoricen eſſe artem, ſed non virtutem.

SCINDENS.] Id eſt lacerans & deridens: nam Pollio, inquit, deridet artem rhetoricen, cum plus ipſe lucretur diſciplina ſua. Scindere, id eſt aliquando conuiciis lacerare. Pli. *Hic namque eſt Mamurra Catulli Veronenſis carminibus proſcißus.* Fidentinus autem exponit, *ſcindens id eſt diuidens lectiones more præceptorum.* Nam hic rudiſſimus accipit Pollionem & Chryſogonum pro rhetoribus, eadem ſcilicet ipſe rhetorice imbutus.

Balnea ſexcentis, & pluris porticus in qua
Geſtetur dominus quotiens pluit: an ne ſerenum
Exſpectet, ſpargatque luto iumenta recenti?
Hic potius, namque hic mundæ nitet vngula mulæ,
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio ſolem.
Quanticumque domus, veniet qui fercula docte
Componat, veniet qui pulmentaria condat.
Hos inter ſumptus, ſeſtertia Quintiliano,
Vt multum duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius. vnde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? exempla nouorum
Fatorum tranſi: fœlix, & pulcher, & acer.
Fœlix & ſapiens, & nobilis, & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.
Fœlix orator quoque maximus & iaculator:
Et ſi perfrixit cantat bene. diſtat enim quæ

Sidera te accipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
Si fortuna volet, fies de rhetore conſul:
Si volet hæc eadem, fies de conſule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliquid quam
Sydus & occulti miranda potentia fati?

SOLEM ALGENTEM.] Aut algentem ſolem dicit intrare in cœnationem, propter lapides ſpeculares oppoſitos, quorum luxum inſectatur Plinius: nam his ſol ita arcetur, vt quamuis intus luceat non admodum caleat, aut certè ſitum cœnationis deſcribit, quæ Columellæ pręcepto ita ædificatur, vt æſtate hibernum orientem ſpectet, & hoc placet, vt exponas algentem, id eſt hibernum.

QVINTILIANO.] Id eſt ſi ita parci ſunt Romani erga præceptores, quo pacto Quintilianus eſt locupletatus: nam hic Romæ rhetoricen profeſſus eſt. xx. annis vt ipſe ſcribit, primuſque mercedem publicam eo nomine meruit, vt tradit Euſebius, ex Hiſpania à Galba ductus.

NIGRÆ LVNAM SVBTEXIT ALVTAE.] Nobiles lunatis calceis vtebantur more Arcadum, Euandro duce: quaſi ipſi hi eſſent qui genus recta linea ſoli ab illis deducerent, autor eſt Plutarchus in quæſtionibus: ex cuius auctoritate plura de eo diximus in commentariis Mart. pars autem calcei excauata operiebatur corio, quod appellarunt ligulam: nam ſpeciem linguæ habebat, & Græce γλῶσσα, id eſt lingua dicitur: vt ſcribit Pollux. Nigros fuiſſe calceos in nobilibus ſcribit Horatius: *Nam vt quiſque inſanus nigris medium impedit crus pellibus.*

SVBTEXIT.] Id eſt operuit ligula appoſita. Papinius.

Primaque patritia clauſit veſtigia Luna.

Pudet & piget inſectari Fidentinum hoc loco, qui ALVTAM Scribit eſſe genus terræ, nec quid metiatur ſatis intelligit.

FIES DE RHETORE CONSVL.] Idem ſcribit Cornelius. *Magna inquit profeſſorum atque doctorum profluxit copia: adeoque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem Senatorium, atque ad ſummos honores proceßerint.* In eundem ferme ſenſum Pli.

DE CONSVLE.] Vt Silus nouarienſis qui poſt ædilitatem factus eſt rhetor. Ventidius ex captiua Æſculana natus, ductuſque in triumphum à Strabone Cnei Pompei patre: primo redarius, deinde mulio, demum conſul: primus de Parthis triumphauit, tanta admiratione hominum vt portentum dicerent, iactato verſu, *Mulos qui fricabat conſul factus eſt.* Maſſurius ſcribit eum bis in triumphum ductum eſſe: autores ſunt Plinius, Cicero, Gellius, Valerius.

Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos:
Fœlix ille tamen, coruo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ ſterilisque cathedræ,
Sicut Thraſymachi probat exitus, atque Secundi
Carinatis, & hunc inopem vidiſtis Athenæ,
Nil præter gelidas auſæ conferre cicutas.
Dij maiorum vmbris tenuem, & ſine pondere terram
Spirantesque crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco: metuens virgæ iam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus, & cui non tunc
Eliceret riſum citarœdi cauda magiſtri,
Sed Rufum atque alios, cædit ſua quæque iuuentus,
Rufum qui totiens Ciceronem Allobroga dixit:
Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc
Quodcunque eſt, minus eſt autem quam rhetoris æra
Diſcipuli cuſtos præmordet Acænetus ipſe,

SERVIS.] Vt Tullio nato ex captiua.

CAPTIVIS TRIVMPHOS.] Vt Ventidio Particum triumphum, qui olim captiuus fuit Strabonis Cnei Pompei patris.

POENITVIT MVLTOS.] Fidentinus hunc totum locum peruertit vt alia omnia. Nos ita exponimus. Iuuenalis ab exemplo oſtendit quamuis aliquis inſtituerit munus docendi: tamen eũ debere deſiſtere quod & Thraſymachus & Secundus rhetores fecerunt, cum paruam aſſequerentur mercedem.

THRASYMACHI.] Thraſymachus Carthaginenſis rhetor in Bithynia fuit: qui primus periodon quam Cicero ambitum & comprehenſionem interpretatur & membrum reperit, diſcipulus Platonis & Iſocratis rhetoris, artem generis deliberatiui perſcripſit: cum cœpiſſet rhetoricen profiteri deſtitit ob mercedem exiguam. SECVNDVS, CARINAS.] Athenis eruditus: rhetoricen cœpit illic profiteri. Sed ob paupertatem deſeruit munus, peruenitque Romam, & atria Neronis, moxque Othonis coluit: vnde eſt locupletatus, Tacitus: *miſſis in eas prouincias Atto & Secundo Carinate, ille libertus erat cuique flagitio promptus, hic Græca doctrina eruditus, animum non bonis artibus imbuerat.* Plutarchus item meminit: *Secundus inquit rhetor qui Othonis epiſtolas legerat, hæc narrabat.*

EXITVS.] i. Finis cõſiliorũ: nam tandẽ deſtitit: Alibi *exitus hic eſt Tongilij.*

.i. hoc conſilium Tongilij & finis conſiliorum vt. ſ. conducatur: non autem exitus.i. mors vt Fidentinus per ignorantiam ſecutus præceptorem interpretatur.

INOPEM.] Notat Secundum qui Athenis erat inops: ſed in vrbe malis artibus locupletatus.

NIL PRÆTER.] Hic verſus referendus eſt ad perpetuum crimen Athenarum, non autem ad ſecundum. PRÆTER CICVTAS.] Præter venenum vt dediſtis Socrati, quem falſo crimine accuſatum veneno ſubſtulerunt.

IN VRNA PERPETVVM VER.] Nam intra herbas odoratas condebantur more Pythagoreorum, foliis oleæ nigræ, populi & myrhi: qualem vrnam voluit habere Varro: vt eſt apud Plinium.

RVFVM.] Multi hoc nomine apud Tacitum leguntur: ſed de Verginio Rufo videtur intelligere: de quo hæc Tacitus. *Verginium Rufum claritudo nominis expulit.* Et paulo poſt. *Nam Verginius ſtudia iuuenũ eloquentia, Muſonius præceptis ſapientiæ fouebat*: Poſſes ſuſpicari dictum de Satrio Rufo cum in nonnullis codicibus Plinianis ita legatur. *Satrius Rufus cui eſt cum Cicerone æmulatio, & qui non contentus eſt eloquentia ſeculi noſtri.* Rufus inquit Iuuenalis, qui tantum ſibi in eloquentia tribuit: vt Ciceronem audeat tanquam ſuperfluentem & eloquacem accuſare, à diſcipulis ſuis contemnitur.

ALLOBROGA.] Hoc eſt Gallicæ loquacitatis & tumoris. Sed potiſſimũ dixit Allobrogem cum Gallum vellet dicere: notans hiſtoriam conſulatus Ciceroniani, in quo Allobrogum populorum Galliæ legati de Catilinaria coniuratione non nihil egerunt: fuiſſe præter Ruffum qui ſuperfluentem Ciceronem dicerent auctor eſt Cornelius. Brutus appellabat eum elumbem & mollem; Caluus atritum & exanguem.

ENCELADI.] Hic grammaticus fuit, eiuſdem nominis. L. Enceladus libertus Auguſti.

Et qui diſpenſat frangat ſibi cæde Palæmon,
Et patere inde aliquid decreſcere: non aliter quam
Inſtitor hibernæ tegetis, niueique cadurci:
Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab hora
Sediſti qua nemo faber, qua nemo ſedebat
Qui doces obliquo lanam deducere ferro.
Dummodo non pereat totidem olfeciſſe lucernas,
Quot ſtabant pueri cum totus decolor eſſet
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces quæ cognitione Tribuni
Non egeat: ſed vos ſæuas imponite leges,
Vt præceptori verborum regula conſtet,
Vt legat hiſtorias, auctores nouerit omnes

Tamquam vngues digitoſque ſuos, vt forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque nouercæ
Archemoli, dicat quot Aceſtes vixerit annis.
Quot Siculis Phrygibus vini donauerit vrnas.
Exigite vt mores teneros ceu pollice ducat,
Vt ſiquis cæra vultum facit, exigite vt ſit
Et pater ipſius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus non eſt leue tot puerorum
Obſeruare manus, oculoſque in fine trementes:
Hæc inquit curas, & cum ſe verterit annus
Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

TEGETIS HIBERNAE NIVEIQVE CADVRCI.] Cadurci populi Galliæ, ſunt apud quos lini præſtantia palmam obtinet in culcitris ob præcipuum candorem, autor eſt Plini. inde Iuue. cadurcum culcitram appellat. non aliter inquit Palemon & grammaticus patitur aliquid detrahi de mercede ſua, quam ſi eſſet inſtitor extremæ ſupellectilis, vt culcitræ & lodicis. Supra cum voluit oſtendere curam extremæ ſupellectilis, ait, *nec de lodice paranda.* HIBERNAM, TEGETEM vocat apparatum lecti quo frigus arcetur. Fidentinus cum hæc legiſſet in ſcriptis noſtris, ſua tentauit emendare, ſed tam inepte vt nec illa nec noſtra integro ſenſu illic appareant.

PHOEBI BALNEA.] Quæ erant in vrbe. Phœbus libertus, cuius meminit Cornelius. *Ferebant inquit Veſpaſianum tanquam ſomno conniueret à Phœbo liberto increpitum*: vel balnea Phœbi Cumas intelligit, vbi Phœbus colebatur. Martia Phœbi vada appellat.

NVTRICEM ANCHISAE.] Eiuſmodi quæſtiones perobſcuræ à grammaticis exigebantur. Inde Tranquillus ſcribit Tiberium ſolitum eſſe fatigare grammaticos, quærendo, quæ fuerit mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter virgines, &c.

ANCHEMOLI.] Alij interpretātur de Archemoro filio Lycurgi, qui deſertus ab Hypſiphyle nutrice, morſu anguis extinctus eſt, ſed non placet. ſuperfluum enim erat quærere de nouuerca Archemori, cum nullam habuerit, aut certe ſi Hypſiphylem tanquàm nouercam interpretantur, non conuenit. nam nomen Hypſiphyles notiſſimum eſt. Iuuenalis vero res prorſus incognitas proponit, de Archemolo igitur intelligo, de quo Virgilius,

Hinc Sthelenum petit & Rheti de gente vetuſta
Anchemolum thalamos auſum inceſtare nouercæ.

Cuius nouercæ nomen noſtri incognitum fatentur, quamuis

Abienus iambicis verſibus Græcam eſſe dicat Caſperiam nomine.

POLLICE.]Id eſt tanquam digito,ſumptum eſt de Perſio,

Et premitur ratione,animus vnicuique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

TREMENTES OCVLOS.] Nam cũ ad virilitatem perueniunt hirquithalli dicuntur pueri,vt ſcribit Pompeius, quoniam θάλλουσι, id eſt germinant hirquis,id eſt,extremis occulorum angulis. TREMENTIBVS, ſcilicet in libidine.

QVOD VICTORI POPVLVS.]Hiſtorias & fabulas hoc loco nonnulli ſomniant,ego puto coniungendum cum eo quod dixit.

Rara tamen merces quæ cognitione tribuni
Non egeat.

Vt dicat, nullam habebis mercedem poſt tot labores,niſi per litem & quam iuſſerit dati tribunus populi iudex, VICTORI,id tibi victori litis. POPVLVS,id eſt tribunus iudex.

POSTVLAT.]Iubet dari tibi. Fidentinus it præceps,imo iamdudum totus corruit miſer.Hic neſcio quæ ſomnia per crapulam refert de ludis Circenſibus.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS, SATYRA OCTAVA.

Stemmata quid faciunt?quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri,pictoſque oſtendere vultus
Maiorum,& ſtantes in curribus AEmilianos,
Et Curios iam dimidios,naſumque minorem.
Coruini.& Galbam auriculis naſoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Famoſos equitum cum dictatore magiſtros:
Si coram lepidis male viuitur?effigies quo
Tot bellatorum,ſi luditur alea pernox
Ante Numantinos,ſi dormire incipis ortus
Luciferi,quo ſigna duces & caſtra mouebant
Cur Allobrogicis,& magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare,ſi cupidus,ſi

STEMATA.] Libertini locupletis aluminus incertum an filius Iuuenalis, cum male audiſſet de ignobilitate ſua, ſatyrã orſus eſt in eos qui ſola maiorum autoritate efferuntur, & hic nactus, occaſionem eorũ notat ſcelera.ad Ponticum vero ſcribit, quem docet quid ſit vera nobilitas. STEMMATA Græce Latine coronæ dicuntur: vnde Latini idem

verbum acceperunt pro ſtatuis maiorum, qui coronam aliquando meruiſſent, in atriis expreſſi cęra vultus auorum ſingulis diſponebantur armariis,& in gentilium funus adducebantur. STEMMATA eædem ſtatuæ erant,ſed tantum eorum auorum, qui coronam in bello meruiſſent, hæ ſolæ lineis deſignabantur, vt quaſi pictæ viderentur ad aliarum differentiam.Pli. *Stemmata lineis diſcurrebant ad imagines pictas.*

VLTVS PICTOS.]Id eſt ſtemmata maiorum.nam vt ait Plin.erant imagines cæreæ pictæ.

ÆMILIANOS.] Id eſt triumphales viros,quales fuerunt Paulus Æmilius,Macedonicus,cui data eſt veſtis à Senatu triumphalis ludis Circēſibus,Scipio Æmilianus, qui Carthaginem & Numantiam deleuit.

CVRIOS.]De Curio ante dictum eſt.

NASVM MINOREM.]Laus ſtemmatis eſt à vetuſtate.

CORVINI.]Id eſt Meſſalæ Coruini de quo ante dictum eſt.

GALBAM.]Id eſt,SergiumGalbam conſularem & oratorem,

TABVLA CAPACI.] Id eſt,amplo armario.ita coniuge quis fructus generis eſt,FAMOSOS,id eſt infames homines. IACTARE, id eſt,oſtentare. MAGISTROS EQVITVM, ſcilicet maiores ſuos, qui fuerunt Magiſtri equitum.

CORAM LEPIDIS.]Id eſt,coram præclaris viris,qualis fuit Lepidus,qui autore Valerio tantę indolis fuit,vt ei ex Senatusconſulto poſita ſit ſtatua bullata cum prætexta: quoniam puer progreſſus in aciem,hoſtem interemiſſet.

EFFIGIES QVO.]Id eſt,ad quem vſum habes tot ſtatuas maiorum,ſi nō emularis eorum virtutes?

SI ANTE NVMANTINOS.] Id eſt, ante ſtatuas triumphalium:qualis fuit Scipio Numantinus ludis tota nocte alea,vt ita coniunctim legas, *Si luditur alea pernox ante Numantinos,& ſi incipis dormire ortu luciferi.* id eſt, Si tandem ad auroram is dormitum verſatus tota nocte in alea, quo tempore illi ibant in aciem.quam ridiculi ſunt, qui coniungunt, *ortus Numantinos Luciferi*, & de aſtrologia diſputant hoc loco,non tam à nobis eſt oſtendendum quàm ab omnibus facile cognoſci poteſt.& tamē Fidentinus opinionē noſtrā ſequi noluit,tarditate ingenij impeditus.

FABIVS.]Qu.Fabij Maximi Allobrogis ciuis & Imperatoris clariſſimi filius perditam luxuria vitam egit, & maioribus indignam:adeo vt Pōpeius Prætor vrbanus paternis bonis ei indixerit. per hūc omnes intelligit qui à maioribus degenerarunt. Fuit item Fabius valens cuius meminit Tacitus.

ALLOBROGICIS.]Id eſt cur vendicet ſibi titulos maiorū.nā Fabius, vt ſcribit Valerius victoria Gallica cognomen Allobrogis, & ſibi & poſteris peperit.

MAGNA ARA.] Id eſt cur habeat hoc decus familiæ. nam Fabia gens habebat ſacra Herculis hæreditaria, quæ ipſa colebat,vt ſcribit Liuius: Magna autem dicit,vel propter arā Herculis maximā, cuius meminit Plinius & Virgilius,& Ouidus,vel certe quoniam autore Plutarcho in quæſtionibus duę erant in templo Herculis aræ; maior ex qua viri guſtabant;minor ex qua fœminæ.

Vanus & euganea quantumuis mollior agna:
Si tenerum attritus catinenſi pumice lumbum
Squallentes traducit auos, emptorque veneni
Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas eſt ſola atque vnica virtus
Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum
Præcedant ipſas illi te conſule virgas:
Prima mihi debes animi bona, ſanctus haberi
Iuſtitiæque tenax factis dictiſque mereris:
Agnoſco procerem, ſalue Getulice, ſeu tu
Syllanus quocumque alio de ſanguine rarus
Ciuis, & egregius patriæ contingis ouanti:
Exclamare libet populus quod clamat Oſiri
Inuento: quis enim generoſum dixerit hunc qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis? nanum cuiuſdam Atlanta vocamus.
Æthiopem, cygnum, prauam extortamque puellam
Europen, canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Leuibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſiquid adhuc eſt
Quod fremit in terris violentius ergo cauebis,
Et metuas ne tu ſis Creticus, aut Camerinus.

AGNA.] Alludit ad cognomen auitum. nam Fabius dictus eſt ouicula ab oue, quia haberet lenitatem & grauitatem ouis, vt ſcribit Plutar. quaſi dicat ſi non ouicula eſt, alludens ſcilicet, ad cognomen; ſed plane agna mollior.

CATINENSI.] Id eſt, Siculo; nam Cantane Ætnei incendij cineribus eiectis pumicibus olim onerabatur, pumices tamen qui in vſu erant corporum læuigandorum laudatiores erant in Melo & Ciſiro, & Eoliis inſulis, vt ſcribit Pli.

TRADVCIT.] Ridiculos facit.

COSSVS.] Id eſt talis, qualis fuit Coſſus, qui Lartem Tolumnium manu ſua interfecit, ducem hoſtium: vnde ſpolia opima in Capitolium reportauit altera poſt Romulum.

VEL DRVSVS.] Id eſt, imitare Druſi mores, Druſorum generis autor à Drauſo hoſtium duce interfecto cognomen in familia propagauit. Idẽ dicitur ex Gallia retuliſſe aurum, quod in obſidione Capitolij hoſtibus datum fuerat. nam quod de Camillo ſcribunt nonnulli, non eſt vna annalium fides.

SYLLANVS.] Ad hiſtoriam ſuorum temporum alludit. nam vt ſcribit Tacitus, *Syllanus ſuper claritudinem Iuliæ familiæ ſuæ, Octauium quoque inter auos nominabat*, & alibi, *Syllanus inquit eximia nobilitate.*

QVOD CLAMAT OSIRI.] Apta ſimilitudo. nam cum inciderit in bonum ciuem, ait ſe ita lætari vt ſacerdotes ſolent cum Oſiridem inuenerint, quem manentibus lachrymis paulo ante quærebant; quaſi & ipſe dicat, ſi optimum ciuem inuenerit, ſe tandem incidiſſe in eum, quem lugens iamdudum requirebat.

NANVM CVIVSDAM.] Senſus eſt; non ſi te aliquis appellet Africanum, propterea es Africanus; aut ſi Syllanum dicit, es Syllanus: nam id cognomen poſſet eſſe tibi impoſitum in ludibrium, & à contrario, vt Æthiopem aliquando cygnum dicimus, & nanum athlantem.

NE TV SIS CRETICVS.] Id eſt ne tu eadem irriſione appelleris, vel Creticus vel Camerinus: CRETICVS, ex familia Metelli Cretici, qui à Creta deuicta Creticus eſt dictus: ſcribunt hoc Liuius & Ouidus.

His ego quem monui? tecum eſt mihi ſermo rubelli
Plance: tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſa aliquid, propter quod nobilis eſſes
Vt te conciperes, quæ ſanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoſo conducta ſub aëre texit:
Vos humiles, in queis, vulgi pars vltima noſtri,
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.
Aſt ego Cecropides, viuas, & originis huius
Gaudia longa feras: tamen ima plebe quiritem
Facundum inuenies: ſolet hic defendere cauſas
Nobilis indocti. veniet de plebe togata,
Quis iuris nodos, & legum enigmata ſoluat.
Hic petit Euphraten iuuenis domitique Bataui
Cuſtodes aquilas, armis induſtrius. at tu
Nil niſi Cecropides, truncoque ſimillimus hermæ:
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quam quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles animalia muta
Quis generoſa putet niſi fortia? nempe volucrem

Sic laudamus equum, facili qui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo,
Nobilis hic quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.
Sed venale pecus Corithæ, poſteritas &
Hirpini, ſi rara iugo victoria ſedit.
Nil ibi maiorum reſpectus, gratia nulla
Vmbrarum, dominos precijs mutare iubentur
Exiguis, tritoque ducunt epiredia collo

HIS EGO QVEM MONVI.]Id eſt cuius cauſa hæc ſcripſi. nam à Pontico ad quem ſcribit diſcedit, & Rubellium Plancum alloquitur, mox ad Ponticum redibit, cum dicet paulo poſt, *Hæc ſatis ad iuuenem.* qui Rubellium Plancum & Ponticum eundem eſſe putarunt, vt Fidẽtinus & alij, ſua ſtultitia decepti ſunt.

RVBELLI PLANCE.]Codices mendoſi habẽt *Blande* pro *Plance*, de hoc ita ſcribit Tacitus in Nerone, *omnium ore Rubellius Plancus celebratur, cuius nobilitas per matrem erat ex Iulia familia, ipſe placita maiorum colebat, habitu ſeuero, caſta & ſecreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus.* non magis autem in hunc qui temporibus Neronis fuerat, quam ſub eius perſona in omnes, qui efferuntur nobilitate inuehitur.

SANGVINE IVLI.]Nam per matrem erat ex Iulia familia.

CECROPIDES.]Non dicit hoc quia ſit Athenienſis Rubellius, ſed quoniam cum Athenis familiæ de nobilitate certarent, aliæ dicebant ſe à Cecrope oriundas, & ex his Cecropides dicebantur, aliæ ab Alcmæone, vnde Alcmæonij, alia ab Ericheo, vnde Ericthidæ. Sed Cecropidæ genere præſtabant. EGO CECROPIDES, ego, inquit, præſto genere vt Cecropidæ Athenis præſtabant.

DE GENTE TOGATA.] Id eſt ex clientibus & plebeis, qui togati comites ſunt.

BATAVI DOMITI.]Scilicet à Domitiano, nam eos puer domuit Domitianus, vt oſtendit Tacitus, Syllius.

At puer aurico me iam formidante Batauo.

HERMAE TRVNCO.] Hermes Græce, Latine Mercurium ſignificat, mos Athenis erat, vt Thucydides & Demoſthenes docent, vt his qui vel triumphum duxiſſent, vel præclarum geſſiſſent: modo bini, modo terni, modo plures pro meritorum dignitate Mercurij darentur, expreſſi marmore, vbi ſolum caput eminebat, reliquo corpore non effićto, ſed rudi: atque ita ſupra fores diſponebantur. Apte igitur Iuuenalis eum qui ſe Cecropidem dixit, cum inutilis ſit ciuis patriæ, ſtatuæ Mercurij truncæ & ſine membris comparat. Quis non derideat hoc loco Fidentinum & eius præceptorem, qui Ormum legit pro liberto Cæſaris, deprauato verſu vt nullum ſenſum afferat. HERMÆ, id eſt ſtatuę Mercurij

cuius corpus truncum eſt, in præmiis maiorum tuotum.

TEVCRORVM PROLES.] qui iactas te ab Iulo otiundum.

CORITHÆ ET HIRPINI.] Hirpinus nomen equi eſt, & Corita equæ nobiliſſimę, vt Atlas, Durius, Aſtur equi apud Silliũ in certaminib.

MAIORVM.] Et Martia. Hirpini equi meminit.

Hirpini veteres qui bene nouit auos.

Nomen habuit ab Hirpinis populis Samnitum vnde venerat, Hirpus illorum lingua lupum ſignificat, vt Stra. docet: & Corita à Corito oppido Hetruriæ. Syllius,

Hos patriæ fauor, hos accendit nobile nomen
Antiqui ſtabuli.

EPIREDIA.] Epiredium, vt ſcribit Fabi. currum ſignificat compoſito verbo præpoſitione Græca & dictione Gallica: Gellius refert quoſdam ſenſiſſe totum eſſe barbatum.

Segnipedes, dignique molam verſare Nepotis
Ergo vt miremur te, non tua, primum aliquid da
Quod poſſim titulis incidere præter honores
Quos illis damus & dedimus quibus omnia debes.
Hæc ſatis ad iuuenem quem nobis fama ſuperbum
Tradit & inflatum plenumque Nerone propinquo:
Rarus enim ferme ſenſus communis in illa
Fortuna, ſed te cenſeri laude tuorum
Pontice noluerim, ſic vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas, miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas deſiderat vlmos.
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ ſiquando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet vt ſis
Falſus, & admoto dictet periuria tauro.
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſas.
Dignus morte perit, cœnet licet oſtrea centum
Gaurana & coſmi toto mergatur aheno.
Expectata diu tandem prouincia, cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena modumque,
Pone & auaritiæ, miſerere inopum ſociorum.
Oſſa vides regum vacuis exucta medullis.
Reſpice quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine iuſto
Et Capito & Tutor ruerint damnate ſenatu

MOLAM NEPOTIS.] Nepos proprium nomen eſt: de quo Mar. *Bis vicine nepos*, is priſtinum habebat, quod quum omnium in ore eſſet, eius meminit Iuue.

QVIBVS OMNIA DEBES.] Ex quibus totus pendes & nihil habes ex te laudandum.

HÆC SATIS AD IVVENEM.] Abſoluta quam fecit ad Rubellium digreſſione, ad Ponticum redit.

PHALARIS. Sæuiſſimus tyrannus, qui in Sicilia primus tyrannidem exercuit. Paurolam filium ſæpe commonefaciens, ne eundem principatum optaret, ad ſæuitiam natus, quam matri ſomnium portendit; nã viſa eſt facẽ parere cum prægnans eſſet. TAVRVM à Perillo æneum fabricatum habuit in voluptatem, cum illic incluſi homines qui puniebantur ingemiſcendo per machinæ meatus delinita voce canere viderentur.

DIGNVS MORTE PERIT.] Hoc eſt qui propter ſcelera dignus eſt morte omnino, & cauſas viuendi perdidit.

GAVRANA.] Id eſt Baiana, à Gauro monte proximo Bais, & inſula eiuſdem nominis: Papinius,

— Gaurus naualibus apta.

EXPECTATA DIV.] In auaros Præfectos prouinciarum inuehitur, dum monet Ponticum, qualem ſe debeat præſtare.

OSSA VIDES REGVM.] Id eſt tu vides iam reges ipſos ſpoliatos & exhauſtos vſque ad medullas à Præfectis prouinciarum.

CAPITO.] Capitonis meminit Horatius in ſermonibus: alterius, qui dictus eſt Coſſutianus Capito, meminit Tacitus: is fuit gener Tigillini, ſoceri precibus aſcitus in ordinem ſenatorium, damnatus quoniam Siliciam prouinciam cui præfuerat ſpoliauerat. Tacitus, *quæ oblitterari non ſinebat Capito Coſſutianus præter animum ad flagitium præcipitem iniquus Traſeæque, quod auctoritate eius concidiſſet, iuuantis Cilicum legatos dum Capitonem repetundarum interrogant.*

TVTOR.] Item Gallus ordinem in exercitu Romano geſſit, de quo hęc Tacitus, *Cerealis poſtero die Coloniam Treuirorum ingreſſus eſt, auido milite eruendæ ciuitatis, hanc eſſe claßici, hanc tutoris patriam*: & alibi ſæpe eiuſdem meminit.

Piratæ Cilicum: ſed quid damnatio confert,
Præconem Chærippe tuis circunſpice pannis
Cum Panſa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit.
Iam que tace: furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modo victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus
Nummorum, ſpartana chlamys conchylia coa,
Et cum Parrhaſii tabulis ſignisque Myronis
Phidiacum viuebat ebur, necnon Policleti:

Multus vbique labor raræ ſine Mentore menſæ.
Inde Dolobella eſt, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres referebant nauibus altis

PIRATÆ CILICVM.] Id eſt qui fuerant tanquam piratæ inter Cilicas, quos ſpoliarunt pirata à πέρθω quod eſt traſeo: quaſi dicat pirata inter piratas: nam Cilices piratæ facti ſunt, vt ſcribit Stra. Triphonis & regum qui ſucceſſerunt ignauia: ſed ſpe potiſſimum lucri, cum captos homines pro mancipiis ad Delon venderent: inde enim multi Romam ſerui aduehebantur. Pompeius Cilicas victos ex parte reduxit Solos, vrbem Ciliciæ quam Pompeiopolim appellauit.

QVID DAMNATIO.] His tribus verſibus publicorum iudiciorum carpit auaritiam; velata tamen reprehenſione: nam prouincialibus accuſantibus præſidem ſuum repetundarum ſæpenumero præſide damnato, pecuniæ reſtituendæ prouincialibus, Principum auaritia in publicum ærarium inferebantur: quod ſcribit Plini. factum eſſe in damnatione Marij Priſci, de quo antea *damnatus inani iudicio*. Et paulo poſt, *victrix prouincia ploras*. DAMNATIO.] Scilicet præfectorū. QVID CONFERT.] Scilicet ſociis quibus non reſtituitur pecunia.

CHERIPPE.] Cherippum ponit pro Cilice, qui obtinuit factum ſuum damnandum.

CIRCVNSPICE PRÆCONEM.] Tu inquit ô Chirippe vendentem pannos præfecti damnati, qui tibi debentur: ſed id agit vt pecunia inferatur in ærarium, non reſtituatur tibi : nam quod alter fur ſcilicet præfectus tibi reliquit, hoc eſt quod extorſiſti ex præfecto damnato, alter fur, id eſt ærarium publicum eripit.

PANSA.] Id eſt fur qualis fuit Panſa: ſed pro ærario hic ponitur.

NACTA.] Fur notiſſimus verſu Horatiano. Horatius.

Non quo fraudatis immundus Nacta lucernis.

Sed hic accipit pro præfecto qui ſpoliauit prouinciam.

IAM TACE.] Scilicet poſtea quam res peruenit ad ærarium: quaſi dicat non potes accuſare iudices ne laceſſas Principem.

NAVLVM.] Methaphora eſt à mercatoribus, qui cum nauigant, ſi minus quantum cupiunt lucrari poſſunt, ſtudent vt ſaltem recuperent ex mercibus diuenditis quantum pro vectura nauali ſoluerunt. idem eſt prouerbium in eum qui cum multa amiſerit, reliqua etiam velit perdere. Amentia inquit eſt velle perdere vitam poſt bona: Naulum item tibia eſt, vt ſcribit Philemon quæ non inflatur, ſed pulſatur vt cythara: autor Pollux.

NON IDEM GEMITVS.] Id eſt non erat tantus dolor olim ſpoliatis, quantus nunc, quoniam tunc erant diuites.

EBVR PHIDIACVM.] Id eſt ſtatuæ eburneæ ſculptæ à Phidia, qui cla-

ruit ebore præſertim celando, de Parrhaſio & Myrone & Polycleto alibi dictum eſt.

POLYCLETI.] Is formam humanam ſupra verum expreſſit: ſed Deorum autoritatem non expleuit, in quo caluerunt Phydias & Alcamenes.

DOLOBELLA.] Dolobellæ cuiuſdam meminit Tacitus, de quo hic non intelligit. Fuit item Dolobella qui Aſiæ præfuit proconſul: damnatuſque eſt repetundarum accuſante. M. Scauro: vt ſcribit Pedianus. Alterum Dolobellam accuſauit Cæſar: ſed non damnauit.

ANTONIVS.] Nec de Antonio, cuius meminit Tacitus, nec de Marco Antonio triumuiro loquitur, neuter enim prouinciam ſpoliauit: ſed de Caio Antonio loquitur, de quo hæc Pedianus. *Hunc* (Antonium) *cenſores ſexſennio quàm hæc dicerentur, Senatu mouerunt, cauſaſque ſubſcripſerunt: quod ſocios diripuerat*: eiuſdem exulis meminit Stra.

VERRES.] Cum in Sicilia prætor triennio fuiſſet, non ſuccedente, Qu. Ario, accuſante Cice. patrono Siculorum damnatus eſt repetundarum. Plura apud Pedianum, & nos in ſecunda Satyra.

Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.
Nunc ſociis iuga pauca boum, & grex paruus equarum.
Et pater armenti capto eripietur agello:
Ipſi deinde lares: ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in ædicula Deus vnicus: hæc etenim ſunt
Pro ſummis, nam ſunt hæc maxima. deſpicias tu
Forſitan imbelles Rhodios, vnctamque Corinthum,
Deſpicias merito: quid reſinata iuuentus
Cruraque totius facient tibi leuia gentis?
Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis,
Illyricumque latus: parce & meſſoribus illis
Qui ſaturant vrbem circo ſcænaque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius diſcinxerit Afros?
Curandum in primis ne magna iniuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod vſquam eſt
Auri atque argenti, ſcutum gladiumque relinques,
Et iacula, & galeam; ſpoliatis arma ſuperſunt.
Quod modo propoſui non eſt ſententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sybillæ.
Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo Tribunal
Vendit Acerſecomes, ſi nullum in coniuge crimen,

Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno,
Tunc licet à Pico numeres genus: altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipſumque Promethea pones.
De quocumque voles proauum tibi ſumito libro.
Quod ſi præcipitem rapit ambitus atque libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures;

OCCVLTA PACE SPOLIA.] Id eſt opes, quæ reuera erant ſpolia bellica occultata ſub nomine magiſtratuum.

CORINTHVM VNCTAM.] Corinthus vncta molliſſima dicitur ob multas opes, & emporium Aſiaticorum, quod illic erat, ibi vt inquit Strabo, mercatores bona ſenſim conſumebant, iactato prouerbio, Nō omnium eſt Corinthum nauigare, erat & templum Veneris locupletiſſimum, in quo ſupra ducentas puellas proſtabant deæ.

RESINATA.] Id eſt expilata. Plinius de reſina, *pudetque confiteri iam maximum honorem eius in euellendis virorum corpore pilis.* Martialis. *— reſina veneto,*
Nec reſecare luto.

GALLICVS AXIS.] Id eſt Gallia: nam in his locis Othonis, Vitellij & Veſpaſiani temporibus tumultus armorum fuerunt.

MESSORIBVS ISTIS.] Aphros intelligit, vnde annona in vrbem mittebatur.

VACANTEM SCÆNAE.] Id eſt non ſunt irritandi Aphri ne arma aduerſus nos moueant, qui imbelles ſumus, & in ludis deſidemus, eorum laboribus victum percipientes. alij de Sabinis intellexerũt, ſed ridiculum id eſſe oſtendit, quod ſtatim addit.

Cum tenuis nuper Marius diſcinxerit Aphros.

RELINQVES IACVLA ET GALEAM.] Quibus poterunt ſe vlciſci.

CREDITE ME VOBIS.] Coniungendum eſt cum ſuperioribus: nam ex iniuriis illatis ſociis vaticinatur eorum defectionem ab imperio Romano.

ACERSECOMES.] Acerſecomes nomen à Iuue. fictum ita vt barbarum intelligatur: nam libertum intelligit vt Syrum, Capadocem, Armeniũ, liberti enim apud prouinciarum præfectos tantum gratia valebant aliquando, vt res æquas & iniquas precio venderent, vt Statius apud. Qu. Cice. fratrem. NEMO ACERSECOMES. Id eſt nullus libertus barbarus gratioſus apud te, TRIBVNAL .i. ſententias & iudicia tua, VENDIT. ſ. partibus litigantibus.

IN CONIVGE CRIMEN.] Nam vxores præfectorum auaritia ſæpe notatæ ſunt, Martialis:

Gentibus in Lybitis vxor tua Galle male audit,
Immodice fœdo crimine auaritia.

CELENO.] Id eſt tanquam altera Celeno harpya.

IN SANGVINE SOCIORVM.] Id eſt ſi te delectat crudelitas.

SECVRES EBETES.] Id eſt hebetate ſanguine cęſorum.

Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vicium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis, quæ fecit auus, ſtatuamque parentis
Ante triumphalem? quo ſi nocturnus adulter
Tempora Sandonico velas adoperta cucullo?
Præter maiorum cineres, atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus, & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine conſul?
Nocte quidem: ſed Luna videt, ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos: finitum tempus honoris
Cum fuerit, clara Damaſippus luce flagellum
Sumet, & occurſum nuſquam trepidabit amici
Iam ſenis, ac virga prior annuet, atque maniplos
Soluet, & infundet iumentis hordea laſſis.
Interea dum lanatas, toruumque iuuencum
More Numæ cædit Iouis ante altaria, iurat
Solam Hypponam, & facies olida ad præſepia pictas.
Sed cum peruigiles placet inſtaurare popinas:
O buius aſſiduo Syrophœnix vdus amomo
Currit, Idumeæ Syrophœnix incola portæ
Hoſpitis affectu dominum regemque ſalutat,

STARE CONTRA TE.] Id eſt nobilitas tua tibi nocet: nam facit vt facilius tua ſcelera cognoſcantur.

CONSPECTIVS CRIMEN.] Id eſt omne ſcelus tanto à pluribus videtur & accuſatur, quanto eſt nobilior & illuſtrior qui peccat: nam nobilitas facit vt à pluribus cognoſcatur.

QVÆ FECIT AVVS.] Non de Rubellio intelligit, de quo iam eſt dictum, ſed de omnibus poſteris.

PRÆTER

Præter maiorvm cineres.]Reprehenſio eſt eorum, qui à claris maioribus oriundi ad turpia aliquando miniſteria deſcenderunt vt multi temporibus Neronis,qui aurigare didicerunt in principis gratiam qui eodem tenebatur ſtudio.& quamuis in Neronis tempora excandeſcere videatur,tamen per hæc oſtendit omnem nobilitatem ſcænicis artibus & miniſteriis contaminatam eſſe.

Cineres maiorvm.]Id eſt in via Flaminia & Latina , vbi ſunt ſepulti eius maiores.

Damasippvs.]Nomen fictum ab equorum ſtudio.

Svfflamine.]Sufflamen dicitur quod opponitur rotę ne exeat aut recurrat,alibi à ſimilitudine ſufflamen dixit pro ambitu.

Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

Sed lvna videt.]Id eſt non deberet id minus vereri in occulto quàm in publio.

Hordea ivmentis lassis.]Hordea primum data ſunt iumentis, vt ſcribit Plinius,poſtea ex his factus panis,denique excogitata piſtana.

More nvmæ.]Qui docuit molam infundi , vt ſcribit Dionyſius & alij.

Sed dvm pervigiles.]Popinæ loca erant deſidiæ & luxuriæ apparata:nam vngebantur , illic genio indulgentes,multorumque opes abſumebantur.Salu.in hiſtoriis obiicit iuuentuti Romanæ quid popinas frequenter.Lucillius idem inſectatur.Martialis: Siriſcum deridet, qui multa ſeſtertia in Felariolis popinis conſumpſerit:idem carpit nunc in hominibus ſuorum temporum Iuuen.Instavrare, id eſt repetere. Pervigiles,id eſt noctu dieque patentes, propter multitudinem confluentem.

Syrophoenix.] Nomen proprium eſt vnguentarij, ita fictum quod ex Syria & Phœnicia vnguenta mittebantur , & Nicerotes vnguentarius,cuius meminit Laberius Syrus fuit. Vdvs,id eſt profluens vndique. Amomo,id eſt pixidibus amomi & vnguenti. Cvrrit,venit vt excipiat nobilem venientem ,quem ſalutat blandiens ei.

Idvmeæ.] Idumea in Syria, vt ſcribit Plinius : à meridie contermina Arabiæ,à Septentrione verò Phœniciæ aqu à Libanus eam diuidit.Idvmeam portam. Appellat,per quam triumpharunt Veſpaſianus & Titus de Iudæis:& fortaſſe arcum triumphalem Titi intelligit,iuxta quem erant popinæ.

Et cum venali Cyane ſuccincta lagena.
Defenſor culpæ dicet mihi,fecimus & nos
Hæc iuuenes : eſto,deſiſti nempe,nec vltra
Fouiſti errorem:breue ſit quod turpiter audes.
Quædam cum prima reſecentur crimina barba,
Indulge veniam pueris:Damaſippus ad illos
Thermarum calices inſcriptaque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ Syriæque tuendis

Amnibus & Rheno atque Iſtro præſtare Neronem
Securum valet hæc ætas. mitte oſtia Cæſar,
Mitte:ſed in magna legatum quære popina.
Inuenies aliquo cum percuſſore iacentem,
Permixtum nautis,aut furibus,aut fugitiuis,
Inter carnifices, & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſan tia tympana Galli.
AEqua ibi libertas,communia pocula, lectus
Non alius cuiquam,nec menſa remotior vlli.
Quid facias talem ſortitus,Pontice,ſeruum?
Nempe in Lucanos,aut Tuſca ergaſtula mittas.
At vos Troiugenæ vobis ignoſcitis & quæ
Turpia cerdoni,Voluſos Brutoſque decebunt.
Quid ſi nunquam adeo fœdis,adeoque pudendis
Vtimur exemplis,vt non peiora ſuperſint?
Conſumptis opibus vocem Damaſippe locaſti
Siphario,clamoſum ageres vt phaſma Catulli,
Laureornm velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me dignus vera cruce:nec tamen ipſi
Ignoſcas populo; populi frons durior huius,

CYANE.]Nomen proprium mulieris popinatiæ eiuſdem nominis in Sicilia nympha conuerſa in fontem,de qua Ouid. alia fluminis alia Menandri Filia mater Cauni & Biblidis.

SVCCINCTA.]Nam miniſtrat aduenientibus.

VENALI LAGENA.]Id eſt vino venali,vt oſtendat illic homines & vngi & potare.

INSCRIPTA LINTEA.]Id eſt ſudaria thermarum : nam erant ita appellata à varia textura,qua inſcripta videbantur.Catullus : *Sudariumque ſetabum cathagraphonque linon*,id eſt inſcriptum linteum.

ARMENIÆ.]Nam Armenia infeſta fuit Neroni vario tumultu,donec Tyridatem illius regem in vrbem accerſiuit,vt eſt apud Tranquillum;finitima eſt Capadociæ,ſortita nomen ab Armeno Iaſonis comite.

RHENO ATQVE ISTRO.]Id eſt Teutonibus & Batauis populis qui in Rheno ſunt, & ſæpe arma mouent.ISTRO, id eſt Dacis coercendis qui Iſtrum accolunt,& infenſi ſunt nomini Romano.

SANDAPILARVM.]Sandapila feretrum populare & viliſſimorum hominum vt in Domitiano oſtendit Tranquillus.

ERGASTVLA TVSCA.]Vbi ſerui vincti fodiebant agros.

VOLESOS BRVTOS.] De quibus ex Dionyſio ſatis recitatum eſt,nam ij

eo autore cum Tacio manſerunt in vrbe ex Sabinis Valerius Voleſus Talus cognomine tyrannus.

PEIORA SVPERSINT.] Longe inquit, & maiora dicenda ſunt de nobilibus,& ita in his hiſtrionicam damnat.

SIFARIO.]Sifarium nonnulli ex noſtris mercedem dixerunt eſſe quæ detur hiſtrioni:ſed in nulla probatur auctoritate. Sifar Homerus ſenectutem appellauit,& Græci alij rugoſam cutem: Feſtus ſcribit ſifarium eſſe genus veli minutum: ego verò accipio pro nomine proprio pantomimi qui ſcænæ præeſſet,vt Stephanionem legimus,Piladem appellem.

PHASMA.] Inſcriptio eſt fabulæ. CATVLLI non Veronenſis, vt ego ſentio,ſed alterius paulo ſupra tempora Iuuenalis. PHASMA autem ſignificat aliquando portentum,vt ſæpe Herodo.ſcribit: *Tale, inquit,phaſma apparuit in Græcia*. In ea fabula igitur monſtra repreſentabantur, quibus agendis clamore opus erat,alibi de eadem fabula

— mimum agit ille
Vrbani,qualem fugitiuus ſcurra Catulli:

Tu inquit ô nobilis locaſti vocem Sifario Pantomimo,vt phaſma Catulli ageres.In margine verò codicis mei antiquiſſimi ita eſt:*Catullum intelligit qui mimos ſcripſit.vt Laberius Laureolum fabulam & Leontem ſcripſit Neuius Poëta in carcere,in qua introducebatur Laureolus,qui ob ſcelus cruce pendebat.* Domi.ita voluit hanc fabulam agi aliquando vt alias, vt qui ageret vera cruce penderet,non fabuloſa.Mart.de damnato.

Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Lentulus autem ciuis nobilis eam pro hiſtrione egit,ita tamen vt non pependerit vera cruce cum debuerit,vt ait Iuuen.quoniam hiſtrionicam exercebat.

Qui ſedet,& ſpectat triſcurria patriciorum:
Planipedes audit Fabios,ridere poteſt qui
Mamercorum alapas.quanti ſua funera vendant
Quid refert?vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde,atque hinc pulpita pone:
Quid ſatius?mortem ſic quiſquam exhorruit, vt ſit
Zelotypus Thymeles,ſtupidi collega Corinthi?
Res aut mira tamen,citharœdo principe natus
Nobilis.hæc vltra,quid erit niſi ludus?& illud
Dedecus vrbis habes,nec mirmilonis in armis
Nec clipeo Gracchum pugnantem,aut falce ſupina:
Damnat enim tales habitus,& damnat, & odit,
Nec galea frontem abſcondit,mouet ecce tridentem,
Poſtquam vibrata pendentia retia dextra

Nequicquam effudit, nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoſcendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum ſe
Porrigat, & longo iactetur ſpira galero.

Triscvrria.] Id eſt, nec ignoſcendum eſt populo, qui poteſt ſpectare ſcurrilitatem patriciorum. Triscvrria, verbum antiquum eſt & ſcurrilitatem ſignificat ingentem: nam tris pro ſuperlatiuo Græci & Latini vtebantur, quod Strab. affirmat de Græcis cum exponat apud Home. *O terque quaterque beati, id eſt, maxime*, quod & Vir. eſt imitaturus, nec ignoro Macro, aliter ſentire.

Planipedes.] Id eſt, recitantes comœdias planipedas, quæ viliſſimæ erant, vt ſcribit Dona. argumento & actione.

Alapas mamercorvm.] Id eſt qui poteſt ridere & ſpectare Mamercos nobiles imitantes Latinum mimum, qui vt riſum prouocaret Paniculum, alterum mimum alapis cedebat, tanquam ſuſpectum ſibi quod rem haberet cum Thymele vxore. Mart.

O quam dignus eras alapis Mariane Latini,
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.

Qvid refert.] Scilicet ad excuſationem eorum.

Nvllo cogente Nerone.] Nam Nero equites & Senatores in gladiaturam iuſſit deſcendere, vt Tacitus & Tranquillus ſcribunt, nunc, inquit non eſt Nero qui cogat: ſed ſponte deſcendunt in arenam.

Finge tamen gladios.] Eſto quod Nero cogat propoſito ſupplicio mortis, niſi deſcendant in pulpita & in theatrum.

Qvid satius.] Hoc eſt, nonne præſtat mori, quam conſcendere pulpita.

Zelotypvs Thymeles.] Id eſt, vt ſimulans ſe Zelotypum Thymeles more Latini cædat alterum alapis, vt ante eſt dictum, ex hoc refertur ad id quod ait *Mamercorum alapas.*

Collega corynthi stvpidi.] Id eſt, aut ſocius Corinthi mimi planipedarij in agendis fabulis. Stvpidi, hebetis & ignaui, & hoc refertur ad id quod dixerat *planipedes audit Fabius.*

Natvs cytharoedo principe.] Id eſt, ſub Nerone, de cuius ſtudio citharæ ſatis dictum eſt.

Illvd dedecvs vrbis.] Hinc omnes aculei ſatyræ exerti ſunt, quod nobiles turpes & ſordidas artes aliquãdo exercuerint. inſectatur igitur eos qui volunt ſibi videri nobiles, & tamen ita ſubeũt hiſtrionicã, & artem ſcænicam, vt illic agnoſci & ſpectari lætentur. cum itaque deſcendunt in gladiaturam nobiles vt ait, & in gladiatoribus alter ſit Mirmillo, qui galea vtitur tecto ore, alter retiarius, qui galerum habet nudo vultu, nolunt eſſe Mirmillones inquit, ne tegant faciem: ſed retitarij vt agnoſcantur.

Gracchvm.] Id eſt, nobilem ciuem.

Falce svpina.] Nam falx, qua vtebantur Mirmilones ſupina, dice-

batur, vt eſt apud Tranquil. in Caligula.

TRIDENTEM.] Ideſt, fuſcinam quam habet vt retiarius.

EFFVDIT.] Ideſt, emiſit aduerſus Mirmillonem vt eum caperet.

CREDAMVS TVNICÆ.] Nam retiarij tunicati erant,& induebant galerum,ita tamen vt vultus non tegeretur. Sueto. *pileum,inquit,vel galerum ſumebat* : & alibi, *retiarij tunicati quinque.*

Ergo ignominiam grauiorem pertulit omni
Vulnere, cum Gracchoiuſſus pugnare ſecutor.
Libera ſi dentur populo ſuffragia,quis tam
Perditus vt dubitet Senecam præferre Neroni,
Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia,nec ſerpens vnus,nec culeus vnus?
Par Agamennonidæ crimen,ſed cauſa facit rem
Diſsimilem,quippe ille Deis autoribus vltor
Patris erat cæſi media inter pocula,ſed nec
Electræ iugulo ſe polluit,aut Spartani,
Sanguine coniugij, nullis aconita propinquis
Miſcuit,in ſcæna nunquam cantauit Oreſtes:
Troica non ſcripſit, quid enim Virginius armis
Debuit vlciſci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam ſæua,crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ ſunt generoſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui,Graiæque apium meruiſſe coronæ.
Maiorum effigies habeant inſignia vocis.

SECVTOR.] Non proprium eſt vt quidam autumnant, ſed Mirmillonem ſignificat, qui retiarium poſtquam ab eo captus non eſt, inſequitur Trãquillus: *Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes ſine certamine vllo : totidem ſecutoribus ſuccubuerant.* IGNOMINIAM GRAVIOREM. ideſt,ſecutor exploſus eſt & deriſus à ſpectatoribus, qui nobilem retiarium imperitum per totam arenam inſequebantur.

LIBERA SI DENTVR.] Exit in apertam Imperatoris reprehenſionem,cum dicat Senecam,qui iuſſu Neronis interemptus eſt,quamuis ignobilibus parẽtibus eſſet natus, anteponendum Neroni qui nobilitatem vitiis perdidit.

NON DEBVIT VNA PARARI SIMIA.] Nam ſimia, ſerpente & gallinaceo, vt Cice. ſcribit inſuti culeo parricidæ puniebantur. NON VNA SIMIA. quaſi dicat. qui plura parricidia commiſit.

DE ISAVTORIBVS.] Id eſt, deis ita volentibus, quos ita voluiſſe oſtendit Homerus, qui introducit in principio Odyſſeæ Iouem dicentem ſe monuiſſe Ægiſtum per Mercurium nuncium, vt nece Agamennonis abſtineret, & Clytemneſtra vxore aliena: quoniam ſi id committeret, Oreſtes filius aliquando vlciſſeretur, & ita accidiſſe.

ELECTRÆ SORORIS.] Vt Nero ſcilicet interfecit Antoniam Claudij filiam nuptias recuſantem, & Britannicum fratrem locuſtæ veneficio.

SPARTHANI CONIVGII.] Ideſt, Hermiones vxoris ſuæ Sparthanæ, vt Nero interfecit Pompeiam vxorem ictu calcis cum grauida eſſet.

MISCVIT.] Non dedit bibenda venena Oreſtes aliquibus affinibus, vt Nero Burro, aliiſque neceſſariis & amicis.

NVNQVAM CANTAVIT.] More ſcilicet citharœdi, quod Nero fecit Neapoli, & in Achaia: Tranquillus, & Tacitus autores.

TROICA NON SCRIPSIT.] Id eſt, non cecinit captiuitatem Ilij Oreſtes vt Nero, qui ardente vrbe captiuitatem Ilij cecinit, vt ſcribit Tranquillus: quaſi dicat, non incendit vrbem Oreſtes vt Nero.

VIRGINIVS.] Defecerunt à Nerone Iunius vindex proprætor in Gallia, & Galba in Hiſpania cum exercitu. Virginius item Rufus exercitum germanicum in Gallia habebat, & per tumultum militarem, cum Rufus negaret ſe aſſenſurum Galbæ ad Imperium, aut alicui qui non eſſet electus à Senatu: Vindex qui Galbæ fauebat manus cum eo conſeruit, ſibique mortem conſciuit inter viginti Gallorum millia cæſa: inde Virginius militaribus votis ad Imperium eligebatur, quod recuſauit: deſcendens tandem in partes Galbæ, hoc diſtichon inſcriptum eſt eius tumulo:

Hic ſitus eſt Rufus pulſo qui vindice quondam.
Imperium aſſeruit, non ſibi, ſed patriæ.

Ait igitur Virginium & Galbam & Vindicem merito deſciuiſſe à Nerone propter eius ſcelera.

FOEDO SALTV.] Sordida & turpi hiſtrionica ſaltatione.

PEREGRINA AD PVLPITA.] Hoc damnat quod Nero non tantum Romæ, ſed etiam in Peloponeſſo & externis nationibus, pro citharœdo in certaminibus palmæ, & victoriæ gloriabatur: nam vt ſcribit Tranquillus in Achaia cum ſacra ad Nemeam Argiui celebrarent, ciuitates omnes citharœdorum coronas ad ipſum miſere, quæ erãt ex Appio: Plinius de Appio: *Honos ipſi in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemea.*

Ante pedes Domitii longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones ſeu perſonam Menalippes,
Et de marmoreo cytharam ſuſpende coloſſo.
Quid Catilina tuis natalibus, atque Cethegi

Inueniet quiſquam ſublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus templiſque paraſtis,
Vt Bracatorum pueri, Senonumque minores:
Auſi quòd liceat tunica punire moleſta.
Sed vigilat Conſul, vexillaque veſtra coercet.
Hic nouus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques galeatum ponit vbique.
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, & tituli, quantum non Leucade, quantum
Theſſaliæ campis Octauius abſtulit vdo
Cædibus aſſiduis gladio: ſed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

ANTE PEDES DOMITI.] Id eſt, hæc erunt inſignia Neronis & ſpolia, quæ poterunt collocari inter imagines Domitii & eius maiorum.

LONGVM SYRMA THYSTE.] Syrma veſtem tragicam, qua ſcilicet vſus eſt Nero, dicta à ſyro, quod eſt traho: nam trahebatur à tibicine. Horati. *Traxitque vagus per pulpita veſtem.* Nero autem recitauit tragœdias Canacem parturientem. Oreſtem parricidam, OEdipodem excæcatum, Herculem inſanum. Syrma item vt ſcribit Pauſanias, locus iuxta Thebas dicebatur, per quem tracta eſt Antigone ad tumulum Polynicis: quod nonnulli pro ſeriæ orationis dixerunt accipi hoc loco, ineptiſſimum eſt: non enim Iuuena. loquitur de oratione vel de tragœdia, ſed de habitu hiſtrionico, quo Nero vſus eſt. Pone inquit ſyrma Thyſte vel Antigones, ideſt qua vſus eſt in recitandis fabulis Thyeſte vel Antigones.

MENALIPPES.] Menalippe, ſoror fuit Antiopes reginæ Amazonũ: ſed de hac nunc non intelligit. Menalippe item amata à Neptuno filium Betum peperit, coniecta in vincula obtrito pene fœtu abubus in ſtabulo in quo peperit: de hac Actius poeta ſcripſit: meminerunt Stra. & Varro in ſecundo de re ruſtica: de huius tragœdia intelligit Iuuen.

CYTHARAM.] qua vſus eſt, & delatam ſibi à iudicibus adorauit, iuſſitq; ferri ad ſtatuam Auguſti.

COLOSSO MARMOREO.] Alludit ad colloſſum Neronis, miræ magnitudinis, quem fabricauit Zenodorus accitus è Gallia. huius meminerunt Plin. & Tranquil.

VT BRACATORVM PVERI.] Id eſt poſteri Gallorum, qui in Italiam venerunt, & incenderunt vrbem notiſſima hyſtoria.

SENONVM.] Senones finitimi Remis inter Treuiros vel ſuauitate vini allecti, quod illuc Atontem Thyrenũ primũ detuliſſe ſcribit Plut. vel ſuadente Licone eluerio, qui ob artem fabrilem Romæ commoratus, ficum ſiccam, olei & vini primitias in patriam rediens attulerat.

vt tradit Plin. in Italiam allecti, vrbe incenſa Capitolium obſederunt.

TVNICA.] Periphraſis eſt ſupplicij, quo afficiebantur proditores, nam ducebantur ad ſupplicium induti tunica, quā moleſtam dixerunt, ad eius tunicæ, qua vtimur in otio, differentiam. Max. de Mutio. *Tunica pereunte moleſta.*

NOVVS ARPINAS.] Id eſt, ignobilis Cice. quem ignobilem fuiſſe ſcripſerunt nonnulli, ipſe vero & Euſebius teſtātur, eum ortum regio genere, quod & Sillius canit de autore eius gentis. *Regia progenies*, Pater fuit equeſtris ordinis, quod & ſæpe ipſe iactat, & Euſebius fatetur, vetuſtas tamen qua ſplendor generis deciderat, obtinuit vt ignobilis diceretur.

MVNICIPALIS EQVES.] Id eſt natus in municipio Arpino parte equeſtris ordinis.

OCTAVIVS LEVCADE.] Leucadem ante Ambracium ſinum incontinente olim fuiſſe ſcribunt Ouidius & Strabo, ſed Corinthij eam in inſulæ formam redegerunt, appelaruntque Leucadem à petra albicante, quæ in pelagus illic protenditur. Alcmæonides vero ſcribit Alizeum & Leucadium fuiſſe filios Icari. & à Leucadio dictam Leucadem: ponit autem pro bello quod geſſit Auguſtus aduerſus Antonium & Cleopatram, eſſe in proximo

ABSTVLIT.] Ideſt, reportauit.

PATREM PATRIÆ.] Ideſt, quamuis Octauius pater patriæ dictus ſit, poſt bella ciuilia & cædem multorū, tamen id Roma dedit ei in aſſentationem tanquam tyranno, non ſponte & certo iudicio vt Ciceroni, quem patrem patriæ dixit ob patriam liberatam.

Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro.
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem
Silentus pigra muniret caſtra dolabra:
Hic tamen & cymbros, & ſumma pericula rerum
Excipit, & ſolus trepidantem protegit vrbem.
Atque ideo poſtquam ad Cymbros, ſtragemque volabant
Qui nunquam attigerant maiora cadauera corui.
Nobilis ornatur lauro collega ſecunda,
Plebeiæ Deciorum animæ, plebaia fuerunt
Nomina pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina,
Sufficiunt Diis infernis, terraque parenti.
Pluris enim decij quam qui ſeruantur ab illis.

Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini
Et faſces meruit, regum vltimus ille bonorum.

ARPINAS ALIVS.] Marius de quo nunc loquitur obſcuro genere natus, patre Manlio & matre Fulcinia, ad ſeptimum conſulatum peruenit: triumphumque geſſit de Iugutta & Cymbris, eundem fuiſſe aratorem annales quidem non tradiderunt: ſed hoc dixit Iuue. quoniam Marius autore Plutar. vitam egit municipalem in villa agri Arpinatis prima ætate. millitauit autem primũ ſub Scipione in Hiſpania ad Numantiam nullis ordinibus, quod indicat dum ait eum fuiſſe inter fabros: nam fabri caſtra ſequebantur, nullius rei participes, niſi operis caſtrorum muniendorum.

VOLSCORVM.] Volſci metropolim habent, Sueſſam, oppidum Arpinum, Aquinum. Frabaterium, Fruſinonem, & alia.

FRANGEBAT VERTICE VITEM.] Id eſt pulſabatur vite à centurione in caſtris: nam centurionum geſtamen fuiſſe vitem latiam ad puniendos milites teſtatur Pli. *Centurionum in manu vitis*: Luca. *Latiam longe gerit ordine vitem*. Syllius, Plutar. Mar. & nos plura illic diximus.

CYMBROS EXCIPIT.] Cymbri fabuloſi ferme ſunt longa Plutarchi diſputatione, coſdem dictos fuiſſe Cymerios ſcribit Diodo. qui ad tercentum millia in Italiam irruperunt: qua in trepidatione populus Rom. Marium ſecundo conſulem elegit: quamuis paulo ante primum geſſiſſet, nec lege creari poſſet, vt venientibus barbaris occurreret: quartumque conſul creatus, cum Luctario Catulo magna ſtrage illos deleuit: & cum orta eſſet contentio vtri conſuli victoria deberetur, legatorum Parmenſium iudicio Mario decreta eſt cum triumpho.

SOLVS PROTEGIT.] Quaſi dicat aliis ceſſantibus., & excluſo Catulo Luctatio.

LAVRO SECVNDA.] Id eſt ſecundo triumpho: nam priorem geſſerat de Iugurtha.

COLLEGA.] Ipſe Marius collega Luctatij.

PLEBEIÆ ET DECIORVM ANIMÆ.] Id eſt Decij, quamuis ignobiles eſſent: nam vt ſcribit Valerius, Decius primus detulit conſulatum in domũ ſuam: tamen opẽ patriæ tulerunt: nam pater Decius in bello Latino ſe deuouit pro Reipu. ſalute, carmine, quod extare ſcribit Plinius: Filius patris exemplum ſecutus, in bello aduerſus Hætruſcos, Vmbros, Samnites, Gallos, ſe quoque deuouit.

SVFFICIVNT DIIS INFERNIS.] Id eſt potuerunt placare morte ſua inferos, quamuis plebei eſſent.

VLTIMVS REGVM BONORVM.] Nam Seruio ſucceſſit Tarquinius peſſimus.

Prodita laxabant portarum clauſtra tyrannis
Exulibus iuuenes ipſius conſulis, & quos

Magnum aliquid dubia pro libertate deceret.
Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperij finem Tiberinum virgo natauit.
Occulta ad patres produxit crimina ſeruus
Matronis lugendus, at illos verbera iuſtis
Afficiunt pœnis, & legum prima ſecuris.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.
Et tamen vt longe repetas longeque reuoluas,
Nomen ab infami gentem deducis Aſylo.
Maiorum primus quiſquis fuit, ille tuorum
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere, nolo.

PRODITA.] Exactis, regibus Titus & Tyberius Iunij conſulis Bruti filij, Marcus & Manlius Gellij vxoris Bruti fratres. L. et. M. Aquilij Collatini ſororis filij, cum apud Aquilios conueniſſent, de reducendis regibus commentati ſunt: Vindex Cecinenſis Aquiliorum ſeruus ad Publium Valerium rem detulit, à quo deprehenſi iuuenes pœnas dederunt, Bruto filiis non parcente, quorum ſupplicium conſtantiſſime iuſſit & ſpectauit, autores Plutarchus & Dionyſius. Cœlia inter viginti obſides Porſenæ data eſt, qua duce reliquæ virgines, deceptis cuſtodibus ad ſuos enatarunt: inde ſtatuam equeſtrem prima meruit. Lucius tamen Piſo in annalibus ſcribit ſtatuam equeſtrem contra Iouis Statoris ædem fuiſſe Publiciæ Valerij conſulis filiæ, quæ ſola ad ſuos redierit, reliquis virginibus, quæ obſides erant, interemptis Lucij Tarquinij inſidiis.

COCLES.] Eodem bello ſtatuam meruit equeſtrem, cum impetum hoſtilem ſuſtineret, & in ponte ſoluendo quædam difficultas fuiſſet, inſtitutum eſt ne ferro & clauis deinceps pons compingeretur: inde appellatus ſublicius, quod totus ex ſublicis eſſet: nam ſublica longiorem perticam, vt apud Cato. ſignificat, autor Pli.

PRIMA SECVRIS.] Id eſt primum ſupplicium, quod in conſulatu primo poſt exactos reges fuit in filios. SECVRIS PRIMA LEGVM.] Id eſt conſulatus primus qui fuit inter leges exactis regibus.

VVLCANIA.] Quæ fabricauit Vulcanus, vt ſcribit Home. longo carmine.

THERSITES.] Quem pugno Achilles interemit, vt ſcribit Quintus.

TAMEN VT REPTAS.] Quod ſequitur ex ſtomacho dictum eſt in conſolationem eius ignobilitatis, affirmat enim Romanos omnes eſſe pari conditione ignobiles, cum aut à Romulo paſtore duxerint ge-

nus, aut à ſceleratiſſimis hominibus, qui ad Aſylum Romuli confugerant.

ASYLO.] Aſylum , non tantum locum ſignificat quemcunque: ſed templum ſolum , cui ius datum erat, ne quis inde diuelli poſſet vllo crimine : id Cadmum ferunt inſtituiſſe, cum ad Thebas condendas multitudinem deſideraret : inde fabula eſt nata homines è terra genitos. in Græcia templum Dianæ Epheſiæ id iuris habuit, quod Alexander ad ſtadium protulit, Antonius amplificauit, Auguſtus ſubſtulit, cũ ſceleratorum multitudo propterea augeri videretur. Virgilius Romulum ait retuliſſe Aſylum, id eſt ad Græcorum imitationem feciſſe à particula negatiua ἀ & συλάω diripio Aſylum dictum eſt: quia nemo inde poterat diuelli.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA NONA.

Scire velim quare totiens mihi Neuole triſtis
Occurras fronte obducta, ceu Marſya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprenſus habebat
Rauola, dum Rhodopes vda terit inguina barba?

SCIRE VELIM.] Sui temporis homines inſectatur, qui cum barbati eſſent & haberent vxorem , draucorum & mentulatorum commercio pro ſe & vxore vtebantur. Neuolumque draucum ex eo ſolitum facere quæſtum alloquitur , & quaſi per dialogum introducit , auaritiam accuſantem eorum quibus operam præſtabat : denique huic dat ferme omnes partes in cinædis barbatis exagitandis & deridendis.

MARSYA.] Signum erat in foro ad quod litigantes vadimonia faciebãt, vt Porphyrio in Horatio ſuſpicatur. Marſyæ item meminit Plinius : quem ait coronari ſolitum à filia Auguſti. Fuit itẽ Marſya fabula notus, qui Nyſſeis hominibus iudicibus, vt ſcribit Diodorus cũ Apolline certauit, & ſuperatus eſt : quoniam cum Appollo in certamine deficeret, addidit vocem oris & cantum, id cum obiiceret Marſyas: quod ſcilicet arte muſicæ non cantu eſſe contendendum : reſpondit ipſum quoque vti ore, quo ſcilicet tibiam inflabat, victus excoriatus eſt conuerſus in Marſyam flumen : quamuis Stra. ad hyſtoriam hoc referens ſcribat id factum eſſe: quoniam ad Marſyę ripas arundines naſcantur aptæ tibiis.

RAVOLA.] Hunc ſui temporis cunnilingum notat.

RHODOPES.]Rhodope in Thracia eſt,à nomine reginæ mons Rhodope, item meretricula: vt ſcribit Plini. conſerua Æſopi:quæ tantum quæſtum fecit in Ægypto,vt tumulo ſuo Pirami dem extruxerit,eam Sapho Doricam appellat in carminibus,cuius amore captum fuiſſe ſcribit Caraſſem fratrem , cum Leſbium vinum negociator ad Naucratem compararet:eiuſdem meminit Herodotus:ille tamen Græce ſcribit Rhodopis,Strabo in vltimo Rhodope. Sapho.

Arſit inops frater meretricis victus amore.

Hic ponitur pro altera meretrice temporum Iuuenalis: cuius cunnum lingebat Rabula,ſed aliquando deprehenſus erubuit,& contraxit frontem,qualem nunc habebat Neuolus.

Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſeruo.
Non erat hac facie miſerabilior Crepereius
Pollio: qui triplicem vſuram præſtare paratus
Circuit: & fatuos non inuenit: vnde repente
Tot rugæ? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conuiua ioco mordente facetus,
Et ſalibus vehemens intra pomeria natis.
Omnia nunc contra, vultus grauis, horrida ſiccæ
Silua comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Præſtabit calidi circumlita faſcia viſci.
Sed fruticante pilo neglecta & ſqualida crura
Quid macies ægri veteris: quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domeſtica febris.
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia, ſumit vtrumque
Inde habitum facies: igitur flexiſſe videris
Propoſitum & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim vt repeto phanum Iſidis & Ganymedem
Pacis, & aduectæ ſecreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo)
Notior Aufidio mæchus celebrare ſolebas:
Quod taceo, atque ipſos etiam inclinare maritos.
Vtile & hoc multis vitæ genus, at mihi nullum
Inde operæpretium, pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ duri craſſique coloris,
Et male percuſſas textoris pectine galli

NOS COLAPHVM INCVTIMVS,&c.] Cruſtulu n opus dulciarium eſt, vt Porphyrio in Horatium interpretatur, hoc ait ex ſtomacho, nos inquir cædimus ſeruos ſi lambunt cruſtula noſtra. nam ſunt mellita, & tamen videmus Rabulam & alios lingere cunnos, & id ferimus temporibus noſtris.

CREPEREIVS POLLIO.] Pollionem nepotem & luxurioſum inſectatur vt Horatius Mæuium, hic enim cōſumptis opibus, mutuo & in fœnus peccuniam quærere cogebatur, quod non agebat ſine magno pudore & contractatione frontis ob priſtinam fortunam, à qua ob gulam erat deiectus Crepereí Galli meminit Tacitus in gubernaculis nauis Agrippinæ. Pollionis, item Martia. *An Pollionis dulce currit ad quartum.*

AGEBAS VERNAM EQVITEM.] Id eſt, quamuis eſſes inter vernas & ſeruos, tamen non minore hilaritate viuebas, quam ſi eques diues fuiſſes.

CALIDI VISCI.] Id eſt pſilotri, & dropacis: nam ea in media ſunt ad pilos euellendos, tenacia vt viſcus, variis fiunt generibus, vt docet Plin. *Meges mango pſilotri vſum excoluit, quo pueros venales læuigabat.*

FRVTICANTE PILO.] Id eſt fruticis inſtar ſubnaſcente. nam fruticare dicuntur pili, cum duriores ſubnaſcuntur.

AD FANVM ISIDIS.] De hoc ante dictum eſt, vt ſcilicet illic conduceteris à matronis futui volentibus.

GANYMEDEM PACIS.] Pacis templū Veſpaſia. exiruxit iuxta forum, in quo Syllam pictam à Nichomacho cum admiratione ſpectabant, & Venerem incerti autoris & Gnymedem mira veritate expreſſum.

PALATIA MATRIS ADVECTÆ.] Id eſt Cybeles aduectæ ex Pergamo.

QVO NON PROSTAT.] Hoc dicit, quia nominauit templū Cereris vbi ſolent eſſe tantum caſtæ matronę.

AVFIDIO.] Aufidius Chius. multi Aufidij fuerunt, ſed hic adulteriis nobilis, & matronarum omnium corruptor. Notatus eſt etiam à Marti.

Procuratorem vultu qui proferat ipſo,
Acrior hoc chius non erit Aufidius.

MARITOS. Erat enim draucus.

VTILE ET HOC MVLTIS.] Verba Neuoli drauci reſpondentis, ſub cuius perſona tota ſatyra exurgit.

MVNIMENTA TOGAE.] Lacernas quibus tegitur mihi toga.

TEXTORIS GALLI.] Nam Galli viliores veſtes & groſſiores veſtes texebant. Stra. Gallis lanam aſperam eſſe ſcribit, vnde ſagula texuntur. Martia. *Me pinguis Gallia veſtit*, alibi.

Accipe ſequanicæ pinguem textricis alumnam.

Accipimus tenue argentum, venæque ſecundæ,
Fata regunt homines, fatum eſt & partibus illis
Quas ſinus abſcondit, nam ſi tibi ſidera ceſſant
Nil faciet longi menſura incognita nerui.
Quamuis te nudum ſpumanti Virro labello
Viderit, & blande aßidue denſaque tabellæ
Sollicitent? ἤθυς γὰρ γλυκέος ἄνδρα κιναίδον.
Quod tamen vlterius monſtrum, quam mollis auarus,
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tuliſti.
Computat atque cauet, ponatur calculus, adſint
Cum tabula pueri, numera ſeſtertia quinque,
Omibus in rebus numerentur deinde labores.
An facile & pronum eſt agere intra viſcera penem
Legitimum, atque illic heſternæ occurrere cœnæ,
Seruus erit minus ille miſer, qui foderit agrum
Quam dominum, ſed tu ſane tener & puerum te
Et pulchrum & dignum cyatho, cæloque putabas.
Vos humili aſſeclæ vos indulgebitis vnquam
Cultori, iam nec morbo donare parati.
En cui tu viridem vmbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quotiens redit, aut madidum ver
Incipit, & ſtrata poſitus longaque cathedra
Munera fœmineis tractas ſecreta calendis.
Dic paſſer, cui tot montes, tot prædia ſeruas,
Apula tot miluos intra tua paſcua laſſos.

TENVE ARGENTVM.] Id eſt exiguum vt ligulam.

VENAE SECVNDAE.] Nam primæ venæ optimum argentum puſtulatum dicebatur.

LABELLO SPVMANTI.] Nam qui appetit labra mouet ſpumantia, & Martialis de appetente draucum, *oculis deuorantibus draucos.*

ΗΘΟΥΣ ΓΑΡ ΓΛΥΚΕΟΣ ΑΝΔΡΑ ΚΙΝΑΙΔΟΝ.] Id eſt, ſuauem moribus hominem cinædum, & dum hæc verba Græce inſerit oſtendit eorum hominum mollitiem. effœminati enim erat Græcis verbis blandiri.

HAEC TRIBVI.] Verba ſunt Virronis computantis cum drauco.

SED TV SANE.] Ironice hoc dicit draucus, vt oſtendat ſibi nullam fuiſſe voluptatem, cum ille eſſet hiſpidus.

VOS HVMILI ASSECLÆ.] Quaſi dicat, Quid poſſunt ſperare clientes à vobis ô diuites, cum nihil doneris draucis, qui veſtræ ſeruiunt voluptati. INDVLGEBITIS, id eſt dabitisne aliquid clienti. NEC PARATI DONARE MORBO, Id eſt cum nolitis libidini veſtræ aliquid dare, hoc eſt draucis.

EN CVI.] Per irriſionem exagitat barbartum cinædum, alloquitur enim draucum, tanquam eius amicum, cum nihil, inquit det cynædus tuus ô Drucæ, nec tu debes ei mittere munera mulebria tanquam amicæ. nam mos erat vt die natali vmbella, electa, & huiuſmodi dona ab amicis, fœminis mitterentur. En, inquit ironice, drauce cui mittas &c.

VMBELLAM.] Vmbella, velum erat ad arcendum ſolem in vſu præſertim mulieribus. Martia.

Vmbellam luſca Ligde feras dominæ.

SVCCINA.] Hoc eſt electra, mulierum item erant delitiæ. Ouidius ea à nuribus Latinis geſtari dicit, & Plini. de ſuccinis, *in his*, inquit, *vſus eſt aliquis in medicina, ſed ob hoc fœminis placent*, quæ falerni vini colorem habebant præſtabant aliis.

FOEMINEIS CALENDIS.] Id eſt Martiis nam tunc dabantur dona mulieribus, quod in Veſpaſiano ſcribit Tranquillus, & Tibullus ad Neæram,

Et vada nunc certa diſcurrunt vndique pompa.

Horati.

Martiis celebs quid agam calendis,

Et ſæpe apud Martialem.

DIC PASSER.] Paſſer loci proprium eſt. Martialis,

Non mollis Sinueſſa feruidique fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur. Potes & referre ad diuitem quem appellet paſſerem ob ſalacitatem.

TOT MILVOS INTRA.] Tam longum tractum agrorum, in quo volantes milui laſſantur. æmulatio eſt Perſij.

Diues arat Curibus quantum non miluus oberrat.

Te Tripholinus ager fœcundis vitibus implet,
Suſpectumque iugum Cumis, & Gaurus inanis:
Nam quis plura linis victuro dolia muſto?
Quantum erat exauſti lumbos donare clientis
Iugeribus paucis, melius ne hic ruſticus infans
Cum matre & caſulis, & colluſore catello

Cymbala pulſantis legatus fiet amici.
Improbus es cum poſcis ait, ſed penſio clamat
Poſce, ſed appellat puer vnicus, vt Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers euaſit vlyxes.
Alter emendus erit, namque hic non ſufficit, ambo
Paſcendi, quid agam bruma ſpirante, quid oro,
Quid dicam ſcapulis ſeruorum menſe decembri
Et pedibus? durate atque aſpectate cicadas.
Verum vt diſsimules, vt mittas cætera, quanto
Metiris precio, quod ni tibi deditus eſſem
Deuotuſque cliens vxor tua virgo maneret.
Scis certe quibus iſta modis, quàm ſæpe rogaris
Et quæ pollicitus: fugientem ſæpe puellam
Amplexu rapui, tabulas quoque ruperat, & iam
Signabat, tota vix hæc ergo nocte redemi
Te plorante foris: teſtis mihi lectulus, & tu
Ad quem peruenit lecti ſonus, & dominæ vox.
Inſtabile ac dirimi cœptum, & iam pene ſolutum
Coniugium, in multis domibus ſeruauit adulter.
Quo te circumagas, quæ prima aut vltima ponas
Nullum ergo meritum eſt ingrate ac perfide, nullum
Quod tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri. foribus ſuſpende coronas,
Iam pater es, dedimus quod famæ opponere poſsis,
Iura parentis habes, propter me ſcriberis hæres,

AGER TRIPHOLINVS.] Fidentius à tripholio deducit & à τέτταρες, quod eſt quattuor: ſed iam pudeat Fidentium ſtultitiæ ſuæ quem piget totiens eludere. nos inſtitutos commentarios abſoluamus. Ager Tripholinus in campania eſt, Plinius, *vina Trebellica appellarunt ad quartum à Neapoli lapidem & iuxta Capuam, Caulina mox Tripholina.*

CVMIS.] De Mileno potes intelligere quod Cumis proximum eſt promontorium, vel de Gauro monte quod placet, nam colles in Campania Maſtici Gaurani Surrentini vini præſtantia & copia ſunt nobilitati.

EXHAVSTI CLIENTIS.] Exhauſti drauci ſanguine in opera tibi præſtanda.

MELIVS

MELIVSNE.] Id eſt poſſetne viliore precio Cybeleius Sacerdos ſcortum alere cum pueto lenone?

COLLVSORE CATELLO.] Plane deſignat meretricem, nam catellus in delitiis ſcortorum erat. Mart.

Os & labra tibi lingit Nanera Catellus.

APPELLAT.] Vrget me vt alterum reperiam quia ſolus non poteſt ſeruire.

VT POLYPHEMI LATA ACIES.] Arguta metaphora non magis inquit vnicus puer mihi ſatis eſt quã fuit vnicus oculus Polyphemo, nam ſi alterum habuiſſet, non euaſiſſet Vlyxes, duo Polyphemi fuerũt, alter qui cum Argonautis nauigauit: Ilati filius teſte Apollonio, coniũx ſororis Herculis, alter in Sicilia filius Neptuni: cui poſt quinque ſocios abſumptos, effoſſus eſt oculus ab Vlyxe aduſto ſtipite. euaſit autem vt apud Homerum narrat pendens ſub vtero arietis, quem poſtremum exeuntem retinuit Polyphemus, & eſt allocutus in conſolationem cæcitatis.

VERVM VT DISSIMVLES.] Alteram operam exprobrat diuiti, qui cum mollis ſit & operam vxori præſtare nequeat, draucum ſubmittit loco ſuo, de ea imbecillitate eorum hominum Mart. ad Gallam,

Difficile eſt vero nubere Galla viro.

DISSIMVLES.] Id eſt ſimules te non intelligere quantum debeas mihi pro opera drauci.

FAMAE DEDIMVS FILIORVM.] Quò poſſis oſtendere te virum eſſe & maritum, cum ſis mulier & cinædus.

Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commodo præterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, ſi tres impleuero, iuſta doloris,
Neuole, cauſa tui, contra tamen ille quid affert.
Negligit, atque alium bipedem ſibi quærit aſellum.
Hæc ſoli commiſſa tibi celare memento,
Et tacitus noſtras intra te fige querelas,
Nam res mortifera eſt inimicus pumice læuis,
Qui modo ſecretum commiſerat, ardet & odit,
Tanquam prodiderim quicquid ſcio: ſumere ferrum,
Fuſte aperire caput, candelam apponere valuis
Non dubitat, nec contemnas aut deſpicias quod
His opibus nunquam cara eſt annona veneni,
Ergo occulta reges, vt curia Martis Athenis.

O Corydon Corydon, ſecretum diuitis vllum
Eſſe putas, ſerui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora. claude feneſtras,
Vela tegant rimas, iunge oſtia, tollito lumen
E medio, clament omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum Galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius Archimagiri,
Carptores. qui enim dubitant componere crimen
In dominos, quotiens tumoribus vlciſcuntur
Balthea? nec deerit qui te per compita quærat
Nolentem, & miſeram vinoſus inebriet aurem.
Illos ergo roges quicquid paulo ante petebas
A nobis. taceant illi, ſed prodere malunt
Arcanum, quam ſubrepti potare falerni,
Pro populo faciens quantum Lauſeia iubebat.
Viuendum eſt recte cum propter plurima, tunc his
Præcipue cauſis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua mali pars maxima ſerui:
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis.

CADVCVM.] Lex Papia appellauit legatum relictum ſub conditione, qua deficiente, vel viuo, vel mortuo teſtatore id cadat & perueniat, vel ad teſtatorem viuum, vel ad ſubſtitutum eo mortuo.

SI TRES IMPLEVERO.] Nam qui ius habebant trium liberorum, vt ſcribit Appianus teſſeram frumenti triplicem accipiebant. Idem in petitione magiſtratuum non habentibus filios eo numero entepone-bantur, vt innuit Plinus in epiſtola, horum habuit rationem lex Iulia vt refert Gellius.

APPONERE, CANDELAM VALVIS.] Id eſt produci, hoc ſupplicij genus notauit Catullus.

Ah tum te miſerum malique fati
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent raphanique mugileſque.

Patentem portam dixit Catullus podicem vt valuam Iuuenalis.

NEC CONTEMNAS AVT DESPICIAS.] Hoc eſt & veneficium potes timere ſi offendis diuitem: nam inter tantas opes nunquam deeſt copia

veneni,qua vtuntur diuites in eos quos oderunt.

VT CVRIA MARTIS.] Id eſt tanquam agerem tecum de re capitali, quemadmodum agitur in curia Martis Athenis: nam iudicium capitis autore Plinio primum conſtitutum eſt Athenis in Areopago, id eſt, in curia Martis.

O CORYDON.] Verba Iuuenalis reſpondentis Neuolo qui petierat vt taceret, hemyſtichion Virgilij quaſi dicat, ô ſtulte.

ARCHIMAGIRI.] Archimagirus, magiſter coquorum, & coquus inter ſeruos erat. olim vero conducebatur ex macello, vt ſcribit Plinius.

BALTEA.] Id eſt habenas & flagra quibus aliquando cæſi ſunt.

POR POPVLO FACIENS.] Laufeiam ſuorum temporum ebriam notat. alij aliter ſunt interpretati. ego vero intelligo pro populo, id eſt, in ſacris Bonæ deæ, in quibus teſte Plutarcho multa Bacchanalibus ſimilia inter ſe peragebant mulieres. ea appellat Tranquillus cerimonias publicas, vt in commentariis Tranquilli expoſuimus; & Cicero, *Clodium Apij filium credo te audiſſe, cum veſte muliebri deprehenſum domi Cai Cæſaris, cum ſacrificium pro populo fieret*, id eſt in ſacris Bonæ deæ. Fidentinus hoc ex ſcriptis noſtris recitat, ſed imperfectum vt diſſimulet furtum, aut certe quod ſcribat non intelligit.

Quorum animas & farre ſuo cuſtodit & are.
Idcirco vt poßis linguam contemnere ſerui,
Vtile conſilium mihi, ſed commune dediſti.
Nunc mihi quod ſuades poſt damnum temporis & ſpes
Deceptas? feſtinat enim decurrere velox
Floſculus anguſtæ miſeræque breuißima vitæ
Portio, dum bibimus, dum ſerta vnguenta, puellas,
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.
Ne trepida: nunquam pati[illegible]us tibi deerit amicus
Stantibus & ſaluis his colli[illegible]us: vndique ad illos
Conueniunt, & carpentis, & nauibus omnes
Qui digito ſcalpunt vno caput. altera maior
Spes ſupereſt, tu tantum erucis imprime dentem.
Hæc exempla para fœlicibus: at mea Clotho
Et Lacheſis gaudent, ſi paſcitur, inguine venter.
O parui noſtrique lares, quos thure minuto
Aut farre, & tenui ſolco exornare corona,

Quando ego figam aliquid, quo ſit mihi tuta ſenectus
A tegete & baculo. viginti millia fœnus
Pignoribus poſitis, argenti vaſcula puri:
Sed quæ fabricius cenſor notet, & duo fortes
De grege Myſorum, qui me ceruice locata
Securum iubeant clamoſo inſiſtere circo,
Sit mihi præterea curuus celator, & alter
Qui multas facies pingat cito, ſufficient hæc,
Quando ego pauper ero, votum miſerabile, nec ſpes
His ſaltem, nam cum pro me fortuna rogatur
Affigit ceras illa de naue petitas,
Quæ ſiculos cantus effugit remige ſurdo.

FARRE.] Id eſt pane: nam farre vixerunt Romani tercentum annis, vt ſcribit Verrius, autore Plinio.

QVI DIGITO SCALPVNT.] Id eſt molles. quod Plutarchus oſtendit cum ſcribat Ciceronem ſolitum dicere ſe non poſſe ſuſpicari aliquid de Cæſare, quem videret caput vno digito ſcalpentem, ex quo ſcilicet coniiciebat, eum eſſe hominem mollem.

ERVCIS. Id eſt herbis ad ſalacitatem Veneris incitandam. vt ſcribunt Varro & Apitius.

FOELICIBVS.] Reſpondet Neuolus, propone, inquit, hæc præcepta his qui poſſunt aliquid ſperare.

O PARVI NOSTRIQVE LARES.] Votum quod ſequitur Neuoli optãtis opes introducitur à Iuuenale per irriſionẽ, vt oſtendat eum neſcire viuere cõtẽtum paruo. & propterea exercere turpes artes, quaſi innuat vitioſum hominem à ſapiente in hoc differre, quod hic multa concupiſcat ille paucis ſit contentus. PARVI.] Loquitur ex affectu, nam ei parui videbantur.

QVÆ FABRITIVS.] Hoc eſt ſupra decem pondó: nam Fabritius Lucinus cenſor ſenatu mouit Rufinum qui bis conſul fuerat & dictator. quoniam decem pondo argenti facti habebat, ſcribunt Liuius & Gellius. addit Plinius eum ſtatuiſſe vt ne bellici quidem imperatores plus quam pateram & ſalinum argenteum haberent.

DE GREGE MYSORVM.] Myſi, duplex eſt Myſia, altera Troadi Phrygiæ finitima, ducta origine ex Europa vt ſcribit Plinius, nam inde Myſi Phryges & Thyni profecti Myſiam Phrygiam, Bithyniam tenuerunt, altera Europæ cuius meminit, Ptolemæus iuxta Pannoniam. DE GREGE MYSORVM,] id eſt de grege ſeruorum ex Myſia.

PINGAT CITO.] Velocitate pingendi nemo anteiuit Nichomachum Ariſtegni filium & diſcipulum.

VOTVM MISERABILE.] Introducit eum ingemiſcentem huic voto, vt magis irrideat.

AFFIGIT CERAS.] Carmen eſt in. xii. Odiſſeæ apud Homerum: vbi Vlixes à Circe admonitus, ne pateretur ſe allici cantu ſirenum præter quas erat nauigaturus, ceram immiſit auribus ſociorum omnium iuſſitque ſe ad malum alligari, apertis auribus, imperans vt ſi forte vel nutu vel clamoribus rogaret ſe ſolui, non parerent, cum illuc applicuiſſet nauis innuens vincula diſſolui iubebat, victus ſuauitate carminis quod ſirenes orſæ ſunt, & Cicero eſt interpretatus.

O decus Argolicum quin puppim flecti Vlyxe.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA DECIMA.

Omnibus in terris quæ ſunt à Gadibus vſque
Auroram & Gangem pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multum diuerſa remota
Erroris nebula: quid enim ratione timemus
Aut cupimus: quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pœniteat, votique peracti:
Euertere domos totas optantibus ipſis
Dÿ faciles: nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia: viribus ille
Confiſus periit admirandiſque lacertis:
Sed plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia cenſus,
Quanto delphinis balena Britannica maior.
Temporibus diris igitur iuſſuque Neronis
Longinum & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles,
Pauca licet portes argenti vaſcula puri,

OMNIBVS.] Ignorantiam hominum accuſat qui per imprudentiam ea ſæpe à diis optant, quæ pernitioſa ſunt, docetque quid hominem in vita expetere oporteat.

A GADIBVS.] Id eſt ab Occidente Gades Pheretides Etithram dixit. Inſula eſt extra columnas Herculeas ad hoſtium Betis erumpentis in Oceanum, ſtadiis centum longa opibus inſignis: nam ſupra quingentos, ætate Strabonis, vt ille refert, illic inuenti ſunt equeſtris cenſus, paſcuorum, fertilitate præſtat, idcirco Gerionis armenta illic fuiſſe finxerunt.

GANGEM.] Indiæ fluuium: alij incerto ortu eſſe dixerunt: alij in Scythicis montibus habere fontes, in eum decem & nouem amnes influunt.

BALENA MAIOR DELPHINIS.] Apte comparat magnitudinem cenſus duabus immanibus belluis, vt oſtendat in his eſſe temeritatem & imperum Fortunæ.

BALENA BRITANNICA.] In Britannico Oceano Balena expreſſit, quamuis innatet aliquando in noſtra maria, vt ſcribit Pli.

LONGINVM.] Caſſius Longinus Iuriſconſultus, cui Druſillam collocatam Imperator Caligula abduxit, interfectus eſt à Nerone, quoniam Caſſij percuſſoris Cæſaris imaginem in ſtemmate ſuo haberet: ſed per Longinum diuites omnes ſublatos à Nerone intelligit: Plantius item Lateranus in coniuratione Neroniana deprehenſus à Nerone iuſſus eſt mori: vt Tacitus ſcribit. Tacitus, *proximam necem Plantij Laterani conſulis deſignati Nero adiungit*, &c. *Idem Senecam præceptorem quem Fenius Rufus & Tigilinus poſt mortem Burri variis criminationibus adorti ſunt, quaſi augentem opes euectas vltra priuatum modum, & hortorum amœnitate ac villarum magnificentia, principem ſubgradientem ad necem compulit.*

COENACVLA.] Numero multitudinis, dicuntur ſuprema tabulata domus, quoniam vt Varro ſcribit, maiores aliquando illic cœnare instituerunt, eam partem locabant inquilinis qui pauperes ſunt.

RARVS MILES.] .i. rarus Centurio & Tribunus nuntius ab Imperatore necis. VENIT IN COENACVLA.] Id eſt ad inquilinos & pauperes, quaſi diceret, paucis inquilinis immittitur percuſſor.

Nocte iter ingreſſus gladium contumque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis vmbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima f[illegible]e vota, & cunctis notiſſima templis
Diuitiæ cr[illegible]cant, vt opes, vt maxima toto
Noſtra ſit arca foro: ſed nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Iam ne igitur laudas: quod de ſapientibus alter
Ridebat quotiens à limine mouerat vnum

Protuleratque pedem: flebat contrarius alter?
Sed facilis cuiuis rigidi cenſura cachinni:
Mirandum eſt vnde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quamquam non eſſet vrbibus illis
Prætexta, & trabeæ faſces, lectica, Tribunal.
Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimen in puluere circi
In tunica Iouis, & pictæ ſarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ.
Tantum orbem quanto ceruix non ſufficit vlla?
Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi conſul
Ne placeat curru ſeruus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niueos ad frena Quirites,
Defoſſa in loculis, quos ſportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam riſus inuenit in omnes
Occurſus hominum, cuius prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi,
Interdum & lachrymas, cum fortunæ ipſe minaci

ALTER.] Democritum intelligit Argiſtrati incertum, an Damaſippi, an Atenodori filium, Thrax fuit ex Abdera vrbe, vt Laertius ſcribit.

FLEBAT ALTER] Receptum eſt vt Diogenem intelligamus: ſed nulla extat hiſtoria, Græci ad Heraclitum hoc referunt, quem fleuiſſe conſtat. Plinius vero in. vii. ita ſcribit. *Exit hic animi tenor in rigorem quendam toruitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectuſque humanos adimit, quales ἀπαθεῖς Græci vocant, & multos eius generis experti. quodque mirum ſit autorem maximæ ſapientiæ Diogenem Cynicum* Pyrrhonem *Heraclitum.* De lachrymis vero Heracliti extat etiam epigramma Græcum. Solinus idem quod Plinius.

PRÆTEXTA.] Deſcribit Prætorem præſidentem ludis circenſibus habitu triumphali. & deridet.

TOGÆ PICTÆ.] Id eſt triumphalis quæ pendet ex humeris Prætoris.

SERVVS PVBLICVS TENET HANC.] Id eſt adiuuat eum ad ſuſtinendã

Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Pannum & Circenſes, perituros audio multos.
Nil dubium, magna eſt fornacula: pallidulus mi.

FAS EST.] Dij, inquit, permittunt ſe rogari, & concedunt etiam perniiioſa aliquando. FAS EST. licet mortalibus.

INCERARÆ.] Id eſt, rogare Deos, in genibus putabant, vt inquit Plinius ineſſe religionem quandam: nam in his ineſt quædam vitalitas, propterea ſupplices genua amplectebantur.

QVOSDAM PRÆCIPITAT.] Nimij etiam honores homines, inquit, aliquando perdiderunt, quod exemplo Seiani probat, hic enim præfectus prætorij, vt ſcribit Philo. & tradit Euſebius temporibus Tiberij tantum valuit autoritate, apud principem vt eius imagines aureæ paſſim colerentur, vt ſcribit Tranquillus, nataliſque eius dies publicè celebraretur, & collega fuerit principi in quinto conſulatu, ſed cum res nouas in eum moliretur, per coniurationem oppreſſus eſt, tractus vnco, & abiectus in Gemonias, ſtatuiſque diſiectis, id egit Tiberius ſenex datis ex Capreis ad Senatum litteris.

PONE DOMI.] Introducit populum inſultantem Seiano damnato, quoniam timebat, nam vt refert Tranquillus: Tiberius notos omnes & familiares Seiani perſequebatur.

NVNQVAM AMAVI.] Hoc dicit ne videretur familiaris Seiani.

INDICIBVS.] Indices ſunt, qui conſcij ſceleris accuſant ſocios.

NVRSIA.] Non pro fortuna accipio, quod nuſquam legi ſed pro Dea Tuſcorũ cuius meminit Liuius in vii. ab vrbe, Liuius. *Volſinis quoque claues indices numeri annorum fixos in templo Norſiæ Ætruſcorum Deæ comparere, diligens talium monumentorum autor Cintius affirmat. M. Horatius conſul ex lege, &c.* vt etiam Velleda numen quorundam Germanorum, vt autor eſt Cornelius.

PANNVM ET CIRCENSES.] Codex meus antiquiſſimus habet Pannum, & ita eſt legendum: eſt autem irriſio populi, qui ludis Circenſibus occupabatur, quorum ſpectacula auxerat Domitianus, & Iuuenalis alibi, Pliniuſque ad Caluiſium deridet, propoſitus erat Pannus quem aurigæ victores tollebant, auratus & purpureus erat Græcorum illic certantium, viridis aliorum qui ergo fauore & plauſu captabant, ſolebant donare tunicam, propterea ita ſcribit Plinius de ſpectatoribus, *panno pannum emunt*, hoc eſt, applaudunt alicui, vt ille aſſequatur pannũ, & ſibi detur tunica: paulo poſt *tanta autoritas in vna viliſſima tunica.*

Brutidius meus ad Martis fuit obuius aram.
Quam timeo victus ne pœnas exigat Aiax,
Vt malè defenſus, curamus præcipites, &c,
Dum iacet in ripa, calcemus cæſaris hoſtem.

Sed videam ſerui,ne quis neget, & pauidum in ius
Ceruice obſtructa dominum trahat. hi ſermones
Tunc de Seiano,ſecreta hæc murmura vulgi.
Vis ne ſalutari ſicut Seianus,habere
Tantundem,atque illi ſellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis anguſta caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo? vis certe pila, cohortes,
Egregios equites,& caſtra domeſtica? qui ni
Hæc cupias? & qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt: ſed quæ præclara,& proſpera tanti,
Vt rebus lætis par ſit menſura malorum,
Huius, qui trahitur,prætextam ſumere mauis:
An Fidenarum, Gabiorumque eſſe poteſtas,
Et de menſura vis dicere,vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis vlubris?
Ergo quid optandum foret,ignoraſſe fateris
Seianum. nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes,numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata,vnde altior eſſet
Caſus & impulſæ Præceps immane ruina,
Quid Craſſos, quid Pompeios euertit? & illum
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cæde,& vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.
Eloquium, ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis

AD MARTIS ARAM.] Id eſt, ad forum iuxta ædem Martis vltoris. q.d. in vos ibat accuſatus.

MALE DEFENSVS.] Aiax ſibi mortem conſciuit, ſuperatus in iudicio armorum ab Vlixe: multi autem temporibus Tiberij cum vocarentur in ius, ſibi mortem conſciuerunt, nihil dubitantes de damnatione futura, vel hauſerunt venenum in media curia, vt ſcribit Tranquillus, quam hiſtoriam hoc loco deſignat.

NE QVIS NEGET.] Hoc eſt ne quis ex ſeruis accuſet nos, quod non calcauerimus Seianum & ſimus illius amici: hoc autem dicit quod nulli delatori apud Tiberium fides eſt abrogata, vt ſcribit Tranquillus.

Rupe capreaRvm.] Id eſt Tiberij qui delectatus eſt ſeceſſu caprearum, & illic ſedebat.

Cvm grege chaldæo.] Per gregem Chaldæum Thraſyllum mathematicum, Chaldæum intelligit, cuius monitis & auctoritate Tiberius multa vel egit vel neglexit: multorum autẽ diſtulit ſupplicia, cum idem ei longiorem vitam polliceretur, ſperans ſibi liberum fore aliquando eos punire.

Castra domestica.] Id eſt caſtra Prætoriana, quib⁹ præfuit Seianus.

De mensvra vis dicere.] Ideſt eſſe Ædilis: nam Ædiles præſunt menſuris, & minimi ſunt magiſtratuum: adoleſcenteſque prima commendatione Ædiles creabantur.

Vlvbris.] Vlubræ, vicus: de quo Horatius.

—quod petis hic eſt,
Eſt Vlubris, animus ſi te non deficit æquus.

Vasa minora frangere.] Hoc erat Ædilis officium, Perſius.

—latio quod honore ſupinus.
Fregerit eminas areti Ædilis iniquas

Qvid crassos.] Ideſt Marcum Craſſum & omnes ſimiles Craſſo, non autem patrem & filium. Hos tres nominat, quoniam olim reipublicæ Imperium inter ſe diuiſerant.

Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc vno partem colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ:
Eloquio ſed vterque perit orator vtrunque
Largus, & exundas læto dedit ingenij fons.
Ingenio manus eſt, & ceruix cæſa nec vnquam
Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet: ridenda poemata malo,
Quam te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
Volueris à prima quæ proxima ſæuus ad illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & plenè moderantem frena theatri.
Diis ille aduerſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano ad rhetora miſit.
Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victæque triremis

Qvinqvatribvs.] Quinquatria dies ſacri Mineruæ, qui diebus quinque celebrabantur, vt Ouidius docet: ita appellata, quoniam quinque diebus poſt idus fiebant, dies enim poſt idus ater erat, inde quinquatria quaſi quinque ab atro die: ea celebrabat Domitius, quotannis in Albano, vbi erat Oratorum & Poetarum certamen: de Oratoribus Palphurius Sura coronatus eſt: tradebantur autem præcepta eloquentiæ tunc Romæ exigua mercede & vix ternis denariis: nam tanti cõſtabat, vt ſcribit Plinius, vt eſſes diſertiſſimus, vtrumque deſignat hoc loco Iuuenalis.

Minervam partam.] Id eſt, in cuius ludis quinquatribus, vt poſſit certare adeptus eſt.

Vno asse.] Exigua mercede.

Cæsa.] Iuſſu, ſcilicet Antonij ex proſcriptione à Popilio Lænate Piceno, quem in cauſa capitis Cicero defenderat.

O fortvnatam.] Verſus quem oppreſſa coniuratione Catilinæ Cicero cecinit, in quo deriſus eſt propter ineptũ carmen & arrogantiã.

Philippica.] Demoſthenes in Philippũ regem multis actionibus quæ extant inuectus eſt, Cicero cũ in Antonium ſcriberet Demoſthenem imitatus dicendi libertate & eloquentia, æmulationẽ inſcriptione falſus eſt, nã appellauit Philippicas orationes, in quibus vt ad Atticum ſcribit Demoſthenes enituit.

Proxima a prima.] Ideſt, ſecũda, nã illic acerrime accuſat Antoniũ, & eum maxime commouet.

Sævvs exitvs.] Nã Demoſthenes, cũ ob ſuſpitionẽ corruptionis ab Areopagitis damnatus eſſet, effracto carcere aufugit, pertulitque exilium in Ægina: deinde cum bene de patria ſentiret & loqueretur, publico decreto reductus eſt naui longa: ſed cum audiret Antipatrum & Craterum aduentare diuerſæ factionis principes, vna cum Hipperide Oratore & aliis fugit, qui omnes à populo damnati ſunt miſſoque Archia Tyrio tragædo, & Hyperidis lingua eſt abſciſſa, & Demoſthenes cum in Calabriam Thraciæ perueniſſet, in templo Neptuni accepto nuncio damnationis, cùm ſpacium ad ſcribendum petiiſſet, venenum è calamo hauſit, Alius Demoſthenes Imperator fuit, qui mortem ſibi conſciuit in Sicilia, vt ſcribit Iuſtinus.

Ardentis massæ.] Fuit enim Machæropius, & ita cognominatus eſt à faciendis enſibus.

Ad rhetora misit.] Immo ad Iſæum rhetorem poſt mortem patris ſe cõtulit: allectus oratione, quã habuerat Calliſtratus ad populũ.

Ampluſtre, & ſummo triſtis captiuus in arcu:
Humanis maiora bonis creduntur, ad hæc ſe
Romanus grauiſque ac barbarus Induperator,
Erexit, cauſas diſcriminis atque laboris
Inde habuit, tanto maior famæ ſitis eſt quam
Virtutis: quis enim virtutem amplectitur ipſam

Præmia ſi tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis tituliq; cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus, ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data ſunt ipſis quoque fata ſepulchris.
Expende Hannibalem, quot libras in duce ſummo
Inuenies? hic eſt quem non capit Africa mauro
Perfuſa Oceano: Niloque admota tepenti.
Rurſus ad Æthiopum populos aliosque Elephantos,
Additur imperiis Hiſpania, Pirenæum
Tranſilit, oppoſuit natura Alpemque niuemque,
Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen vltra pergere tendit:
Actum inquit nihil eſt niſi pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cum gætula ducem portaret bellua luſcum!
Exitus ergo quis eſt? ô gloria, vincitur idem
Nempe in exilium præceps abit: atque ibi magnus
Mirandusque cliens ſedet ad prætoria regis.
Donec Bithynio libeat iugulare tyranno:
Finem animæ, quæ res humanas miſcuit olim:
Non gladij, non ſaxa dabunt, non tela, ſed ille

SVMMO IN ARCV.] Nam arcus dabantur triumphalibus viris, & vt puto notat tempora Domitiani, qui gloriam arcuum ſupra quam decebat affectauit: nam habuit quindecim, vt ſcribit Tranquillus.

STERILIS ROBORA FICVS.] Id eſt, Caprifici: nam enata Caprificus ſolet findere marmora, & delere titulos. Mart.

Marmora Meſſalæ findit Caprificus.

AFRICA.] Duplici Mauritania ab occidente terminatur. non contentus Libya Hannibal Hiſpaniam à patre & Aſdrubale domitam petiit.

ÆTHIOPVM POPVLOS.] Qui ſunt in Libya. Sunt item Æthiopes Heſperij, Æthiopes Perori, Æthiopes Darithitæ.

ALIOS ELEPHANTOS.] Nam in Mauritaniæ ſaltibus ſunt elephanti, vt ſcribit Plin. hos autem nominat, quoniam Hannibal elephantibus in bello vſus eſt.

PYRENÆVM.] Montem inter Hiſpaniam & Galliam latere vergenti in Hiſpaniam fertili & frugifero; altero ad Galliam ſterili. Natura oppo-

ſuit Alpes.nam Alpes dedit Italiæ pro muris natura aduerſus impetum barbarorum,vt Plinius ſcribit, & vt idem eſt autor libro xxxvii. prodigij loco habitum eſt,cum Hannibal eas ſuperauit.

Montem rvpit aceto.]Adhibito incendio & infuſo aceto,vt ſcribit Liuius.Sed Polybius tanquam fabuloſum omittit.

Qvali tabella.]Notat deformitatem:nam deformes in riſum aliquando pingebantur vt Bupalus & Arctemus. Hipponactem Poëtam Epheſium effinxerunt,ob deformitatem oris vt derideretur.

Bellva.]Elephas.nam vt ſcribit Liuius elephanto vectus eſt,qui vnus ſuperfuerat,vt altius extaret in aquis paluſtribus.

Dvcem lvscvm.]Hannibalem carentem altero oculo, quem amiſerat in tranſitu Alpium Apennini.

In exilivm abit.] Vt alij ſcribunt ſtatim poſt cladem acceptam à Scipione deſcendit ad littus, nauigauitque ad Antiochum regem Syriæ, alij ſcribunt cum multo poſt fugiſſe & damnatum exilio à ſuis, ab Antiocho fugit ad Pruſiam regem Bithyniæ, pro quo bellum geſſit aduerſus Eumenem.

Ivgvlare.]Aſſentiendo Romanis,qui Hannibalem repoſcebant per Flaminium legatum,quod cum Hannibal audiuiſſet,hauſto veneno ſibi mortem conſciuit.

Cannarum vindex ac tanti ſanguinis vltor
Annulus.i demens & ſæuas curre per Alpes,
Vt pueris placeas,& declamatio fias.
Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis,
Aeſtuat infelix anguſto limite mundi,
Vt Gyaræ clauſus ſcopulis,paruaque Seripho:
Cum tamen à figulis munitam intrauerit vrbem.
Sarcophago contentus erit,mors ſola fatetur
Quantula ſunt hominum corpuſcula.creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.cum ſtratum claßibus iiſdem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare,credimus altos
Defeciſſe amnes,epotaque flumina Medo
Prandente,& madidis cantat quæ Soſtratus alis.

Vltor annvlvs.]Venenum quod gerebat in annulo. Vltor ſcilicet Romanorum.

I demens.]Honeſta inhibitio eſt per permiſſionem.

Pellæo.]Pella colonia eſt in Macedonia & metropolis, vbi milites recenſebantur,& alebantur equi,vt ſcribit Strabo. Alexandro & Philippo regibus claruit,vt ſcribit Plin. Philippus Pellæus etiam dictus, Lucanus

Pellei proles veſana Philippi. Pelleus item Alexandrinus ſignificat ab Alexandria vrbe condita ab Alexandro.

VRBEM MVNITAM A FIGVLIS.]Babyllonē intelligit in Aſſyria conditam à Semiramide ex lateribus & Aſphalte, id eſt, genus bituminis vt Trogus interpretatur.ſcribit Diodorus in III.ſecutus Creſiam & Clitarchum ſcriptores Alexandri, ex omni regno conueniſſe homines ad vrbem condendam, de cuius magnitudine idem eſt autor, ſcribunt Trogus & Strabo in XVI.veneno illic periit Alexander, quod Antipater dedit per Iolam miniſtrum, conſcio vt non nulli tradiderunt Ariſtotele, Olympias mater cum ſexto poſt anno id reſciuiſſet Iolæ mortui cineres diſſipauit: venenum fuit aqua frigidiſſima quæ manat ex Nonacrina rupe Archadiæ, nec contineri poteſt vllo vaſe niſi muli vngula Plutarchus nomen prætermittit veneni, Pauſanias & Plinius & Herodotus id nominant. Fidentinus, cum hæc in commentariis noſtris legeret piguit, hominem ignauum ea trāſcribere, & vt breuius ſcriberet ait de morte Alexandri Herodotus & alij ſcribunt: O ſtultum hominem, ego dico ſtygem venenum aperte ab Herodoto nominari: tu vero me eo teſte vti putas de Alexandri morte, de qua nihil tradidit.

SARCOPHAGO.]Id eſt, tumulo ex ſarcophago lapide, qui vt ſcribit Plin. in Aſſo Troadis fiſſili vena ſcinditur, corporaque defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus: Mutianus autor eſt, quæ illata ſunt vna cum cadauere fieri lapidea dicitur à σαρκὸς, quod ſignificat carnē & φάγω, quod eſt edo. an hoc genere lapidis conditus ſit Alexander, viderint alij, Strabo certe in vltimo ſcribit in aurea vrna eum prius fuiſſe conditum, vt ſarcophagum hoc loco accipias pro ſimplici vrna.

ATHOS.]Macedoniæ mons, Thracius aliquando dictus propter fines proximos, diuulſus à continenti imperio Xerxis, non tam neceſſaria expeditione quàm in eius potentiæ monumentum, vt Herodotus autor eſt, in longitudinem patet mille & quingentis paſſibus, circunduxit claſſem Xerſes ad radices facta fouea, vt Herodotus tradit.

SVPPOSITVMQVE ROTIS.] Hoc dicit propter pontem quem ſtruxit Xerxes ad Athon & Seſton in Abido, per quem vtrumque totum exercitum traiecit, vt etiam Trogus Herodotū ſecutus ſcribit, *montes*, inquit, *in planū deducebat in conuexa valliū æquabat, quædam maria pontibus ſternebat.*

DEFECISSE AMNES.]Exhauſtos fuiſſe: quid Herodotus tradit lacum ſcilicet XXX. ſtadiorum fuiſſe exhauſtum Chidorum, Onochorum & Appidanum Theſſaliæ fluuios exhauſtos. Trogus, *vt non immerito proditum ſit flumina ab exercitu eius ſiccata.*

SOSTRATVS.]Hoc nomine ſacerdos Veneris apud Tacitū & Soſtratius Gnidius qui Pharum erexit, vt ſcribūt Plinius & Strabo, & Soſtratus teſte Plinio qui ſigna ex ære & alia materia faciebat, & Soſtratus vates eſt qui per furorem multa prædixit Græcis. nam Bacchis, Muſęus, Soſtratus Athenienſis Xerxis aduentum prędixerunt carminibus, prodigia canentes quæ apparerent antequam venirent, horum teſtimonio ſæpe vtitur Herodotus, eorumque verſus tanquam reſponſa apollinea recitat vati-

cinium Bacchis impetrauit ab Apolline, cum ab eo amaretur, vt planumſit de ea ſcribere Ouid.

Hac tantum Clario Bacchis amata Deo.

Madidis Sostratvs alis.] Id eſt, furens & ebrius, quaſi dicat non modo quæ traduntur in hiſtoriis, ſed etiã prodigia, quę prædixit Soſtratus furore concitus & madidus credimus. Fidentinus inſanit hoc loco vt vbique, & cum alia à nobis didicerit hanc non probat ſententiam, & de Soſtrato ſacerdôte intelligendum clamat, qui multa prædixerit Veſpaſiano. O ineptum hominem! ô temeritatem non ferendam! vide quo vecordiæ eum deduxerit præceptor, quomodo de Veſpaſiano poſſumus intelligere, cum hæc omnia de Xerxe ſcribat Iuuenalis, altos defeciſſe amnes, & reliqua omnia?

Ille tamen qualis rediit Salamine relicta:
In Corum atque Eurum ſolitus ſæuire flagellis
Barbarus AEolio nunquam hæc in carcere paſſos.
Ipſum compedibus, qui iunxerat Ennoſigæum
Mitius id ſane quod non & ſtigmate dignum
Credidit: huic quiſquam velles ſeruire Deorum?
Sed qualis rediit, nempe vna naue cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadauera prora.
Has totiens optata exegit gloria pœnas
Da ſpacium vitæ, multos da Iuppiter annos.
Hoc recto vultu: ſolum hoc & pallidus optat
Sed quam continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis: deformem & tetrum ante omnia vultum
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas
Quales vmbriferos vbi pandit Tabraca ſaltus:
In vetula ſcalpit iam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt iuuenum diſcrimina, pulchrior ille
Hoc, atque ille alio, multum hic robuſtior illo:
Vna ſenum facies, cum voce trementia membra,

Salamine relicta.] Salamin ante Athenas inſula eſt dubiorum finium: nam & Megarici & Athenienſes de eius poſſeſſione ſæpè diſceptarunt. victi autem ſunt Megarici verſu Homerico, quo Athenienſes docuerunt Aiacem, cum Athenienſibus naues miſiſſe ad bellum Troianum ex Salamine, quamuis verſus nõ extet in omnibus codicibus Homericis, vt ſcribit Fabius: illic ſuperatus eſt Xerxes à Themiſtocle, poſtquam pugnam ſuadente Mardonio duce diffugit, venitque ad pontem quadrageſimo quinto die quem ad Abidon ſtruxerat, vt ſcribit Herodotus,

dotus,& inde in Aſiam traiecit exercitum. Salamin præterea in Cypro eſt. Salamine relicta, id eſt, poſt pugnam ad Salaminem.

Barbarvs.]Non ad ignominiam hoc dicitur: ſed eſt perpetuum cognomen apud Græcos, qui volentes Xerxẽ ſignificare barbarum dicunt, ſæpè hoc apud Thucydidem & Herodotum. Solitus ſæuire, inde hæc Themiſtocles apud Herodotum in Octauo. *Dij*, inquit, *voluerunt hominem inſanum imperare toti. Aſiæ & Europa, qui tanti ſacra facit quanti prophana, deorũ ſimulacra incẽdit, & deiecit mare ἱμασιγξιν*, id eſt, flagellis diuerberauit.

Tales poenas.] Qualibus docuimus affectos fuiſſe Hannibalem, Alexandrum, & Xerxem. Da ſpatium vitæ alterum votum confutat, & oſtendit in longitudine vitæ quam multi expetunt, non fœlicitatem ſed infœlicitatem ſummam eſſe.

Tabraca.]Condita eſt in Lybia à Tyriis. Sillius. *Tabracatum Tyrium, vulgus.* in Libya autem ſimiæ multæ ſunt, & Poſſidonius ſcribit, cum ex Gadibus in Italiam nauigaret, ſe in Libyæ oram delatum eſſe, vidiſſeque ſyluam iuxta mare ſimiis plenam, quarum aliæ arboribus inſidebant, aliæ humi, aliæ catulos & vbera habebant pendentia, aliæ caluę erant, & hernioſæ.

Simia.]Ennius.

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Et iam laue caput, madidique infantia naſi:
Frangendus miſeris gingiua panis inermi:
Vſque adeo grauis vxori, natiſque, ſibique
Vt captatori moueat faſtidia Coſſo.
Non eadem vini atque cibi torpente palato
Gaudia: nam coitus iam longa obliuio, vel ſi
Coneris, iacet exiguus cum ramice neruus,
Et quamuis tota palpetur nocte iacebit.
An ne aliquid ſperare poteſt hac inguinis ægri
Canicies? quid quod merito ſuſpecta libido eſt
Quæ venerem affectat ſine viribus? aſpice partis
Nunc damnum alterius: nam quæ cantante voluptas:
Sit licet eximius citharœdus, ſitve Seleucus,
Et quibus aurata mos eſt decurrere palla?
Quid refert magni ſedeat qua parte theatri
Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum
Concentus, clamore opus eſt vt ſentiat auris
Quem dicat veniſſe puer, quot nunciet horas.
Præterea minimus gelido iam corpore ſanguis,
Febre calet ſola, circunſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,

Promptius expediam quot amauerit Hyppia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno,
Quot Baſilus ſocios, quot circumſcripſerit Irus

Læve capvt.] Expilatum propter caluitiem & canitiem. Studioſius autem ſenectutem deſcribit Iuuenalis ſuæ ætatis tedio: nam erat prope octogenarius.

Captatori Cosso.] Coſſi vt Feſto placet dicuntur natura rugoſi, à ſimilitudine vermium ligno editorum: hic proprium nomen eſt captatoris auariſſimi, de quo ante dictum eſt.

Ramice,] Ramicem Marcellus putat eſſe pulmonem adductus verbis Plauti, qui ramicem inquit rupi dum tuſſim expuo, diligentius ſcribit Celſus; ramices eſſe partes inteſtinorũ, quibus diffractis herniosi ſenes fiunt, quod & verba Plauti indicant. eius morbi duo ſunt genera, enterocellæ & hydrocellæ.

Svspecta libido.] Nam eos qui nequibant præſtare operam in coeũdo irrumatores eſſe ſuſpicabantur. Mart.

Summæ petas id eſt os *illic mentula viuet anus.*

Id eſt illic mentula anilis poterit arrigere: propterea de ſene paulo poſt dicet, cum deſcribet fellatricem quam irrumat, tantum artificis valet halitus oris.

Alterivs partis.] Id eſt aurium.

Sitve Selevcvs.] Seleucus grammaticus fuit ætate Tiberij, de quo ſcribit Tranquillus, hoc loco nomen proprium eſt tibicinis, quòd inſequens quoque verſus apertius indicat: nam tibicines variata veſte induti & ornati gemmis, quod inſtituit Hiſmenias tibicem, Dionyſiodorus & Nichomachus eiuſdem artis æmuli, per theatrum vagabantur canendo. Horatius, *— luxuriemque addidit arti:*

Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem.

Scribunt præterea Plin. & Valerius in ſecundo. Decvrrere avrata palla.] ita codex antiquus habet, Palla veſtis proprie dicebatur arte phrygionũ diſtincta. Plautus *pallam ad phrygionem fert confecto prandio*, ita appellari putat Varro, quoniã palam geſtaretur. Decvrrere: nam tibicen vagabatur per theatrum, vt Horr. Vagum dixit. Selevcvs] optimus tibicen & Choraules, qualis fuit Canus temporibus Galbæ: inde quàm inepti ſunt qui de Seleuco grãmatico legũt, cum loquatur hic de citharœdis tantum & tibicinibus, hac voluptate quæ auribus precipitur in theatro, vbi grammatici non diſputãt, nec clamant vt Fidentinus putat, qui non modo domi, ſed in compitis omnibus & popinis quotidie per ebrietatem vociferat.

Themison.] Notus eſt carmine Mar. qui ſororẽ pro vxore: hîc pro medico accipitur: nã Themiſon medicus apud Herodotũ, & apud Plin. Aſclepiadis diſcipulus. Basilvs, inter percuſſores Cæſaris ab Appiano recenſetur. Baſilus itẽ latrociniis infamis à cuius nomine ſpoliatorẽ prouinciæ Baſilũ appellat. Baſili item ante meminit, *quando licet Baſilo.*

Irvs.] Mẽdicus Itacẽſis ab infantia Arneus dictus, teſte Homero, quem

Vlixes domum reuerſus ſub habitu mendici pugnis proſtrauit: per Irum Iuuenalis intelligit pauperem turorem. Fidentinus Irum ait fuiſſe inter procos Penelopes & voratorem, quod in illo quidem falſum eſt, in ipſo autem verum: nam Fidentini vita tota in voracitate poſita eſt.

Pupillos, quot longa viros exorbeat vno
Maura die, quot diſcipulos inclinet Amillus,
Percurram citius quot villas poßideat nunc
Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos & luſcis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis:
Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna. ſed omni
Membrorum damno maior dementia, quæ nec
Nomina ſeruorum, nec vultum agnoſcit amici
Cum quo præterita cœnauit nocte, nec illos
Quos genuit, quos educit: nam codice ſæuo
Hæredes vetat eſſe ſuos, bona tota feruntur
Ad Phialem, tantum artificis valet halitus oris:
Quot ſteterat multis in carcere fornicis annis.
Vt vigeant ſenſus animi: ducenda tamen ſunt
Funera natorum, rogus aſpiciendus amatæ
Coniugis, & fratris plenæque ſororibus vrnæ.
Hæc data pœna diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore & nigra veſte ſeneſcant.
Rex Pilius, magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Fœlix nimirum qui per tot ſæcula mortem

QVOT MAVRA EXORBEAT.] Id eſt quot viros fellet, vt Philenum lingentem. Mart.

Vndenas vorat in die puellas.

Supra Maura numerata eſt inter tribades.

AMILLVS.] In eundem Mart.

Preclusis foribus grandes præcidis Amille.

POSSIDEAT NVNC.] Cynnamum tonſorem intelligit, de quo in prima ſatyra diximus.

AD PHIALEM.] Sui temporis fellatricem notat, vt Mart. Gallam: nam cum ſupra dixerit ſenem libidinoſum irrumatorem, ſubdit eũ in-

ſtituere hæredem fellatricem: nam hæc opponuntur fellator ſcilicet & irrumator.

HALITVS ORIS ARTIFICIS.] Deſcribit fellatricem.

IN CARCERE FORNICIS.] Fuit diu in Summenio cum ea vt irrumaret.

REX PILIVS.] Neſtor Nelei filius Pilon vrbem Laconiæ tenuit imperio à patre conditam, eam appellat Strabo Pilon Triphyliacam, hic tertiam hominum vixit ætatem, quod noſtri fabuloſe accipientes, tercentum annos eum egiſſe dicunt: ſed Plinij in VII. & Euſtathij in primo Iliados interpretatione admonemur vt ſentiamus eum perueniſſe ad nonageſimum annum, hic in bello Troiano Antilochum filium amiſit interfectum ab Hectore, vt noſtri dixerunt, vel à Memnone vt cecinit Quintus, ſepultumque iuxta Patroclum ad Sigeum: huius mortem eum ægerrimè tuliſſe ſcribit Propertius.

Non ille Antilochi vidiſſet corpus humari,
Diceret aut ô mors cur mihi ſera venis,

Hor. *At non ter æuo functus amabilem*
Plorauit omnis Antilochum ſenex
Annos.

Et Neſtor apud Homerũ in II. Odiſſeæ, *illic iacet meus charus filius fortis, & clarus Antilochus*, vt mirer Quintum Poëtam teſtari Neſtorem filij obitum patienter tuliſſe.

A CORNICE.] Nã cornici, vt ſcribit Heſiodus fabuloſe, vita eſt in nouẽ noſtras ætates, dicta quadruplum eius ceruis: poſuit autem cornicem pro re viuaciſſima, quaſi dicat, ſi non eſt aſſecutus vitam cornicis, certe ſit ſecundo loco poſt cornicem.

FOELIX NIMIRVM.] Ironice.

Diſtulit, atque ſuos iam dextra computat annos:
Quique nouum totiens muſtum bibit: oro parumper
Attendas quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni
Quiſquis adeſt ſocio cur hæc in tempora duret?
Quod facinus dignum tam longo admiſerit æuo?
Hæc eadem Peleus raptum cum luget Achillem.
Atque alius cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troia Priamus veniſſet ad vmbras
Aſſarici, magnis ſolemnibus Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus, inter
Iliadum lachrymas: vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſaque Polyxena palla,
Si foret extinctus diuerſo tempore quo iam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.

Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Euerſa, & flammis Aſiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus poſita tulit arma thyara,
Et ruit ante aram ſummi Iouis, vt vetulus bos
Qui domini cultris tenue & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato iam faſtiditus aratro.
Exitus ille vtcunque hominis, ſed torua canino
Latrauit rictu, quæ poſt hunc vixerat vxor.
Feſtino ad noſtros, & regem tranſeo Ponti.
Et Cæſum quem vox iuſti facunda Solonis
Reſpicere ad longæ iuſſit ſpacia vltima vitæ.

DEXTERA.]Ego ita intelligo hoc dici de Neſtore, quoniam apud Homerum iactat robur ſuum iuuenile, & multis ante annis ait ſe pugnaſſe cum Piritho, Dryante, Polyphemo, & à dextræ robore ſuam ante actam ætatem deſignabat

ALIVS.] Laertes abſente Vlyſſe filio in agro ſe macerabat, quod Homerus ita in. ii: quem aiunt, nondũ in vrbẽ veniſſe ſed ſeorſum dolores pati, cũ ancilla vetula, quæ panẽ & vinũ ei miniſtrat, & in quintodecimo Laertes nunc viuit, rogat ante aſſidue Iouẽ, vt animã ex mẽbris ſoluat, nam conqueritur abſentem filiũ, & Anticlia mater ad Vliſſem in xii. de Laerte. Perpetuuſque dolor circum præcordia ſæuit. Cui tua dant lachrymas incommoda.

CVI FAS.] Imitatio Græcorum eſt, nam nos dicimus, nobis eſſe fas, quod ſi commiſerimus, Dij non iraſcantur, Græci vero θέμις hoc eſt fas eſt, accipiunt pro eo, quod eſt decet & par eſt. Homerus *Penelope* inquit *luget* θέμις ἐστὶ, hoc eſt, fas eſt. & decet, *virum abſentem.*

RELIQVIS FRATRVM.] Nam quinquaginta erant Priami filij, ſi Homero & Ciceroni credimus.

PRIMOS PLANCTVS.] Tanquam præfica, nam præficæ dabant ſignum lugendi aliis voce ſua.

PALLA.] Nam prætexta palla vtebantur, vt ſcribit Pompeius, qui funus curabant.

TREMVLVS TVLIT ARMA.] Vt illud Virg.

Arma diu ſenior deſſueta trementibus æuo
Circundat nequicquam humeris.

RVIT ANTE ARAM.] Cicero *Priamũ tanta progenie orbatum cum in ara confugiſſet, manus hoſtilis interemit, hic ſi viuis filiis incolumi regno occidiſſet, aſtante ope barbarica, tectis cælatis, vtrum tandem à bonis an à malis diceſſiſſet.*

EXITVS ILLE VTCVMQVE.] Hecuba Dimanti filia vt ſcribit Homerus, mortuo Priamo poſt mactatã Polyxenam filiam ad tumulũ Achlilis, cũ Polydori mortẽ vlciſceretur, & Polymneſtorẽ, qui eũ necauerat, obcæcaſſet, inſequentibus eã Thracibus lapidibus, in canem verſa eſt. Euripides eam filiam Ciſſei fuiſſe ſcribit, Sed Aeſchylus Ciſſiam matrem Memnonis fuiſſe tradit.

Solonis.] Solon Tarquinio Priſco Romæ regnante Athenis claruit legibus promulgatis: cũ ex Ægypto reuerteretur ad Crœſum Lydorũ regem diuertit, quem omnium ditiſſimum fuiſſe fabulata eſt antiquitas. hic cum Soloni per miniſtros theſauros ſuos oſtendiſſet, interrogauit an vnquam vidiſſet beatiorem, reſpondit Solon ſe Tellum vidiſſe, qui & liberos ſuſceperit, & viderit ex his nepotes mortuos honeſtiſſime in bello pro patria dimicantes. Interrogatus an alterũ, reſpondit Cleobim & Bithonem: quorum pietas in matrem ſpectata fuerit, & mors honeſtiſſima. Rurſus quid de eo ſentiret: te inquit multorum hominum regem arbitrör, quid vero interrogas primum non affirmauero quam audiuero te vita bene defunctum eſſe. Poſtremo captus Crœſus à Cyro, cum in rogum coniiceretur ea in calamitate ſententiæ Solonis meminit, ſcripta eſt ab Herodoto hiſtoria in primo.

Exilium & carcer Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis:
Hinc cauſas habuère, quid illo ciue tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius vnquam,
Si circunducto captiuorum agmine, & omni
Bellorum pompa animam exhalaſſet opimam,
Cum de Theutonico vellet deſcendere curru?
Prouida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: ſed multæ vrbes, & publica vota
Vicerunt. igitur Fortuna ipſius & vrbis
Seruatum victo caput abſtulit: hoc cruciatu
Lentulus: hac pœna caruit ceciditque Cethegus
Integer: & iacuit Catilina cadauere toto.
Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater
Vſque ad delitias votorum: cur tamen inquit
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana:
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum:
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare. filius autem
Corporis egregij miſeros trepidoſque parentes
Semper habet, rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ, ſanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas,
Præterea caſtum ingenium, vultumque modeſtum
Sanguine feruentem tribuat Natura benigna

Larga manu, quid enim puero conferre poteſt plus
Cuſtode & cura natura potentior omni?
Non licet eſſe viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipſos audet tentare parentes,
Tanta in muneribus fiducia, nullus ephebum
Deformem ſæua caſtrauit in arce Tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripidem, vel

EXILIVM.] Marius victus à Sylla cum ad Minturnas confugiſſet à ſene in locis paluſtribus occultatus eſt, vnde mox in Libyam nauigauit ad opem implorandam ab Iempſale rege Numidarum. cum autem in Carthaginenſi littore eſſet: fretus veteri familiaritate ad Sextilium quem audiuit illic Prætorem eſſe acceſſit: ille per lictorem monuit vt ſtatim abiret, quoniam erat hoſtis populi Romani, interrogantique quid vellet, renuntiari Sextiſio, reſpondit Marius. *nuncia te vidiſſe Caium Marium in ruinis Carthaginis exulem.*

CARCER.] Carcerem dixit quoniam Minturnenſes ciues eum captum in cuſtodiam Famæ mulieris dederunt, vnde poſtea eorum iudicio eſt dimiſſus.

MINTVRNARVMQVE.] Minturnas olim ſcribit Strabo amplam vrbem fuiſſe, ſed poſtea redactam ad vicum.

OPIMAM ANIMAM.] Alluſio eſt ad ſpolia opima, quæ dux duci detrahebat.

PROVIDA POMPEIO.] Pompeius ante bellum ciuile Neapoli ægrotauit, Cicero. *Pompeio noſtro familiari cum ægrotaſſet Neapoli, melius eſt factum: coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, vulgo ex oppidis publice gratulabantur: ineptum ſane negocium & græculum, ſed tamen fortunatum: vtrum igitur ſi tum eſſet extinctus à bonis rebus an à malis diſceſſiſſet: certe à miſeriis. Non cum ſocero bellum geſſiſſet: denique non exercitu amiſſo in ſeruorum ferrum & manus incidiſſet.*

VRBES.] Quæ ſuſceperunt vota per eius ſalute Praxagoræ ſuaſu, vt ſcribit Plutarchus.

VICERVNT.] Pepererunt ſalutem Pompeio aduerſus fatorum ſeriem qua immiſſus ei erat morbus.

RVTILÆ GIBBVM.] Rutila fuit puella deformis tempore Iuuenalis vt puto: fuit item Liuia Rutila, quæ ad nonageſſimum ſeptimũ annum peruenit, vt ſcribit Plin.

NON LICET ESSE VIRIS.] Ideſt non poſſunt venire ad virilitatem, nam fiunt ſpadones.

NVLLVS EPHEBVM.] Caſtrabantur enim pueri ante decimumquartum annum ephebi.

IN ARCE.] In prætorio: nam ad voluptatem & libidinem principis fiunt ſpadones. id tamen Domitianus prohibuit vt ſcribit Trãquillus.

Ah tum te miſerum malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta
Percurrent raphanique mugileſque.

Hoc Fidentinus ſupra negauerat ſed nunc tandem edoctus à nobis accipit.

ENDYMION.] Nomen conuenit adultero nocturno: nam hic dormiēs amatus eſt à Luna, de quo plura alibi.

SERVILIA.] Hic ponitur pro notiſſima mœcha temporum Iuuenalis. fuit item Seruilia filia Sorāni vxor Pollionis, de qua ante dictum eſt, ex teſtimonio Taciti.

SIVE HYPPIA.] Hoc eſt ſiue ſit auara vt fuit Catulla, ſiue ſit prodiga vt fuit Hyppia, omnino erit liberalis in adulterum. de Catulla. Martial.

O quam te fieri Catulla vellem,
Formoſam minus & magis pudicam.

DETERIOR HABET ILLIC TOTOS MORES.] Hoc eſt mulier quæ in aliis rebus deterior eſt, præſtat ſe erga adulterum bene moratam & liberalem.

BELLEROPHONTI.] De Bellerophonte notiſſima eſt hiſtoria apud Homerum & Hyginum.

CONCVSSERE SE AMBÆ.]. Id eſt erexere ſeſe in vltionem, tractum à pugilibus qui inituri certamen manus concutiunt.

ELIGE QVIDNAM.] Hiſtoriam à Tacito perſcriptam affert in exemplum vt oſtendat formā obeſſe: nam Meſſalina abſente Claudio marito, Syllio iuueni formoſo conſule deſignato nupſit. Tacitus. *Haud ſum ignarus fabuloſum viſum iri, paulo poſt conſulem deſignatum, cum vxore principis prædicta die, adhibitis qui obſignarent velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conueniſſe, atque illam audiſſe auſpicum verba, ſacrificatum apud Deos, diſcubitum inter conuiuas, oſcula, complexus, noctem denique actam licentia coniugali.*

HIC.] Scilicet Syllius iuuenis conſul deſignatus forma, & dignitate præcellens: vt ſcribit Tacitus.

RAPITVR MISER.] Vel ad ſupplicium quo affectus eſt, vel ad nuptias iuſſu Meſſalinæ.

EXTINGVENDVS.] Scilicet paulo poſt redeunte ex Hoſtia ad vrbem Claudio.

Meſſalinæ oculis, dudum ſedet illa parato
Flameolo, tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur,
Antiquo veniet cum ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabis:
Non niſi legitime vult nubere. quid placeat dic

Ni parere velis, pereundum eſt ante lucernas:
Si ſcelus admittas, dabitur mora paruula, dum res
Nota vrbi & populo contingat principis aures.
Dedecus ille domus ſciet vltimus: interea tu
Obſequere imperio, ſi tanti eſt vita dierum
Paucorum: quicquid lenius meliuſque putaris,
Præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida ceruix.
Nil ergò optabunt homines? ſi conſilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus quid
Conueniat nobis, rebuſque ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis aptiſſima quæque dabunt dĳ.
Carior eſt illis homo quam ſibi, nos animorum
Impulſu, & cæca magnaque cupidine ducti
Coniugium petimus, partumque vxoris: at illis
Notum qui pueri, qualiſque futura ſit vxor.
Vt tamen & poſcas aliquid, voueaſque ſacellis
Exta & candiduli diuina thomacula porci,
Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano:
Fortem poſce animum mortis terrore carentem:
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcumque labores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat ſæuoſque labores
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monſtro quod ipſe tibi poſſis dare: ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus fortuna deam, cœloque locamus.

HORTIS.] Vel Lucullianis: nam illic interfecta eſt Meſſalina vel Meſſalinæ hortis.

ANTIQVO RITV.] Nam antiquo ritu inſtituta eſt dos: quaſi mulier ita videatur emere virum: vt ſcribit Varro.

CVM SIGNATORIBVS.] Scilicet dotalium tabularum: nam obſignatas fuiſſe tabulas dotis ſcribit Tranquil.

AVSPEX.] Auſpices qui ſolent præeſſe legitimis nuptiis.

ANTE LVCERNAS.] Ante lucernas dixerunt antiqui, pro in mediis conuiuiis & ludis nocturnis, id eſt in medio conuiuio nocturno. Pli. Loliam Paulinam ſe tanti apparaſſe ſcrib;t , vt ſpectaretur ad lucernas.

VLTIMVS SCIET.] Referente ei Calphurnia. Hoſtiæ etiam hoc dictum eſt ei, *Matrimonium Syllij vidit populus Senatus & miles, ac ni propere agis, tenet vrbem maritus. Imperio* Meſſalinæ: cuius iuſſu multæ cædes perpetratæ fuerunt: vt ſcribit Tacitus.

NIL ERGO OPTABVNT HOMINES.] Non debent petere & optare aliquid, ô Iuuenalis, cum omnia ſint pernitioſa, vt oſtendiſti.

SI CONSILIVM VIS.] Reſpondet Iuuenalis.

PRO IVCVNDIS.] Id eſt loco eorum quæ nos petimus ad voluptatem.

ANIMORVM.].i.affectuum & elationis.

TOMACVLA.] Sunt farcimina porcinis carnibus cæſis & obuolutis pinguia: Martia. Tomacula figurate protulit, meminit autem huius, victimæ Iuuena. potius quam aliarum: quoniam in nuptiis & re vxoria, cuius paulo ante fecit mentionem: qualiſque futura ſit vxor porcus mactabatur: vt Varro in re ruſtica ſcribit.

NVLLVM NVMEN HABES SI SIT PRVDENTIA.] Hoc dicitur ad fortunam quæ nullum numen .i. nullas vires & potentias in nos habet, ſi prudentes ſimus. i. ſi ſecundum virtutem viuimus. Sed nos. ſ. negligentes virtutem, & qui imprudentia ferimur. Facimus deam & conſecramus te cœlo: quaſi dicat: Fortuna ex imprudentia hominum nata eſt & cenſetur.

SARDANAPALI.] Lege Diodorum, & Strabonem, qui de Hoc ſatis multa ſcribunt.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA VNDECIMA.

Atticus eximiè ſi cœnat, lautus habetur:
Si Rutilus demens: quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi quam pauper Apitius? omnis
Conuictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo: nam dum valida ac iuuenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardens ſanguine fertur
Non cogente quidem, ſed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges & regia verba laniſtæ.
Multos porro vides quos ſæpe eluſus ad ipſum
Creditor introitum ſolet exſpectare macelli,
Et quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt.

Egregius cœnat meliuſque miſerrimus horum
Et cito caſurus iam perlucente ruina.
Interea guſtus elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interius ſi
Attendas, magis illa iuuant quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile eſt perituram arceſſere ſummam

ATTICVS.] Ex ſecta Epicuri frugalem cœnam & tranquilli otij menſam Perſico quem inuitauerat pollicetur: ſed Satyræ non oblitus excandeſcit in gulam eorum qui menſas lautius parant quam diuitiarum modus ferat: hanc menſæ frugalitatem & otium. Mar. Horatius & Poëtæ, qui ex Epicuri ſententia agebant vbique laudant & amplectuntur: nam Epicurus qui veram vitam in mentis tranquillitate & virtutis exercitatione ponebat, talem laudabat menſam, ei vitæ ſcilicet conuenientem, non igitur inuehitur in ſectam Epicuri Iuuena. quod Fidentinus clunicus putauit, cum tamen ipſe ex ſententia Ariſtippi iam diu viuat, hoc eſt inter epulas quibus veram voluptatem diffiniebat Ariſtippus: vt in Fidentinum potius inuehi videatur Iuuenalis quam in Epicurum ex cuius ſententia deſcribit menſam. ATTICVS gentilitium, nomen ducit ab Attico equite Romano, & literis & familiaritate Ciceronis inſignis, ad hunc Martia.

Attice quàm renouas facunda nomina gentis.

Aliorum Atticorum meminit. Ta. hic vero diues erat.

SI RVTILVS.] In Rutilum ex Rutilorum familia hominem inuehitur, qui cum tenuem haberet rem familiarem lautiſſimas parabat menſas: vt omnes iam palam & ſentirent & dicerent eum in extremam paupertatem delapſurum, & conſumptis rebus omnibus fore laniſtam & gladiatorem, vt inde ſcilicet ſibi pararet victum: in quo alludit ad hiſtoriam: nam Publius Rutilius vnus ex maioribus huius Rutili, collega Cnei Manlij in conſulatu, eruditionem gladiatorum & laniſtarum tradidit: quod Maximus ita ſcribit, *armorum tractandorum meditatio à Publio Rutilio conſule Cnei Manlij collega, militibus eſt tradita, is enim nullius ante ſe Imperatoris exemplum ſecutus, ex ludo Cal. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum acceſsitis, vitandi atque inferendi ictus, ſubtiliorem rationem legibus ingenerauit.*

QVAM PAVPER APITIVS.] Apitius hic pro omni guloſo accipitur. Senſus eſt, nihil magis deridetur quam guloſus factus pauper vt erat Rutilus.

SCRIPTVRVS LEGES.] Veniet in paupertatem & ſcribet leges gladiatoribus, erit enim laniſta: nam laniſtæ dicebantur qui habebant gladiatores quos mercede locabant edentibus munus. ipſe inquit erit laniſta, & regulus inter gladiatores, quibus imperabit.

DVM IVVENILIA MEMBRA.] Irridendo hoc dicit, quaſi dicat properat ad paupertatem, vt cum ſit futurus laniſta ob inopiam ſit ſaltem iuuenis.

SVFFICIVNT GALEÆ.] Id eſt eruditioni armorum.

NON COGENTE QVIDEM.] Tribunus plæbis cum conſules habebant delectum populi ad militiam, aut cogebat Quirites date nomina, aut prohibebat ob ſeditionem & odium in Patres, quod longa lectione Liuij explotatiſſimum eſt. Suſpitans igitur ſatyrice Iuue. ait Rutilum laniſtam habiturum multos iuuenes ad gladiaturam, qui dabũt nomina, Tribuno plebis non intercedẽte, nec cogente vt ſcilicet oſtendat omnem publicæ militiæ diſciplinam eſſe extinctam, & meditationem armorum reſediſſe tantum in gladiatoribus.

Lancibus oppoſitis. vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile, ſic veniunt ad miſcellanea ludi.
Refert ergo hæc eadem quis paret, in Rutilo, nam
Luxuria eſt in venditio: laudabile nomen
Sumit, & à cenſu famam trahit. illum ego iure
Deſpiciam qui ſcit quantum ſublimior Atlas
Omnibus in Libya ſit montibus, hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata diſtet ab arca
Sacculus. è cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν
Figendum memori, tractandum pectore ſiue
Coniugium quæras, vel ſacri in parte ſenatus
Eſſe velis: nec enim loricam poſcit Achillis
Therſites, in qua ſe traducebat Vlixes.
Ancipitem ceu tu magno diſcrimine cauſam
Protegere affectas, te conſule: dic tibi, qui ſis?
Orator vehemens, an Curtius, an Matho buccæ?
Noſcenda eſt menſura ſui, ſpectandaque rebus
In ſummis minimiſque: etiam cum piſcis ematur,
Nec cupias mullum cum ſit tibi Gobio tantum
In loculis, quis enim te deficiente crumena
Et creſcente gula manet exitus? ære paterno
Ac rebus merſis in ventrem fœnoris atque
Argenti grauis, & pecorum, agrorumque capacem.

MATRIS IMAGINE FRACTA.] Hoc eſt ex hiſtoria, vt ego quidem ſentio. notat enim hominem ſui temporis guloſum, qui partem ſtatuæ maternæ vendiderat vt cibos emeret delicatos.

MISCELLANEA.] Miſcellus Crotonem condidit ex oraculo, vt ſcribit Strabo. Miſcelli item ludi erant quos in Gallia edidit Caius princeps, vt ſcribit Tranquill. vnde miſcellanea præmia quæ in Miſcellis ludis dabantur dicta ſunt: ſenſus Iuuenalis eſt, qui pēdet ex eo quod dixerat de Rutilo, quod ſcilicet, propter paupertatem aliquando cogeretur erudire gladiatores. sic, id eſt, cum homines pauperes fiant ex gula. LVDI VENIVNT AD MISCELLANEA. id eſt ludi gladiatorij ab his aperiuntur ad præmia ludorum accipienda vt inde viuant.

VENTIDIO.] Ventidium ex infima ſorte euectum ad ſummos magiſtratus, ante eſt dictum: fuit item Ventidius, de quo vt puto nunc loquitur, qui præfectus Galilæorum nationi, vt ſcribit Tacitus, cum Fœlice fratre Pallantis qui præerat Samaritis prouincias ſpolauit.

E COELO DESCENDIT, ΓΝΩΘΙ ΣΕ ΑΥΤΟΝ.] Hoc non deſcendit de cœlo, ſed à Chilone Lacedæmonio dictū eſt, cuius reſponſa pro oraculis accepit antiquitas, vt ſcribit Pli. ea tria fuerunt. *Cognoſce teipſum. Nihil nimis. Comes æris alieni, atque litis eſt miſeria*, hæc conſecrata ſunt Delphis aureis literis. nonnulli Laertij verba in Chilone ſecuti, apud Pli. legunt non miſeriam, ſed ſponſionem, *ſponſioni*, inquit, *commes eſt iactura*.

AN CVRTIVS.] Curtius Montanus cauſidicus, de quo Cornelius Tacitus, *Occurit truci oratione Curtius Montanus*, & alibi. *Cenſuit Curtius Montanus, &c.* & ita coniungas vt legas, tu cogitabis an ſis orator vehemēs, an talis, quales ſunt Curtius & Matho, qui non ſunt oratores, ſed buccæ & ventoſa verba.

NEC MVLLVM.] Mullus piſcis dictus eſt colore (vt ſcribit Feneſtella, autore Pli. vt mendoſi codices pliniani habent) molliorum calciamentorum (vt autem ſcribendum eſt) muleorum calciamentorum: nam mulei calcei fuerunt regum Albanorum prius, vt ſcribit Feſtus, & poſt patritiorum.

GOBIO.] Precium pro Gobione piſce, qui vt ſcribit Theophraſtus in regione Ponti captus ex glacie, non oſtendit motum vitalem, niſi calore patinæ, in venetas menſas recipitur licet exiguo precio.

Talibus à dominis poſt cuncta nouiſſimus exit
Annullus. & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ, ſed morte magis metuenda ſenectus.
Hi plærumque gradus, conducta pecunia Roma,

Et coram dominis conſumitur:inde vbi paulum
Neſcio quid ſupereſt,& pallet fœnoris auctor,
Qui vertere ſolum Baias & ad Hoſtia currunt.
Cadere namque foro iam non tibi deterius,quam
Æſquilias à feruenti migrare Suburra.
Ille dolor ſolus patriam fugientibus, illa
Mæſtitia eſt caruiſſe anno circenſibus,vna
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci ridiculum,& fugientem ex vrbe pudorem.
Experiere,hodie nunquid pulcherrima viſu
Perſice non præſtem vita,nec moribus,& re:
Sed laudem ſiliquas occultus ganeo,plures
Coram aliis,dictem puero,ſed in ore placentas.
Nam cum ſis conuiua mihi promiſſus,habebis
Euandrum,venies Tirynthius,aut minor illo
Hoſpes & ipſe tamen contingens ſanguine cælum,
Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De tiburtino veniet pinguiſsimus agro
Hædulus,& toto grege mollior inſcius herbæ,
Nec dum auſus virgas humilis mordere ſalicti:
Qui plus lactis habet quam ſanguinis, & montani
Aſparagi,poſito quos legit villica fuſo.

ANNVLVS EXIT.] Annulus inſigne equeſtris dignitatis, quem geſtare non poterant, niſi quadringenta ſeſtertia haberent: & eo cenſu imminuto annulum deponere cogebantur. Martialis,

> *Dum donas Macer annulos puellis,*
> *Deſiſtes Macer annulos habere.*

EXIT ANNVLVS.]Id eſt deponitur annulus, inſigne equeſtre quem amplius geſtare non poſſunt imminuto cenſu.

HI PLERVMQVE GRADVS.] Hoc eſt hunc ordinem ſæpe videas Romæ.

VERTERE SOLVM.] Vertere ſolum eſt mutare patriam ob æs alienum.

SILIQVAS.]Siliqua ab Ionibus ceratia dicta eſt,eandem nonnulli per errorem ficum ægyptiam dixerunt:de hac Rutilius.

Aſſueſcunt ſiliquæ viridi molleſcere ſucco.
Et gremio paſcunt cætera poma ſuo.

GANEO.]Ganeum locum reconditum & quaſi ſub terra putat Pompeius ex verbis Terentij, *vbi illum quæram? credo abductum in Ganeum*, ganeones proprie dicti ſunt, qui popinas gula ſectantur.

PLVTES.] Pultem inconditum panem fuiſſe ſcribit Pli. qua Romani ante panis vſum diu vixerunt, teſtimonio etiam Ennij ea ignota fuit Græciæ veteri, tamen inſtituto poſt panis vſum ſeruatum eſt, vt dies natalis pulte fritilla celebraretur, in priſtini victus monimentum. pultes prætereà excogitatæ ſunt multis condimentis. Cato punicam pultem condiri docet caſeo, ouo vno: Apitius pultes Iulianas conficit, & pultes tractogalas, nunc Iuuena. intelligit de rudi illa pulte, non de hac condita.

PLACENTAS.] Luxurioſæ gulæ eſſe Cato docet, qui pluribus verbis & magna cura confecturam placentæ, quam appellat placentem Semodialem, ſcribit.

AVT MINOR ILLO.]Id eſt tanquam Æneas.

ALTER AQVIS.]Nam vt ſcribit Dionyſius cum regnaſſet Æneas tres annos poſt obitum Latini, quarto & ipſe anno bello extinctus eſt, nam Rutuli in eum omnes cum Mezentio rege Hetruſcorum impetum fecerunt, prælioque commiſſo non procul à Lauino, multis cæſis, eius corpus nuſquam apparuit. Aliique dixerunt eum ſtatim relatum fuiſſe in deos: alij Numico ſubmerſum, vbi templum ei ædificatum eſt hac inſcriptione, *Patri indigeti qui fluuij Numici vndas gubernat*: alij id templum Anchiſæ ab Ænea conditum putant. Tibullus,

— cum te venerande Numici,
Vnda Deum cælo miſerit indigentem,

ORNATA NVLLIS MACELLIS.] Id eſt nullis obſoniis quæ in macellis venduntur condita.

PINGVISSIMVS HÆDVLVS.]Mar. in cœna frugali,

Paruus in his vna ponetur cœnula menſa.
Hædus inhumani raptus ab ore lupi.

MONTANI ASPARAGI.] Ad differentiam aſparagorum altilium, qui ſunt luxurioſæ gulæ. Plin. *Silueſtres fecerat natura corrudas, vt quiſque demeteret paſſim. ecce altiles ſpectantur aſparagi, & Rauenna ternis libris rependit.* Silueſtrem aſparagum corrudam appellat Plin. Cato aſparagos ſeri & coli docet, eo loco qui nouiſſimus eſt eius libri, vt ſcribit Plin. vt ex hoc intelligamus Catonis opus, quod in manibus eſt, perfectum eſſe: nam præcepta de aſparagis eo loco leguntur, quo Plin. ſcribit.

Grandia

Grandia præterea tortoque calentia fœno
Oua adſunt ipſis cum matribus, & ſeruata
Parte anni, quales fuerant in vitibus vuæ:
Signinum Syriumque pirum, de corbibus iiſdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis:
Nec metuenda tibi ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum & crudi poſuere pericula ſucci.
Hæc olim noſtri iam luxurioſa ſenatus
Cœna fuit Curius paruo quæ legerat horto
Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula: quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor,
Qui meminit calidæ ſapiat quid vulua popinæ.
Sicci terga ſuis rara pendentia crate
Moris erat quondam feſtis ſeruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente noua, ſiquam dabat hoſtia, carne
Cognatorum aliquis, titulo tibi Conſulis, atque
Caſtrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus: ad has epulas ſolito maturius ibat
Erectum domitio referens à monte ligonem.
Cum tremerent ante Fabios, durumque Catonem:
Et Scauros, & Fabritios, rigidique ſeueros
Cenſoris mores etiam collega timeret.
Nemo inter curas & ſeria duxit habendum,
Qualis in Oceano fluctu teſtudo nataret
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum,
Sed nudo latere & paruis frons ærea lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli,
Ad quod laſciui ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi: qualis domus, atque ſupellex.
Tunc rudis & Graias mirari neſcius artes,
Vrbibus euerſis prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,

TORTO FOENO.] In quo ſcilicet, geſtantur idem Mar.

SIGNINIVM PIRVM.] A patria dictum eſt, vt ſcribit Plin. quod alij teſtaceum appellarunt à colore.

SYRIVM.] Idem Mar. *& nomen pira quæ ferunt Syrorum.* eadem lactea dixerunt nonnulli, colore autem ſunt nigro.

MALA ÆMVLA PICENIS.] Ideſt hæc poma ſunt rugoſa vt oliuæ pi-

cenæ, quæ coditæ menſis apponuntur, non ita ſunt ſalubriora picenæ oliuæ maxime comedantur cibis & ſunt rugoſæ. Mar.

Nec rugoſarum vimen breue picenarum.

Plin. *in Italia* inquit picenæ & ſidicinæ præferuntur. MALA ÆMVLA. ideſt certantia rugis. PICENIS. ideſt cum oliuis picenis.

SICCATVM FRIGORE.] Ex ratione naturali oſtēdit ea eſſe ſalubria.

VVLVA.] Ex carnibus porcinis fiebat: de qua in commentariis Marti. diximus: optimi ſaporis iudicabatur. Horatius:

Nil melior turdo, vulua nil dulcius ampla.

QVVM TREMERENT FABIOS.] Luxum nunc carpit lecti diſcubitorij: nam Caius Aruilius Pollio prodigij & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenij, primus temporibus Neronis docuit ſecare putamina teſtudinum, vt ſcribit Plin. in laminas, & lectos diſcubitorios ita operiri. ex teſtudibus autem nonnullæ cherſinæ dicuntur, de quibus in commentariis Marti. diximus. Idem M. Aruilius, lectos operiri docuit argento, mox auro: nemo inquit Iuue. curabat operire lectos diſcubitorios laminis teſtudinum, cum cenſores timebant, vt. oſtendat luxuriam irrepſiſſe corruptis & deprauatis iam moribus publica negligentia.

CLARVM PVLCRVM.] Id eſt nobilem lectum diſcubitorium.

VILE CAPVT ASELLI.] Hoc dicitur vt oſtendat priſcos illos ſeueros ruri ſæpe cœnaſſe: vbi in limitibus agrorum ſpectabatur caput aſelli veteri ſuperſtitione. nam Hetruſca diſciplina ita incommoda agrorum arceri putabantur. Columella.

Nunc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

Et apte ait patres pro putaminibus teſtudinū, potuiſſe oſtendere caput aſelli quod erat in limite ruris: id enim candore teſtudinum putaminibus ſimile eſt. Quid rumpitur Fiden. à noſtra diſcedens ſententia, ait patres ex oſſibus aſinorum operuiſſe lectos, quod quam ridiculum ſit, cum omnes intelligant, prætereo.

Vt phaleris gauderet equus, cælataque caſſis
Romuleæ ſimulacra feræ manſueſcere iuſſæ
Imperij fato geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis & haſta
Pendentiſque dei perituro oſtenderet hoſti:
Argenti quod erat ſolidis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tuſco farraca catino
Omnia tunc: quibus inuideas ſi liuidulus ſis.
Templorum quoque maieſtas præſentior, & vox
Nocte fere media, mediamque audita per vrbem
Littore ab Oceani Gallis venientibus, & diis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis & nullo violatus Iuppiter auro.
Illa domi natas, noſtraſque ex arbore menſas
Tempora viderunt: hos lignum ſtabat in vſus,
Annoſam ſi forte nucem deiecerat Eurus.
At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rombus, nil dama ſapit: putere videntur
Vnguenta atque roſæ: latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur: & magno ſublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus,
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu.

FARRACA.] Cibaria ex farre dicta ſunt, quorũ mentionem facit, vt oſtẽdat quod Verrius ſcribit tercentũ annis Romanos farre victitaſſe.

CATINO TVSCO.] Ideſt vaſe fictili: nã aretinæ ollæ ex Hetruria fictiles erant. Martia.

Lautus erat tuſcis Porſena fictilibus.

ET VOX AVDITA VENIENTIBVS GALLIS.] In Italiam, ita ſcribit Liui. in quinto: *eodem anno, M. Ceditius de plebe nuntiauit tribunis ſe in noua via, vbi nunc ſacellum eſt ſupra ædem Veſtæ, noctis ſilentio audiſſe vocem clariorem humana, quæ magiſtratibus dici iuberet Gallos aduentare.*

FICTILIS IVPPITER.] Iouem primum in vrbe fictilem fuiſſe teſtatur Plin. Confecta ſtatua à Thurio, qui & Hercu. fictilem formauit. Hæ enim vt ille ſcribit effigies Deum erant laudatiſſimæ, nec pœnitet nos illorũ, qui tales coluere: aurũ enim & argentũ, ne diis quidẽ conficiebant.

GRANDE EBVR.] Nunc inuehitur in luxum menſarũ citrearũ, quas Mauri Romanis dederũt ex citro arbore, quæ plurima apud eos naſcitur, tãto precio vt duarũ altera quindecim libris, altera paulominus diuendita ſit à Iuba: earũ tamẽ latitudo non excedebat quatuor pedes & ſemipedẽ à venis intercurrentibus & maculis: aliæ tricinæ dicebãtur, aliæ pãtherinæ rotũdæ erãt, & elephãtinis dentibus ſuſtinebantur, tanquã à diis nato iure vt ſcribit Plinius, vt eodem ebore & numinum ora ſpectentur, & menſarum pedes: plura de hoc in Martia. diximus: Strabo in vltimo arboris quidẽ meminit & mẽſarũ ſed nõ nominauit.

SYENES.] Syenem eſſe in Ægypto ſcribunt Plin. Stra. Ptolemæus: & omnes: ſed illud quæritur quare dicat PORTA. ego porta Syenes dici exiſtimo, quoniam illic tres erant cohortes Romanorũ ad præſidium aduerſus Æthiopes: qui finitimi ſunt, quod ſcribit Strabo. fuiſſe autẽ elephãtos illic indicio eſt Elephantis inſula, & vrbs quæ ſupra Syenẽ eſt. xvi. milibus paſſuũ, ita appellata ab elephantorũ multitudine: Herodotus & Strabo Elephantinam appellant, Plinius Elephantidem.

Et mavri celeres.] Loca omnia deſcribit in quibus fuere elephantes, nunc de Mauris & Indis qui ſunt Arabicis minores, vt ſcribit Plinius.

Iam nimios capitique graues, hinc ſurgit orexis,
Hinc ſtomacho bilis: nam pes argenteus illis.
Annulus in digito quod ferreus, ergo ſuperbum
Conuiuiam caueo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas, adeo nulla vncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellæ, nec calculus ex hac
Materia: quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea: non tamen his vnquam obſonia fiunt
Rancidula, haud ideo peior gallina ſecatur.
Sed nec ſtructor erit cui cędere debeat omnis
Pergula: diſcipulus Thipheri doctoris apud quem:
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pigardus,
Et ſcyticæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et getulus orix, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat vlmea cœna Suburra.
Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus afræ
Nouit auis noſter tyrunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ fruſtis imbutus ofellæ.
Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porriget incultus puer, atque à frigore tutus.

Iam nimios.] Oſtendit luxuriari Romanos, exquiſitis maximis quibuſque dentibus ad pedes menſarum, nam elephanti aut ſenecta & caſu deciduos dentes deponunt, qui prægrandes ſunt: aut obſeſſi à venatoribus eos arbori impactos frangunt, hi autem ſunt minores.

Nec tessellæ.] Nam tali & teſſeræ eburneæ erant, vt diximus apud Mar.

Manvbria cvltellorvm.] Hæc eburnea ſolita fieri, illa Plinij indignatio oſtendit, *quid attinet* inquit *hæc colligere? cum capuli militum ebore etiam faſtidito celentur argento.*

Sed nec strvctor.] Structor proprie dicitur qui perite obſonia incidit: ad gulam pertinere putabant, vt obſonia rite ſecarentur, quod Plin. oſtendit, cum de gallinis ſcribit: *adeo vt iam doctores ſtructorum ludum aperirent*, vt Tripherus egit temporibus Iuue. qui ludum habebat iuxta Suburram, hic tradens præcepta diſcentibus: feras & aues & obſonia ex ligno formata habebat, & ferro cuius acies hebes eſſet, docebat quo geſtu hæc vel illa fera incideretur, hoc eſt quod cœnam quæ inciditur apud doctores ſtructorum. Vlmæam

appellat, quoniam ſcilicet vlmo & ligno formata erant obſonia: ridiculum enim eſt ſentire magiſtrum emiſſe quotidie has feras. Præterea ait HEBETI FERRO: nam ſi veræ erant & incidebantur, non opportuit ferrum hebes eſſe. Rumpatur Fident. qui hæc non percipit. PIGARGVS, de genere capreatũ eſt, vt ſcribit Plin. in VIII. eiuſdẽ generis rupi. capreę, ibices, ſtrepſicerotes. ET VOLVCRES SCYTICÆ, Phaſiani ex Ponto allati, quos ſaginari docet Columella. Fident. olim expoſuerat grues, ſed à nobis edoctus mutauit ſententiam. PHOENICOPTERVS.] cuius linguam optimi eſſe ſaporis Apicius docuit, de hoc plura in Mart. diximus CVI OMNIS PERGVLA.] Pergula pro loco hic accipitur vbi Tripherus magiſter ſtructorum habebat diſcipulos, vt legimus in Auguſto apud Sueto. qui ſcribit eum veniſſe in pergulã Theogenis mathematici, & Sueto. de Craſſitio grammatico, *deinde in pergula docuit Tinga* Placentinus hanc dictionem perperam enunciabat *pertulam* pro *pergulam*, quod ſcribit Cice. repetit Fabius, Plinius eodem verbo de Apelle ſcribens *Vſus eſt comite Agrippa, cui omnis pergula debeat cedere*, id eſt, peritior omnibus alijs diſcipulis. ORIX inter capreas numeratur à Plin. cõtrarioque pilo veſtitur & ad os verſo. AVIS APHRÆ.] Id eſt, Gallinæ numidicæ. Horat. *Non aphra auis non attagen ionicus.* Porphyrio illic rectè interpretatur aphram auem Gallinam numidicam, quæ magnitudine alias ſuperat, guttis & maculis diſtincta: de hac multa diximus in Mart. ex Plin. & Columellæ teſtimonio. LAVTISSIMA COENA.] Quæ eſt ſimulachrũ, & imaginem habet lautiſſimæ cœnæ: nam hæc animalia ex ligno erant vt diximus. COENA VLMEA.] Id eſt animalibus formatis ex vlmo & ligno. SONAT, dum illi verſant animalia lignea.

OFFELLÆ.] Offella fiebat ex carnibus ſuillis, pulmentum pauperiorum vt docet Varro. Nec egebat arte ſtructoria.

CALICES PLEBEIOS.] Calices plebei idem dicuntur audaces, quoniam falſa ſpecie imitabantur cryſtallina: vitrei erant ad circumque maximum vendebantur. Mart.

Non ſumus audaces plebeia toreumata vitri,
Noſtra neque ardenti gemma feritur aqua.

Non Phryx aut Lycius, non à mangone petitus
Quiſquam erit, & magno cùm poſcis, poſce Latine.
Idem habitus cunctus, tonſi rectique capilli,
Atque hodie tantum propter conuiuia pexi.
Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci
Suſpirat longo non viſam tempore matrem,
Et caſulam, & notos triſtis deſiderat hedos,
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris:
Quales eſſe decet quos ardens purpura veſtit.
Nec pugillares defert in balnea raucus
Teſticulos, nec vellendas præbuit alas,

Craſſa nec oppoſito pauidus tegit inguine gutto.
Hic vbi vina dabit diffuſa in montibus illis
A quibus ipſe venit, quorum ſub vertice luſit.
Namque vna eſt atque eadem vini patria atque miniſtri.
Forſitan expectes vt Gaditana canoro
Incipiant prurire choro, plauſuque probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Diuitis vrticæ, maior tamen ipſa voluptas
Alterius ſexus, magis ille extenditur, & mox
Auribus atque oculis concepta vrina paratur.
Non capit has nugas humilis domus, audiat ille
Teſtarum crepitus cum verbis nudum olido ſtans
Fornice mancipium quibus abſtinet: ille fruatur
Vocibus obſcænis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pitiſmate lubricat orbem:

NON PHRYX AVT LYCIVS AVT PETITVS A MANGONE.] Id eſt, non dabo tibi miniſtrum elegantem quales emuntur à mangonibus, aut Phrygij, aut Lycij nam ex oriente formoſiſſimi miniſtri coemebantur, aut Delphyci, aut Mitylenei, aut Phrygij, aut Lycij, atque id genus: ego inquit non habeo miniſtrum elegantē quem emerim, ſed ruſticum & natum in agro. Fident. ex Brothei præceptoris cõſilio intelligit. *Lycius, id eſt, iuuenis nomine Lycius, quem ſcribit Tran. Auguſtum in ludis exhibuiſſe nulla alia de cauſa, niſi quod erat vocis immenſæ intra bipedalem ſtaturam.* O homines inſanos & Lucio magis ridendos! Auguſtus illum exhibuit tanquam monſtrum: Iuuen. autem nunc de formoſis miniſtris intelligit, quos vt inquit non habet, quo pacto igitur conuenit monſtrum cum eleganti puero, de quo nunc loquitur.

PVGILLARES.] Id eſt, non habet inguina grandiora, quæ propter libidinis vſum excreuerint, teſticulis in magnitudinem pugni prægrandibus.

RAVCVS.] Propter coitum, quid ſi legas. *Draucus*: nam drauci & in balneis potiſſimum ſpectabantur, & erant mentulati. Mart. *oculis deuorantibus draucos.* & alibi ſæpe, non placet.

NEC PRÆBVIT ALAS VELENDAS.] Scilicet piloſas, id eſt, non ei ante ætatem orti ſunt pili ſub alis, qui ſolent fruticari his qui ante legitimam ætatem per libidinem viri fiunt. Mart.

Inde tragus, celereſque pili, mirandaque matri
Barba nec in clara balnea luce placent.

GVTTO.] Vaſe oleario, quo in balneis vtebantur. Gel. *guttum ſamium ore tenens imprudens inanem, tanquam ineſſet oleum affert.*

GADITANA.] De qua diſtichon extat. Mart.

Tam tremulum criſſat, tam blandum prurit, vt ipſum

Maſturbatorem fecerit hyppollytum.

HAS NVGAS.]Tam leues voluptates.

ORBEM LACEDÆMONIVM]Alij neſcio quid finxerũt hoc loco de ludo & ſaltatione:ego verò ſẽtio hoc dictũ eſſe inuidioſe in annulatos,ſenatores ſcililicet & equites,qui annulis vtebantur: nã πυτίζω Græce Latine eſt ſputo leui & crebro irrorare. & πύτισμα è leui ſputo irroratio dicitur, qui autẽ geſtãt annulos,vt oſtendant crebro induunt & educunt,quod vt facilius agãt ſputo & pytiſmate reddunt lubricos digitos. Mar. *Per cuius digitos currit leuis annulus.* PYTISMATE, id eſt leui irroratione ſputi ORBEM LACEDÆMONIVM,id eſt annulum:nam à Lacedæmoniis annulorum vſus manauit, quod indicat Plinius his verbis. *hoc in Tarquiniis maxime miror, quorum è Gracia fuit origo, vnde hic annulorum vſus manauit , quanquam etiam nunc Lacedæmone ferreo vtuntur.* Lubricat , apto verbo vſus eſt cum pytiſmate.nam lubricare eſt lubricum facere humectatione,ſenſus eſt , Senatores & equites qui annulos oſtentant habeant iſtos ludos , ego hanc ſententiam excogitaui. Fidenrinus in noſtris quidem ſcriptis legit , nec auſus eſt pro ſua recitare:ſed cum antiquas fabulas ſuas iactaſſet , denique ait *quidam de annulis intelligit*,ego ille ſum,& hunc ſenſum Iuuenalis eſſe affirmo.

Namque ibi fortunæ veniam damus.alea turpis
Turpe & adulterium mediocribus:hæc eadem illi
Omnia cum faciant,hilares nitidique vocantur.
Noſtra dabunt alios hodie conuiuia ludos:
Conditor Iliados cantabitur,atque Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina laudem:
Quid refert tales verſus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis auerte negocia curis,
Et gratam requiem dona tibi,quando licebit
Per totam ceſſare diem, non fœnoris vlla
Mentio,nec prima ſi luce egreſſa reuerti
Nocte ſoles tacito bilem tibi contrahat vxor
Humida ſuſpectis referens multitia rugis,
Vexataſque comas,& vultum auremque calentem:
Protinus ante meum quicquid dolet exue limen:
Pone domum & ſeruos, & quicquid frangitur illis
Aut perit;ingratos ante omnia pone ſodales.
Interea Megaleſiacæ ſpectacula palmæ
Idæum ſolenne colunt,ſimiliſque triumpho
Prædo caballorum prætor ſedet,ac mihi pace
Immenſæ nimiæque licet ſi dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit.& fragor aurem

Percutit euentum, viridis quo colligo panni
Nam ſi deficeret, mœſtam, attonitamque videres
Hanc vrbem, veluti Cannarum in puluere victis

FORTVNÆ.] Id eſt, diuitibus qui poſſunt frui hac voluptate.

OMNIA CVM FACIANT.] Cum dent operam adulteriis & aleæ etiam ipſi.

QVID REFERT.] Quaſi dicat, nihil refert an phonaci voce, an rudi legantur.

CONTRAHAT VXOR.] Notat adulteria ſuorum temporum.

AVREMQVE CALENTEM.] Nam rubentes aures in muliere ſunt indices admiſſi paulo ante adulterij: quod Antonius notauit in Octauia, fœminam ſcilicet cõſularem è Triclino viri coram in cubiculũ abductam, rurſus in conuiuium rubentibus auriculis incõptiore capillo reductam: quod ſcribit in ſuſpicionem adulterij. Interea, iterum inuehitur in circenſes ludos, in quibus occupata erat tota ciuitas.

MEGALESIACÆ MAPPÆ.] Mappam intelligit, quæ veteri inſtituto à prætore ludorum circenſium aurigæ victori demitti ſolebat. Tranquill. de Nerone, *vniuerſorum ſe oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam*. Matt.

Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam ſubripit Hermogenes.

SIMILIS TRIVMPHO.] Id eſt, habitu ſimilis triumphanti. nam triumphalia geſtabat ornamenta in circenſibus, vt ante eſt dictum.

PRÆDO.] Id eſt, iniuſtus & iniquus occupator.

CABALLORVM.] Id eſt, ornamentorum & inſignium triumphalium, quaſi dicat, qui aſſumit ſibi caballos & triumphalia inſignia, cum ei non debeantur, ſed triumphanti.

COLLIGO.] Id eſt coniecto, & dignoſco.

EVENTVM PANNI VIRIDIS.] Id eſt, quiſnam inter aurigas ſit adepturus pannum viridem, præmium ſcilicet in ludis circenſibus, vt ante eſt dictum. Fidentinus mappam cortinam viridem intelligit, & pannum viride aulæa quæ extendebantur, denique omnia confundit antiquitatis ignoratione, præter pauca quæ à nobis accipit.

Conſulibus: ſpectent iuuenes quos clamor & audax
Sponſio, quos cultæ decet aſſediſſe puellæ.
Noſtra bibat vernum contracta cuticula ſolem,
Effugiatque togam. iam nunc in balnea ſalua
Fronte licet vadas, quamquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam: facere hoc non poſſis quinque diebus
Continuis, quia ſunt talis quoque tædia vitæ
Magna. voluptates commendat rarior vſus.

AVDAX

AVDAX SPONSIO.]Sponſio apud hunc & Mart.dicitur ea contentio & altercatio quæ fiebat depoſitis pignoribus,cum alij alium victorem fore affirmarent.Mart.

Sed cum ſponſio fabulæque laſſæ
De Scorpo fuerint & Incitato.

TOGAM.]Id eſt,labores togatorum & comitum.

IAM NVNC IN BALNEA.]Id eſt,quamuis non ſit ſexta hora, poteſtamen ſalua fronte,id eſt ſine pudore accedere ad balnea, vt poſtea cœnemus:hoc autem ait,quoniam ſexta tantum hora lauabantur, ante luxurioſi aut diſſoluti habebatur.Mart.*In modico ſexta Nerone calet.*

SALVA FRONTE.]Sine pudore.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,
SATYRA DVODECIMA.

Natali Coruine die mihi dulcior hæc lux,
Qua feſtus promiſſa deis animalia ceſpes
Expectat: niueam reginæ cedimus agnam.
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Mauræ.
Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem
Tarpeio ſeruata Ioui,frontemque coruſcat:
Quippe ferox vitulus,templis maturus & aræ,
Spargenduſque mero,quem iam pudet vbera matris
Ducere,qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi,ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpulla traheretur taurus,& ipſa
Mole piger,nec finitima nutritus in herba,
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret,& à grandi ceruix ferienda miniſtro:
Ob reditum trepidantis adhuc,horrendaque paſſi
Nuper,& incolumem ſeſe mirantis amici.
Nam præter pelagi caſus, & fulguris ictum
Euaſi, denſæ cælum abſcondere tenebræ

NATALI.] pro Catullo,qui facto naufragio enatauerat,vota ſe perſoluturum diis pollicetur:mox in ſatyram exit, reprehendens captatores, qui vota ſolent nuncupare,non pro amico , qui haberet liberos , vt Catullus,ſed pro orbo aliquo,cuius hæreditatem captant propriis nomini-

bus inſectatur Næuium & Iſtrum,quorum vterque teſtamentorum captationibus erat locupletatus.

GORGONE MAVRA.]Obtinuit deprauatus vſus,vt Heſperides & Gorgones eædem cenſerentur,cum tamen Gorgones aliæ ſint, duæ ſcilicet quæ inſulas Gorgonas habitarunt,bidui nauigatione diſtantes à continenti contra Atlãtem montem ad fines Mauritaniæ,vt Xenophon ſcribit,in his fuit Meduſa, quam vt alij Perſeus vt Euemenis ſcribit autore Hygino auxilio Mineruæ interfecit: Heſperides vero hortos habuiſſe dicũturad LixonLibyæ malis aureis,vbi Plinius nihil reſtare ſcribit præter oleaſtros. MAVRA, id eſt Meduſa, quæ olim tenuit fines Mauritaniæ. Virgilius.

Ægidaque horriferam turbata Palladis arma.

FVNEM.]Nam victima funibus ducebatur,humeris geſtata non litabatur,vt ſcribit Plinius.

MATVRVS.]Exigebatur ad hoc vt demiſiſſet caudam ad nodos vſque ſuffraginum.

HISPVLLA.]Hiſpulam mulierem pinguem ſuorum temporum notat, vt Martialis Spatalem Mamoſam, huius ante meminit *Hiſpula tragœdo gaudet.*

CLITVMNI.]Hunc in Phaliſcis eſſe ſcribit Plinius,cuius aqua pota boues reddit candidos. inde eligebantur victimæ mactandæ Ioui Capitolino,Silius ad Meuaniam fluuium eſſe ſcribit in Vmbria,

Et ſedet ingentem paſcens Meuania taurum
Dona Ioui.

Virgilius.

Hinc albos Clitumne greges, & maximà taurus
Victima.

Nube vna,ſubituſque antennas impulit ignis,
Cum ſe quiſque illo percuſſum crederet,& mox
Attonitus nullum conferri poſſe putaret
Naufragium velis ardentibus.omnia fiunt
Talia tam grauiter ſi quando Poëtica ſurgit
Tempeſtas.genus ecce aliud diſcriminis;audi,
Et miſerere iterum,quamquam ſint cætera ſortis
Eiuſdem,pars dira quidem,ſed cognita multis,
Et quam votiua teſtantur phana tabella
Plurima.pictores quis neſcit ab Iſide paſci?
Accidit & noſtro ſimilis fortuna Catullo,
Cum plenus fluctu medius foret alueus, & iam
Alternum puppis latus euertentibus vndis
Arboris incertæ,nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem ;decidere iactu

Cœpit cum ventis imitatus caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit cupiens euadere damno
Teſticuli, adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea ſunt dicebat cuncta Catullus
Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem
Purpuream teneris quoque Mecœnatibus aptam,
Atque alias quarum generoſi graminis ipſum
Infecit natura pecus, ſed & egregius fons
Viribus occultis, & beticus adiuuat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, vrnæ, cratera capacem

Poetica.] Id eſt, quanta deſcribit Homerus in Vlixe, & Virgilius in Ænea.

Pars dira qvidem, sed cognita mvltis.] Id eſt, in quam calamitatem multi nauigantes inciderunt, vt ſcilicet abiicerent bona.

Tabella.] Qui ſeruati erant ex valitudine genus morbi tabella pingebant; quam dicabāt in templo Æſculapij, qui euaſerant naufragium, tabella picta caſum exponebant in templo Neptuni, ſed aucta ſuperſtitione Ægyptia in quam antea eſt inuectus, tabellæ naufragiorum inſidiis phano pendebant.

Decidere.] Decidere dicuntur debitores cum aliquibus rebus datis cum creditore paciſcuntur & ſatisfaciunt, quo verbo vſus eſt Mar. idem videbatur agere Catullus rebus eiectis.

Imitatvs Castora.] Caſtor idem fiber ponticus dicitur, animal eſt cauda piſcis, cætera ſpecie lutræ, tanti morſus vt dentibus arbores non ſecus ac fero incidat: à venatoribus petitur ob inguen: ex quo fit medicamentum caſtoreum, id amputat periculo vrgente, vt ita ſe à venatoribus redimat, quod ſcribit Plin.

Teneris mecoenatibvs.] Nam Mecœnas mollitie veſtitum notatus eſt, & ob id appellatus Malacinius ab Hora. vt in prima ſatyra diximus.

Et beticvs aer.] Fidentinus & alij boetios quoſdam fontes eſſe dixerunt, totum locum peruertentes, ego hoc dici intelligo de veſte ex lana betica, hoc eſt hiſpana: nam in pecudibus beticis vellus eſt rutilum, ex quo nullo alio adhibito colore texebantur veſtes, inde lacerna betica apud Mart. ita loquitur.

Non eſt lana mihi mendax, nec mutor aeno,
Sic placeant tyria me mea tinxit ouis.

Iuuen. rationem naturalem addit quare talis illic fiat lana, ex potu ſcilicet illarum aquarum, & temperie cœli.

LANCES.]Grandiora vaſa erant eſcalia quæ centenis libris argenti aliquando factæ ſunt. Druſillanus Rotundus lancem habuit quinquagenariam cum ſeruus eſſet Claudij Imperatoris.factæ præſertim ſunt temporibus etiam Domitiani magno impendio quod ſupra notauit,*cum lance beata cicus inſcripto,&c.*

PARTHENIO.]Vel ab artifice ſculptore, quem tamen Plinius non nominat inter alios,vel certe cubicularium Domitiani intelligit, cui tantæ erant lances.

Et dignum ſitiente Pholo, vel coniuge Fuſci,
Adde & baſcaudas & mille eſcaria, multum
Cælati biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius,qua mundi parte,quis audet
Argento præferre caput,rebuſque ſalutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia viuunt.
Iactatur rerum vtilium pars maxima: ſed nec
Damna leuant tunc aduerſus vrgentibus,illuc
Decidit vt malum ferro ſummitteret,at ſe
Explicat anguſtum,diſcriminis vltima quando
Præſidia afferrimus nauem factura minorem.
I nunc & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno,digitis à morte remotus
Quatuor,aut ſeptem ſi ſit latiſſima tædá,
Mox cum reticulis,& pane,& ventre lagenæ,
Aſpice ſumendas in tempeſtate ſecures.
Sed poſtquam iacuit planum mare, tempora poſtquam
Proſpera vectoris fatumque valentius Euro
Et pelago,poſtquam Parcæ meliora benigna,
Penſa manu ducunt hilares,& ſtaminis albi
Lanificæ,modica non multo fortior aura
Ventus adeſt,inopi miſerabilis arte cucurrit
Veſtibus extenſis,& quod ſuperauerat vnum
Velo prora ſuo:iam deficientibus auſtris,
Spes vitæ cum ſole redit,tum gratus Iulo:

SITIENTE PHOLO.]Id eſt,quantam pateram debebat habere Pholus, vt eius ſitum impleret.Is Centaurus Herculem hoſpitio ſuſcepit, vt aDio- & Theocri ſcribunt,& ei vinum propinauit,quod acceperat à Baccho ea admonitione ne ante Herculis aduentum depromeret:tunc eo odore

reliqui Centauri ebrij facti aduerſus Hercu. impetum fecerunt.

Conivge fvsci.] Coniugem fuſci ſuorum temporũ notat ebriã.

Bascavdas.] Baſcaude vas nomine Britannico eſt. Mart. *Barbara depictis venit baſcauda Britannis.* Fiden. ait lapides eſſe precioſos, mox ſententiã noſtram inſerit tam inepte vt neutram percepiſſe videatur.

Callidvs emptor olynthi.] Deſignat poculum aureum: nam Philippus rex nunquã dormiuit niſi poculo aureo puluino ſubdito, vt ſcribit Plinius.

Emptor olynthi.] Emiſſe Olynthũ dicitur à Iuuenale: nã Olynthum ciuitatem Thraciæ allexit in ſocietatem, vt eſt apud Demoſthenem, aduerſus Athenienſes datis duobus oppidis Atemonte ſcilicet & Potidea. Fidentinus hanc ſententiam noſtram recitat, ſed dicit non conuenire, quoniam ſcilicet non percipit & inſanit.

Mvltvm celati.] Scilicet auri, quod deſignat de Philippo: per hoc quod diximus.

Vt malvm ferro svmmitteret.] Ideſt vt etiam incideret arborem nauis.

Qvando præsidia vltima afferimvs.] Vltimum præſidium & auxilium. Navem minorem.] nam incidimus arborem, vt inde facimus nauem leuiorem.

Reticvlis.] Panes reticulo geſtabantur apud antiquos. Horatius

Vt ſi reticulum panis venales inter honnuſto
Forte vehas humero,

Senſus eſt, cum nauigas parũ diſtas à morte & paulopoſt cum incideris in tempeſtatem: omniaque eieceris adeo vt tantum reſtent tibi panes & lagena, cogeris incidere arborem nauis: & facere nauem minorem vt euadas, vt egit Catullus qui malum ferro ſubmiſit.

Svmmendas. secvres.] Vt ſcilicet incidas arborem.

Sed postqvam iacvit planvm mare.] Exitum tempeſtatis, in qua extremo periculo laborauerat Catullus ſcribit: Sedata inquit tempeſtate Catullus veſtem extendit, pro velo, & alterum minus velum quod ſuperfuerat in prora extendit: atque ita flante aura ad portum delatus eſt.

Vectoris.] Catulli. Postqvam parce meliora.] Ideſt poſteaquam fœlicitas eſt reſtituta Catullo, vt in fatis erat.

Inopi arti.] Ideſt inopi præſidio, ſcilicet veſtibus extenſis.

Velo svo.] Quod in ea ſeruatur ad differentiam veli maioris: quod ſolet eſſe in medio nauis & amiſſum erat.

Atque nouercali ſedes prælata Lauino
Conſpicitur ſublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis frugibus, mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mammillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſus,
Quæ pelago ocurrunt medio, longeque relinquunt

Italiam.non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit,ſed tronca puppe magiſter
Interiora petit baianæ peruia cymbæ.
Tunc ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ:
Ite igitur pueri linguis animiſque fauentes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos,glebamque virentem:
Iam ſequar,& ſacro quod præſtat rite peracto
Inde domum repetam,graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cæra.
Hic noſtrum placabo iouem,laribuſque paternis
Thura dabo ,atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent,longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur feſta lucernis.
Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Coruine, Catullus
Pro cuius reditu tot pono altaria, paruos
Tres habet hæredes ,libet expectare quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam ſterili? verum hec nimia eſt impenſa, coturnix
Nulla vnquam pro parte cadet,ſentire calorem

LAVINO NOVERCALI.] Poſt trigeſimũ annũ:ex quo AEnas tenuerat Lauinũ,Aſcanius mortuo patre reliquitLauinũ matri vel nouercæ, nã id quoque ambigit Liuius,Albãque condidit ab alba porca:huius meminit Dionyſius & Varro de re ruſtica qui tradit ſcrofam peperiſſe triginta porcos in portentum,& ſimulachra eorũ fuiſſe poſita in publicum:de hoc plura alibi diximus.

TANDEM INTRAT POSITAS MOLES.]Portũ Hoſtienſem deſcribit: vbi Claudius pharũ erexit in æmulationem Phari Alexandrinæ.xi.annorum opere,vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent: cuius meminerunt Tranquill. & Pli.

PHARVM TYRRENAM.] Fuit item Pharus ad Capreas: cuius meminit etiam Papinius.

Teleboumque domos trepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuaga tollit pharus æmula lunæ.

LONGE ITALIAM.] Quoniam præcedunt in longitudinem,& procul videntur diſtare ab Italia.

CYMBÆ BAIANÆ]Hoc dicit vt oſtẽdat nauẽ Catulli tẽpeſtate ita fuiſſe fractã,vt iã cymba videretur: quæ ingreſſa eſt interiorẽ aditum portus.BAIANA:quali in lacu Lucrino vtuntur.

FARRA.] Id eſt molam quæ fit, ex farre.

CORONAS GRACILES.] Lares,& publice in cõpitis colebantur tradito ritu à Seruio Tullio,quoniã ex lare conceptus ipſe putabatur: nã cum Ocreſta mater ſederet ad focũ Tanaquilis,genitale apparuit in cineribus: vnde ea ſurrexit grauida:& cũ poſtea flãma in capite ſerui cõſpecta eſſet, confirmata eſt opinio eũ Laris eſſe filiũ:& priuatim inde erant in honore, coroniſque ornabantur. Plin. *iam tunc coronæ deorum honos erant,& larium publicorum priuatorumque.*

NEC SVSPECTA TIBI.] Non ſuſpiceris de me propter hoc quod velit captare Catullũ:non enim eſt orbus:ſed hebet tres filios.

IMPENDAT GALLINAM.] Sacrificat gallinam, gallinæ autẽ ad rem ſacram idoneæ non erant,niſi eſſent luteo roſtro & pedibus, vt ait Plin.

STERILI.] Nam ſteriles dicebantur amici captatoris qui habebant filios, quia nihil erant ei daturi ſed filiis.

Si cœpit locuples Gallita & Pactius orbi:
Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus: exiſtunt qui promittunt hecatombem:
Quatenus hic non ſunt nec venales elephantes:
Nec Latio haud vſquam ſub noſtro ſydere talis
Belua concipitur,ſed furua gente petita
Arboribus rutulis: & Turni paſcitur agro
Cæſaris armentum: nulli ſeruire paratum
Priuato:ſiquidem tyrio parere ſolebant
Hannibali:& noſtris ducibus,regique Moloſſo
Horum maiores: & dorſo ferre cohortes
Partem aliquam belli: & euntem in prælia turbam.
Nulla igitur mora Nouium, mora nulla per Hiſtrum
Pacuuium,quin illud ebur ducatur ad aras:
Et cadat ante lares Gallitæ victima ſacra
Tantis digna deis, & captatoribus horum.
Alter enim ſi concedas,mactare vouebit
De grege ſeruorum, magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris,& frontibus ancillarum
Imponet vittas,& ſi qua eſt nubilis illi
Inphigenia domi dabit hanc altaribus: & ſi
Non ſperat tragicæ furtiuæ piacula ceruæ.
Laudo meum ciuem, nec comparo teſtamento
Mille rates:nam ſi libitinam euaſerit æger

GALLITA.] Gallita orba diues fuit circa tempora poetæ. Cornelius *per idem tempus expoſtulata ad ſupplicium Gallita Criſpinula, poſtea totius ciuitatis gratiã obtinuit conſulari matrimonio ſũmiſſa: & apud Galbã,Othonẽ,Vitel-*

liū illeſa: mox potens pecunia & orbitate,qua bonis maliſq́ tēporibus iuxta valet.

PACTIVS.] Hic item orbus erat diues: de quo Martialis.

Artis ebur medicæ Nartetia cernit,habebit
Munera quæ cuperet Pactius eſſe ſua.

FIXIS.] Nam qui nuncupabat vota pro alicuius rei euentu:ea libellis ſcripta templorum porticibus affigebat, quod in Octauio ſcribit Tranquillus: ait enim eum noluiſſe nuncpare vota in proximum luſtrum, quamuis paratis iam & ſcriptis tabellis.

VESTITVR.] Tegitur.

PORTICVS.] Scilicet templorum.

FVRVA GENTE.] Segnitiem ſuorum temporum notat, nam elephanti, qui olim in bellorum vſum ducebantur, nunc à Domitian. & aliis Imperatoribus in voluptatem & theatrum exhibentur, quod Plinius ſcribit: tradit enim in ludis Germanici elephantos edidiſſe quoſdā motus inconditos in ſpeciem ſaltationis, & hæc ſæpe in ſpectaculis leguntur. FVRVA GENTE. à mauris Indiæ & Ethiopibus: nā ab his veniebant elephanti.

REGI MOLOSSO.] Id eſt Pyrrho, in cuius aduentu Italia primū vidit elephantos, vt Varro & Plinius ſcribunt. ccclxxii. anno vrbis cōditæ.

IN PRÆLIA TVRBAM.] Quod vt veriſimile videatur. Plin. ſcribit. xx. elephātos turritos cū ſexagenis propugnatoribus certaſſe in theatro.

NOVIVM ET ISTRVM PACVVIVM.] Duo captatores erant quos notat.

ILLVD EBVR.] Ideſt elephas.

DEIS ET CAPTATORIBVS HORVM.] Qui ſcilicet rogātur pro ſalutæ Gallitæ, ideſt elephas victima digna eſt, quæ mactetur ab his qui volunt eſſe captatores Gallitæ, quæ eſt ditiſſima.

ALTER.] Scilicet Pacuuius, de quo in ſuperioribus ſatyris diximus.

IPHIGENIA.] Ideſt filia mactanda, quemadmodū Iphigenia mactata fuit: pro qua ſuppoſuit Diana ceruam, & puella tranſlata in Thauricam, ſacerdos Dianæ puella habita in ſummo honore eſt: vt Hero. ſcribit: ea Iphianaſſa à Lucretio dicitur, & ab Home. apud quem Agamemnon ſibi tres filias eſſet dicit: Chryſothemin Laodicem Iphianaſſam Lucretius

Aulide quo pacto Triuiai ad virginis aram
Iphianaſſeo turparunt ſanguine fœdè
Ductores Danaum.

ET SI NON SPERAT.] Quamuis non ſperet captator deam ſuppoſituram ceruam pro filia.

NEC COMPARO MILLE RATES TESTAMENTO.] Quaſi dicat cenſeo pluris faciendum teſtamentum quod capiat amicus meus: quam ſolus mille ratium pro qua mactata eſt Iphigenia.

Delebit tabulas incluſus carcere naſſa.
Poſt meritum ſane mirandum: atque omnia ſoli

Forſan

Forſan Pacuuio breuiter dabit: ille ſuperbus
Incedet victis riualibus. ergo vide quam
Grande operepretium facit iugulata Micenis.
Viuat Pacuuius quæſo vel Neſtora totum,
Poßideat quantum rapuit Nero, montibus aurum
Exequet, nec amet quemquam, nec ametur ab vllo.

INCLVSVS CARCERE NASSAE.] Naſſa inſtrumentum eſt piſcatorium, quo piſces egreſſu prohibentur. Silius,

Haud ſecus ad vitreas ſolers piſcator ad vndas,
Ore leuem patulo texens de vimine naßam,
Cautius interiora ligat.

Vota inquit hæc nuncupat captator, vt cum orbus conualuerit eo merito captus, & tanquam piſcis in naſſa concluſus nequeat euadere, quin ſcribat eum hæredem aliis repudiatis, & Mar. piſcem orbo comparauit, & piſcatorem captatori.

— & piſcatorem piſcis amare poteſt?

QVANTVM RAPVIT NERO.] Habebat infinitas opes: nam Nero publicas & priuatas opes rapuit: vt ſcribit Tranquil. Fidenti. naſſam exponit pro medico: O ridiculum caput! nec quamuis veram opinionem in noſtris ſcriptis legerit, homo nullius ingenij infinitæ ſtultitiæ, ſuum voluit emendare errorem: quod tamen multis in locis facere conatus eſt: ſed ita mea ſuis addit, vt nemo non intelligat quæ recte dicit, ſi qua ſunt, aliena eſſe, & male ab ipſo recitari. Iam valeat Fidentinus cum præceptore.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XIII.

EXemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet autori. prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.
Quid ſentire putas omnes, Caluine, recenti
De ſcelere & fidei violatæ crimine? ſed nec
Tam tenuis cenſus tibi contigit, vt mediocris

Iactura te mergat onus, nec rara videmus
Quæ pateris, caſus multis hic cognitus, ac iam
Tritus, & è medio fortunæ ductus aceruo.
Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere maior.
Tu quamuis leuium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes ſpumantibus ardens
Viſceribus, ſacrum tibi quod non reddat amicus
Depoſitum? ſtupet hæc qui iam poſt terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio conſule natus?
At nihil in melius tot rerum proficis vſu.
Magna quidem ſacris quæ dat præcepta libellis

EXEMPLO.] Caluinum, qui abnegata ſibi pecunia vehementer angebatur ita conſolando lenit, vt tempora ſua notet, quibus frequenter id accidebat. Prima conſolatio eſt eum qui abnegauerit non eſſe liberatum cruciatu: quamuis iudices non damnauerint, cum conſcientia ipſa hominem ſceleratum torqueat.

VRNAM PRÆTORIS.] Nam ſortes in vrnam coniectæ in damnatos ducebantur. Vir.

Quæſitor Minos vrnam mouet.

Licet inquit per gratiam euaſerit VRNAM. ſ. iudicum & damnationem prætoris fallacis, tamen non eſt abſolutus cruciatu.

TE MERGAT.]Hoc eſt obruat, & cogat in deſperationem.

QVÆ PATERIS.]Altera conſolatio à communi fortuna.

SEXAGINTA ANNOS.]Redarguit leuitatem Caluini, qui cum ſit natus ſexageſimum annum, non didicerit vſu rerum ferre tam exiguam calamitatem. Caluini præterea meminit Mar. mali Poëtæ.

FONTEIO.]Fonteius Capito conſul, de quo Taci. *auaritiam Fontei Capitonis adimendis aßignandiſque ſuæ militiæ ordinibus integrè mutauerat, nec conſularis legati menſura, &c.* Plinius, *nuper Vipſano & Fonteio Conſ.* Tranquillus, *natus eſt. C. Cæſar patre ſuo & Fonteio Capitone conſulibus.*

Victrix fortunæ ſapientia, dicimus autem
Hos quoque fœlices qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magiſtra.
Quæ tam feſta dies vt ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem quot

Thebarum portæ, vel diuitis hoſtia Nili.
Nona ætas agitur, peioraque ſæcula ferri
Temporibus: quorum ſceleri non inuenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.
Nos hominum diuumque fidem clamore ciemus
Quantò Feſsidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic ſenior bulla digniſsime; neſcis
Quas habeat veneres aliena pecunia? neſcis
Quem tua ſimplicitas riſum vulgo moueat, cum
Exigis à quoquam ne peieret, & putet vllis
Eſſe aliquod numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ viuebant more, priuſquam
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc cum virguncula Iuno,
Et priuatus adhuc Idæis Iupiter antris,
Nulla ſuper nubes conuiuia cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis vxor
Ad cyatos: & iam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum

VICTRIX FORTVNÆ SAPIENTIA.] Eos inquit laudamus, qui in aduerſis ſua prudentia victores fortunæ caſum & temeritatem contemnunt.

QVAE TAM FESTA.]Hoc dicit quoniam de ſcelere diebus feſtis agere non licebat.

PRODERE FVREM.]Vt in ea non audiatur aliquid de fure.

VIX SVNT TOTIDEM QVOT THEBARVM PORTAE.] Alludit ad ſeptem ſapientes quos antiquitas venerata eſt, portæ Thebarum in Boetia ſeptem fuerunt, Homerus:

Et Thebana ſimul noſtris cecidere ſub armis,
Mœnia, queis ſeptem fuerant portæ.

Et Ouidius:

Et ſeptem portas cum duce quamque ſuo.

Idem Heſiodus, Thebæ præterea in Ægypto centum portis nobiles, quas inter miracula refert Pli. Thebæ in Cilicia patria Andromaches, meminit Thebæ in Lucano, vt Cato ſcribit.

NONA AETAS.] Non numerum ſecutus eſt noſtrorum de ætatibus, qui quatuor tantum eſſe dixerunt: ſed Græcorum qui ad octauam perueniũt, Heroicam & Deorum & alias ætates interponentes, ad genera metallorum referre non placet, quæ ſeptem ſunt; non enim diximus

ætatem electri, aut ſtanni, aut plumbi.

NOS HOMINVM DIVVMQVE FIDEM.] Hoc eſt deſperati hominis, quaſi dicat tu clamas quotidie deſperato animo Proh Deum & hominum fidem.

SPORTVLA VOCALIS.]Temporum ſuorum morem notat:nam Poëtæ & patroni multis dabant cœnam & ſportulam, vt ab his in actionibus laudarentur.Martia.

Quod tam grande ſophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi,cœna diſerta tua eſt.

SPORTVLA VOCALIS.]Id eſt homines qui accipiunt ſportulam à Feſſidio vt vocem accommodent.FESSIDIVM.]Malum cauſidicum,& ambitioſum ſuorum temporum notat.Feſſidij alterius meminit Horat.de quo hic intelligere ineptiſſimi hominis eſt.

BVLLA DIGNISSIME.] Id eſt digne habitu puerili,cum habeas animum puerilem.

EXIGIS.] Id eſt nemo eſt qui te non derideat,cum petis ne aliquis peieret, & ne deos offendat: deos enim nullos eſſe omnes iam credunt.

RVBENTI.] Sanguine hoſtiarum.

PVER ILIACVS.].i.Ganymedes raptus ad locum quem Harpagum appellarunt ab ἁρπάζω quod eſt rapio inter Cizicenos & Priapenos fines: alij tamen, vt ſcribit Strabo, ad Dardanum raptum fuiſſe tradunt.

Talis vt eſt hodie, contentaque ſidera paucis
Numinibus, miſerum vrgebant Atlanta minori
Pondere; nondum aliquis ſortitus triſte profundi
Imperium: aut ſicula toruus cum coniuge Pluton,
Nec rota, nec furiæ, nec ſaxum, aut vulturis atri
Pœna, ſed infernis hilares ſine regibus vmbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis æuo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque puer: licet ipſe videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos:
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque pars adeo ſacræ lanugo ſenectæ:
Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota erugine follem,
Prodigioſa fides, & tuſcis digna tabellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.
Egregium ſanctumque virum ſi cerno bimembri

Hoc monſtrum puero, & miranti iam ſub aratro
Piſcibus inuentis, & fœta comparo mulæ
Solicitus, tanquam lapides effuderit imber.
Examemque apium longa conſederit vua
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris ſeſtertia fraude
Sacrilega, quid ſi bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo, maiorem tertius illo
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum eſt ſuperos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat. aſpice, quanta

PAVCIS NVMINIBVS.] Id homines putabant deos eſſe in cælo, cum pauci eſſe dicebantur: ſed poſtea quam turbam deorum in cælo eſſe traditum eſt, nullos putarunt.

SICVLA CVM CONIVGE PLVTO.] cum Proſerpina quam rapuit in Sicilia, id eſt, nondum homines putabant eſſe factum deum maris Neptunum, & Plutonem apud inferos, nec rotam Ixionis.

NEC SAXVM.] Quod ſcilicet impendet Tantalo, vt ait Lucretius vel Siſipho, quod magis placet.

PRIMA PARS.] Primus locus dignitatis. Ouidius,

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,

Et Gellius item ſcribit à Lacedæmoniis acceptum.

PRODIGIOSA FIDES.] Id eſt prodigij loco.

TVSCIS LIBELLIS.] Id eſt aruſpicina, ex qua prodigia procurabantur. TVSCIS. Quoniam ex Hetruria primum aruſpices venerunt.

SVB ARATRO.] Id eſt puto tanti prodigij eſſe, quanti ſi piſces reperirentur ſub aratro.

MVLÆ FOETÆ.] *Mulã*, inquit Plinius, *peperiſſe in noſtris eſt annalibus, ſed in portentum, quamuis Theophraſtus ſcribat eam parere in Arcadia*: peperit, vt ſcribit Herodotus, ſub expugnatione Babylonis.

LONGA CONSEDERIT VVA.] Apes oſtentum & prodigium faciunt, vt ſcribit Plinius, vua dependentes vel domibus vel templis: conſederunt tamen in caſtris Druſi contrario euentu: nam proſpere pugnauit ad Athelonem. LONGA VVA, dicuntur facere vuam apes cum connexis pedibus pendent in ſpeciem racemi. Vir. de apibus.

Immenſaſque trahi nubes, iamque arbore ſumma
Confluere, & denſis vuam dimittere ramis.

Columella, *Deinde quum examen glomeratum in proximo frondentis arbuſculæ ramo conſederit, animaduertito an totum examen in ſpeciem vnius vuæ depen-*

Percutit euentum, viridis quo colligo panni
Nam ſi deficeret, mœſtam, attonitamque videres
Hanc vrbem, veluti Cannarum in puluere victis

Fortvnæ.] Id eſt, diuitibus qui poſſunt frui hac voluptate.

Omnia cvm faciant.] Cum dent operam adulteriis & aleæ etiam ipſi.

Qvid refert.] Quaſi dicat, nihil refert an phonaci voce, an rudi legantur.

Contrahat vxor.] Notat adulteria ſuorum temporum.

Avremqve calentem.] Nam rubentes aures in muliere ſunt indices admiſſi paulo ante adulterij: quod Antonius notauit in Octauia, fœminam ſcilicet cõſularem è Triclino viri coram in cubiculũ abductam, rurſus in conuiuium rubentibus auriculis incõptiore capillo reductam: quod ſcribit in ſuſpicionem adulterij. Interea, iterum inuehitur in circenſes ludos, in quibus occupata erat tota ciuitas.

Megalesiacæ mappæ.] Mappam intelligit, quæ veteri inſtituto à prætore ludorum circenſium aurigæ victori demitti ſolebat. Tranquill. de Nerone, *vniuerſorum ſe oculis in circo maxime præbuit, aliquo liberto mittente mappam*. Mart.

Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam ſubripit Hermogenes.

Similis trivmpho.] Id eſt, habitu ſimilis triumphanti. nam triumphalia geſtabat ornamenta in circenſibus, vt ante eſt dictum.

Prædo.] Id eſt, iniuſtus & iniquus occupator.

Caballorvm.] Id eſt, ornamentorum & inſignium triumphalium, quaſi dicat, qui aſſumit ſibi caballos & triumphalia inſignia, cum ei non debeantur, ſed triumphanti.

Collige.] Id eſt coniecto, & dignoſco.

Eventvm panni viridis.] Id eſt, quiſnam inter aurigas ſit adepturus pannum viridem, præmium ſcilicet in ludis circenſibus, vt ante eſt dictum. Fidentinus mappam cortinam viridem intelligit, & pannum viride aulæa quæ extendebantur, denique omnia confundit antiquitatis ignoratione, præter pauca quæ à nobis accipit.

Conſulibus: ſpectent iuuenes quos clamor & audax
Sponſio, quos cultæ decet aſſediſſe puellæ.
Noſtra bibat vernum contracta cuticula ſolem,
Effugiatque togam. iam nunc in balnea ſalua
Fronte licet vadas, quamquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam: facere hoc non poſſis quinque diebus
Continuis, quia ſunt talis quoque tædia vitæ
Magna. voluptates commendat rarior vſus.

AVDAX SPONSIO.]Sponſio apud hunc & Mart.dicitur ea contentio & altercatio quæ fiebat depoſitis pignoribus,cum alij alium victorem fore affirmarent. Mart.

Sed cum ſponſio fabulæque laſſa
De Scorpo fuerint & Incitato.

TOGAM.]Id eſt,labores togatorum & comitum.

IAM NVNC IN BALNEA.]Id eſt,quamuis non ſit ſexta hora, poteſtamen ſalua fronte,id eſt ſine pudore accedere ad balnea, vt poſtea cœnemus:hoc autem ait,quoniam ſexta tantum hora lauabantur, ante luxurioſi aut diſſoluti habebatur. Mart. *In modico ſexta Nerone calet.*

SALVA FRONTE.]Sine pudore.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,
SATYRA DVODECIMA.

Natali Coruine die mihi dultior hæc lux,
Qua feſtus promiſſa deis animalia ceſpes
Expectat: niueam reginæ cedimus agnam.
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Mauræ.
Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem
Tarpeio ſeruata Ioui,frontemque coruſcat:
Quippe ferox vitulus,templis maturus & aræ,
Spargenduſque mero,quem iam pudet vbera matris
Ducere,qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpulla traheretur taurus,& ipſa
Mole piger,nec finitima nutritus in herba,
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret,& à grandi ceruix ferienda miniſtro:
Ob reditum trepidantis adhuc,horrendaque paſſi
Nuper,& incolumem ſeſe mirantis amici.
Nam præter pelagi caſus, & fulguris ictum
Euaſi, denſæ cælum abſcondere tenebræ

NATALI.] pro Catullo,qui facto naufragio enatauerat,vota ſe perſoluturum diis pollicetur:mox in ſatyram exit, reprehendens captatores, qui vota ſolent nuncupare,non pro amico , qui haberet liberos, vt Catullus,ſed pro orbo aliquo,cuius hæreditatem captant propriis nomini-

bus inſectatur Næuium & Iſtrum,quorum vterque teſtamentorum captionibus erat locupletatus.

Gorgone mavra.]Obtinuit deprauatus vſus,vt Heſperides & Gorgones eædem cenſerentur,cum tamen Gorgones aliæ ſint, duæ ſcilicet quæ inſulas Gorgonas habitarunt,bidui nauigatione diſtantes à continenti contra Atlãtem montem ad fines Mauritaniæ,vt Xenophon ſcribit,in his fuit Meduſa, quam vt alij Perſeus vt Euemenis ſcribit autore Hygino auxilio Mineruæ interfecit: Heſperides vero hortos habuiſſe dicũturad LixonLibyæ malis aureis,vbi Plinius nihil reſtare ſcribit præter oleaſtros. Mavra, id eſt Meduſa, quæ olim tenuit fines Mauritaniæ. Virgilius.

Ægidaque horriferam turbata Palladis arma.

Funem.]Nam victima funibus ducebatur,humeris geſtata non litabatur,vt ſcribit Plinius.

Maturus.]Exigebatur ad hoc vt demiſiſſet caudam ad nodos vſque ſuffraginum.

Hispulla.]Hiſpulam mulierem pinguem ſuorum temporum notat, vt Martialis Spatalem Mamoſam, huius ante meminit *Hiſpula tragœdo gaudet.*

Clitumni.]Hunc in Phaliſcis eſſe ſcribit Plinius,cuius aqua pota boues reddit candidos. inde eligebantur victimæ mactandæ Ioui Capitolino,Silius ad Meuaniam fluuium eſſe ſcribit in Vmbria,

Et ſedet ingentem paſcens Meuania taurum
Dona Ioui.

Virgilius.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima.

Nube vna,ſubituſque antennas impulit ignis,
Cum ſe quiſque illo percuſſum crederet,& mox
Attonitus nullum conferri poſſe putaret
Naufragium velis ardentibus.omnia fiunt
Talia tam grauiter ſi quando Poëtica ſurgit
Tempeſtas.genus ecce aliud diſcriminis;audi,
Et miſerere iterum,quamquam ſint cætera ſortis
Eiuſdem,pars dira quidem,ſed cognita multis,
Et quam votiua teſtantur phana tabella
Plurima.pictores quis neſcit ab Iſide paſci?
Accidit & noſtro ſimilis fortuna Catullo,
Cum plenus fluctu medius foret alueus, & iam
Alternum puppis latus euertentibus vndis
Arboris incerta,nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem;decidere iactu

Cœpit cum ventis imitatus caſtora,qui ſe
Eunuchum ipſe facit cupiens euadere damno
Teſticuli,adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea ſunt dicebat cuncta Catullus
Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem
Purpuream teneris quoque Mecœnatibus aptam,
Atque alias quarum generoſi graminis ipſum
Infecit natura pecus,ſed & egregius fons
Viribus occultis, & beticus adiuuat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere,lances
Parthenio factas,vrnæ,cratera capacem

Poetica.]Id eſt,quanta deſcribit Homerus in Vlixe,& Virgilius in Ænea.

Pars dira qvidem, sed cognita mvltis.]Id eſt, in quam calamitatem multi nauigantes inciderunt, vt ſcilicet abiicerent bona.

Tabella.] Qui ſeruati erant ex valitudine genus morbi tabella pingebant;quam dicabāt in templo Æſculapij,qui euaſerant naufragium, tabella picta caſum exponebant in templo Neptuni, ſed aucta ſuperſtitione Ægyptia in quam antea eſt inuectus ,tabellæ naufragiorum inſidiis phano pendebant.

Decidere.] Decidere dicuntur debitores cum aliquibus rebus datis cum creditore paciſcuntur & ſatisfaciunt,quo verbo vſus eſt Mar.idem videbatur agere Catullus rebus eiectis.

Imitatvs Castora.] Caſtor idem fiber ponticus dicitur,animal eſt cauda piſcis,cætera ſpecie luttræ,tanti morſus vt dentibus arbores non ſecus ac fero incidat:à venatoribus petitur ob inguen: ex quo fit medicamentum caſtoreum,id amputat periculo vrgente,vt ita ſe à venatoribus redimat,quod ſcribit Plin.

Teneris mecoenatibvs.] Nam Mecœnas mollitie veſtitum notatus eſt, & ob id appellatus Malacinius ab Hora. vt in prima ſatyra diximus.

Et beticvs aer.]Fidentinus & alij boetios quoſdam fontes eſſe dixerunt,totum locum peruertentes, ego hoc dici intelligo de veſte ex lana betica, hoc eſt hiſpana: nam in pecudibus beticis vellus eſt rutilum , ex quo nullo alio adhibito colore texebantur veſtes,inde lacerna betica apud Mart.ita loquitur.

Non eſt lana mihi mendax,nec mutor aeno,
Sic placeant tyria me mea tinxit ouis.

Iuuen.rationem naturalem addit quare talis illic fiat lana, ex potu ſcilicet illarum aquarum, & temperie cœli.

LANCES.]Grandiora vaſa erant eſcalia quæ centenis libris argenti aliquando factæ ſunt. Druſillanus Rotundus lancem habuit quinquagenariam cum ſeruus eſſet Claudij Imperatoris. factæ præſertim ſunt temporibus etiam Domitiani magno impendio quod ſupra notauit, *cum lance beata ciecus inſcripto, &c.*

PARTHENIO.]Vel ab artifice ſculptore, quem tamen Plinius non nominat inter alios, vel certe cubicularium Domitiani intelligit, cui tantæ erant lances.

Et dignum ſitiente Pholo, vel coniuge Fuſci,
Adde & baſcaudas & mille eſcaria, multum
Cælati biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebuſque ſalutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia viuunt.
Iactatur rerum vtilium pars maxima: ſed nec
Damna leuant tunc aduerſus vrgentibus, illuc
Decidit vt malum ferro ſummitteret, at ſe
Explicat anguſtum, diſcriminis vltima quando
Præſidia afferrimus nauem factura minorem.
I nunc & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem ſi ſit latiſſima tæda,
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ,
Aſpice ſumendas intempeſtate ſecures.
Sed poſtquam iacuit planum mare, tempora poſtquam
Proſpera vectoris fatumque valentius Euro
Et pelago, poſtquam Parcæ meliora benigna,
Penſa manu ducunt hilares, & ſtaminis albi
Lanificæ, modica non multo fortior aura
Ventus adeſt, inopi miſerabilis arte cucurrit
Veſtibus extenſis, & quod ſuperauerat vnum
Velo prora ſuo: iam deficientibus auſtris,
Spes vitæ cum ſole redit, tum gratus Iulo:

SITIENTE PHOLO.]Id eſt, quantam pateram debebat habere Pholus, vt eius ſitim impleret. Is Centaurus Herculem hoſpitio ſuſcepit, vt a Dio- & Theocri ſcribunt, & ei vinum propinauit, quod acceperat à Baccho ea admonitione ne ante Herculis aduentum depromeret: tunc eo odore

reliqui Centauri ebrij facti aduerſus Hercu. impetum fecerunt.

Conivge fvsci.] Coniugem fuſci ſuorum temporũ notat ebriã.

Bascavdas.] Baſcaude vas nomine Britannico eſt. Mart. *Barbara de pictis venit baſcauda Britannis.* Fiden. ait lapides eſſe precioſos, mox ſententiã noſtram inſerit tam inepte vt neutram percepiſſe videatur.

Callidvs emptor olynthi.] Deſignat poculum aureum: nam Philippus rex nunquã dormiuit niſi poculo aureo puluino ſubdito, vt ſcribit Plinius.

Emptor olynthi.] Emiſſe Olynthũ dicitur à Iuuenale: nã Olynthum ciuitatem Thraciæ allexit in ſocietatem, vt eſt apud Demoſthenem, aduerſus Athenienſes datis duobus oppidis Atemonte ſcilicet & Potidea. Fidentinus hanc ſententiam noſtram recitat, ſed dicit non conuenire, quoniam ſcilicet non percipit & inſanit.

Mvltvm celati.] Scilicet auri, quod deſignat de Philippo: per hoc quod diximus..

Vt malvm ferro svmmitteret.] Ideſt vt etiam incideret arborem nauis.

Qvando præsidia vltima afferimvs.] Vltimum præſidium & auxilium. Navem minorem.] nam incidimus arborem, vt inde facimus nauem leuiorem.

Reticvlis.] Panes reticulo geſtabantur apud antiquos. Horatius

Vt ſi reticulum panis venales inter honnuſto
Forte vehas humero,

Senſus eſt, cum nauigas parũ diſtas à morte & paulopoſt cum incideris in tempeſtatem: omniaque eieceris adeo vt tantum reſtent tibi panes & lagena, cogeris incidere arborem nauis: & facere nauem minorem vt euadas, vt egit Catullus qui malum ferro ſubmiſit.

Svmmendas. secvres.] Vt ſcilicet incidas arborem.

Sed postqvam iacvit planvm mare.] Exitum tempeſtatis, in qua extremo periculo laborauerat Catullus ſcribit: Sedata inquit tempeſtate Catullus veſtem extendit, pro velo, & alterum minus velum quod ſuperfuerat in prora extendit: atque ita flante aura ad portum delatus eſt.

Vectoris.] Catulli. Postqvam parce meliora.] Ideſt poſteaquam fœlicitas eſt reſtituta Catullo, vt in fatis erat.

Inopi arti.] Ideſt inopi præſidio, ſcilicet veſtibus extenſis.

Velo svo.] Quod in ea ſeruatur ad differentiam veli maioris: quod ſolet eſſe in medio nauis & amiſſum erat..

Atque nouercali ſedes prælata Lauino
Conſpicitur ſublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis frugibus, mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mammillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſus,
Quæ pelago ocurrunt medio, longeque relinquunt

Italiam.non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit,ſed tronca puppe magiſter
Interiora petit baianæ peruia cymbæ.
Tunc ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ:
Ite igitur pueri linguis animiſque fauentes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos,glebamque virentem:
Iam ſequar,& ſacro quod præſtat rite peracto
Inde domum repetam,graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cæra.
Hic noſtrum placabo iouem,laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur feſta lucernis.
Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Coruine, Catullus
Pro cuius reditu tot pono altaria, paruos
Tres habet hæredes, libet expectare quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam ſterili? verum hec nimia eſt impenſa, coturnix
Nulla vnquam pro parte cadet,ſentire calorem

Lavino novercali.] Poſt trigeſimū annū:ex quo AEnas tenuerat Lauinū,Aſcanius mortuo patre reliquit Lauinū matri vel nouercæ, nā id quoque ambigit Liuius, Albāque condidit ab alba porca:huius meminit Dionyſius & Varro de re ruſtica qui tradit ſcrofam peperiſſe triginta porcos in portentum,& ſimulachra eorū fuiſſe poſita in publicum:de hoc plura alibi diximus.

Tandem intrat positas moles.] Portū Hoſtienſem deſcribit: vbi Claudius pharū erexit in æmulationem Phari Alexandrinæ.xi.annorum opere,vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent: cuius meminerunt Tranquill. & Pli.

Pharvm tyrrenam.] Fuit item Pharus ad Capreas: cuius meminit etiam Papinius.

Teleboumque domos trepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuaga tollit pharus æmula lunæ.

Longe italiam.] Quoniam præcedunt in longitudinem,& procul videntur diſtare ab Italia.

Cymbæ baianæ] Hoc dicit vt oſtēdat nauē Catulli tēpeſtate ita fuiſſe fractā,vt iā cymba videretur: quæ ingreſſa eſt interiorē aditum portus. Baiana:quali in lacu Lucrino vtuntur.

FARRA.] Id eſt molam quæ fit, ex farre.

CORONAS GRACILES.] Lares,& publice in cōpitis colebantur tradito ritu à Seruio Tullio,quoniā ex lare conceptus ipſe putabatur: nā cum Ocreſta mater ſederet ad focū Tanaquilis,genitale apparuit in cineribus: vnde ea ſurrexit grauida:& cū poſtea flāma in capite ſerui cōſpecta eſſet, confirmata eſt opinio eū Laris eſſe filiū:& priuatim inde erant in honore, coroniſque ornabantur. Plin. *iam tunc coronæ deorum honos erant,& larium publicorum priuatorumque.*

NEC SVSPECTA TIBI.] Non ſuſpiceris de me propter hoc quod velit captare Catullū:non enim eſt orbus:ſed hebet tres filios.

IMPENDAT GALLINAM.] Sacrificat gallinam, gallinæ autē ad rem ſacram idoneæ non erant,niſi eſſent luteo roſtro & pedibus, vt ait Plin.

STERILI.] Nam ſteriles dicebantur amici captatoris qui habebant filios, quia nihil erant ei daturi ſed filiis.

Si cœpit locuples Gallita & Pactius orbi:
Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus: exiſtunt qui promittunt hecatombem:
Quatinus hic non ſunt nec venales elephantes:
Nec Latio haud vſquam ſub noſtro ſydere talis
Belua concipitur,ſed furua gente petita
Arboribus rutulis: & Turni paſcitur agro
Cæſaris armentum: nulli ſeruire paratum
Priuato:ſiquidem tyrio parere ſolebant
Hannibali:& noſtris ducibus,regique Moloſſo
Horum maiores: & dorſo ferre cohortes
Partem aliquam belli: & euntem in prælia turbam.
Nulla igitur mora Nouium, mora nulla per Hiſtrum
Pacuuium,quin illud ebur ducatur ad aras:
Et cadat ante lares Gallitæ victima ſacra
Tantis digna deis, & captatoribus horum.
Alter enim ſi concedas,mactare vouebit
De grege ſeruorum,magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris,& frontibus ancillarum
Imponet vittas,& ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia domi dabit hanc altaribus: & ſi
Non ſperat tragicæ furtiuæ piacula ceruæ.
Laudo meum ciuem, nec comparo teſtamento
Mille rates:nam ſi libitinam euaſerit æger

GALLITA.] Gallita orba diues fuit circa tempora poetæ. Cornelius *per idem tempus expoſtulata ad ſupplicium Gallita Criſpinula, poſtea totius ciuitatis gratiā obtinuit conſulari matrimonio ſūmiſſa: & apud Galbā,Othonē,Vitel-*

liū illeſa: mox potens pecunia & orbitate, qua bonis maliſq; tēporibus iuxta valet.

Pactivs.] Hic item orbus erat diues: de quo Martialis.

Artis ebur medicæ Nartetia cernis, habebis
Munera quæ cuperet Pactius eſſe ſua.

Fixis.] Nam qui nuncupabat vota pro alicuius rei euentu: ea libellis ſcripta templorum porticibus affigebat, quod in Octauio ſcribit Tranquillus: ait enim eum noluiſſe nuncpare vota in proximum luſtrum, quamuis paratis iam & ſcriptis tabellis.

Vestitvr.] Tegitur.

Porticvs.] Scilicet templorum.

Fvrva gente.] Segnitiem ſuorum temporum notat, nam elephanti, qui olim in bellorum vſum ducebantur, nunc à Domitian. & aliis Imperatoribus in voluptatem & theatrum exhibentur, quod Plinius ſcribit: tradit enim in ludis Germanici elephantos ediđiſſe quoſdā motus inconditos in ſpeciem ſaltationis, & hæc ſæpe in ſpectaculis leguntur. Fvrva gente. à mauris Indiæ & Ethiopibus: nā ab his veniebant elephanti.

Regi molosso.] Id eſt Pyrrho, in cuius aduentu Italia primū vidit elephantos, vt Varro & Plinius ſcribunt. cccclxxii. anno vrbis cōditæ.

In prælia tvrbam.] Quod vt veriſimile videatur. Plin. ſcribit. xx. elephātos turritos cū ſexagenis propugnatoribus certaſſe in theatro.

Novivm et istrvm pacvvivm.] Duo captatores erant quos notat.

Illvd ebvr.] Ideſt elephas.

Deis et captatoribvs horvm.] Qui ſcilicet rogātur pro ſalutæ Gallitæ, ideſt elephas victima digna eſt, quæ mactetur ab his qui volunt eſſe captatores Gallitæ, quæ eſt ditiſſima.

Alter.] Scilicet Pacuuius, de quo in ſuperioribus ſatyris diximus.

Iphigenia.] Ideſt filia mactanda, quemadmodū Iphigenia mactata fuit: pro qua ſuppoſuit Diana ceruam, & puella tranſlata in Thauricam, ſacerdos Dianæ puella habita in ſummo honore eſt: vt Hero. ſcribit: ea Iphianaſſa à Lucretio dicitur, & ab Home. apud quem Agamemnon ſibi tres filias eſſet dicit: Chryſothemin Laodicem Iphianaſſam Lucretius

Aulide quo pacto Triuiai ad virginis aram
Iphianaſſeo turparunt ſanguine fœdè
Ductores Danaum.

Et si non sperat.] Quamuis non ſperet captator deam ſuppoſituram ceruam pro filia.

Nec comparo mille rates testamento.] Quaſi dicat cenſeo pluris faciendum teſtamentum quod captat amicus meus: quam ſolus mille ratium pro qua mactata eſt Iphigenia.

Delebit tabulas incluſus carcere naſſa.
Poſt meritum ſane mirandum: atque omnia ſoli

Forſan

Forſan Pacuuio breuiter dabit: ille ſuperbus
Incedet victis riualibus. ergo vide quam
Grande operepreciũ facit iugulata Micenis.
Viuat Pacuuius quæſo vel Neſtora totum,
Poßideat quantum rapuit Nero, montibus aurum
Exequet, nec amet quemquam, nec ametur ab vllo.

INCLVSVS CARCERE NASSAE.] Naſſa inſtrumentum eſt piſcatorium, quo piſces egreſſu prohibentur. Silius,

Haud ſecus ad vitreas ſolers piſcator ad vndas,
Ore leuem patulo texens de vimine naßam,
Cautius interiora ligat.

Vota inquit hæc nuncupat captator, vt cum orbus conualuerit eo merito captus, & tanquam piſcis in naſſa concluſus nequeat euadere, quin ſcribat eum hæredem aliis repudiatis, & Mar. piſcem orbo comparauit, & piſcatorem captatori.

— & piſcatorem piſcis amare poteſt?

QVANTVM RAPVIT NERO.] Habebat infinitas opes: nam Nero publicas & priuatas opes rapuit: vt ſcribit Tranquil. Fidenti. naſſam exponit pro medico: O ridiculum caput! nec quamuis veram opinionem in noſtris ſcriptis legerit, homo nullius ingenij infinitæ ſtultitiæ, ſuum voluit emendare errorem: quod tamen multis in locis facere conatus eſt: ſed ita mea ſuis addit, vt nemo non intelligat quæ recte dicit, ſi qua ſunt, aliena eſſe, & male ab ipſo recitari. Iam valeat Fidentinus cum præceptore.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XIII.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet autori. prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.
Quid ſentire putas omnes, Caluine, recenti
De ſcelere & fidei violatæ crimine? ſed nec
Tam tenuis cenſus tibi contigit, vt mediocris

Iacturæ te mergat onus, nec rara videmus
Quæ pateris, caſus multis hic cognitus, ac iam
Tritus, & è medio fortunæ ductus aceruo.
Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere maior.
Tu quamuis leuium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes ſpumantibus ardens
Viſceribus, ſacrum tibi quod non reddat amicus
Depoſitum? ſtupet hæc qui iam poſt terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio conſule natus?
At nihil in melius tot rerum proficis vſu.
Magna quidem ſacris quæ dat præcepta libellis

EXEMPLO.] Caluinum, qui abnegata ſibi pecunia vehementer angebatur ita conſolando lenit, vt tempora ſua notet, quibus frequenter id accidebat. Prima conſolatio eſt eum qui abnegauerit non eſſe liberatum cruciatu: quamuis iudices non damnauerint, cum conſcientia ipſa hominem ſceleratum torqueat.

VRNAM PRÆTORIS.] Nam ſortes in vrnam coniectæ in damnatos ducebantur. Vir.

Quæſitor Minos vrnam mouet.

Licet inquit per gratiam euaſerit VRNAM. ſ. iudicum & damnationem prætoris fallacis, tamen non eſt abſolutus cruciatu.

TE MERGAT.]Hoc eſt obruat, & cogat in deſperationem.

QVÆ PATERIS.]Altera conſolatio à communi fortuna.

SEXAGINTA ANNOS.]Redarguit leuitatem Caluini, qui cum ſit natus ſexageſimum annum, non didicerit vſu rerum ferre tam exiguam calamitatem. Caluini præterea meminit Mar. mali Poëtæ.

FONTEIO.]Fonteius Capito conſul, de quo Taci. *auaritiam Fontei Capitonis adimendis aſsignandiſque ſuæ militiæ ordinibus integrè mutauerat, nec conſularis legati menſura, &c.* Plinius, *nuper Vipſano & Fonteio Conſ.* Tranquillus, *natus eſt. C. Cæſar patre ſuo & Fonteio Capitone conſulibus.*

Victrix fortunæ ſapientia, dicimus autem
Hos quoque fœlices qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magiſtra.
Quæ tam feſta dies vt ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem quot

Thebarum portæ, vel diuitis hoſtia Nili.
Nona ætas agitur, peioraque ſæcula ferri
Temporibus: quorum ſceleri non inuenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.
Nos hominum diuumque fidem clamore ciemus
Quantò Feſsidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic ſenior bulla digniſsime; neſcis
Quas habeat veneres aliena pecunia? neſcis
Quem tua ſimplicitas riſum vulgo moueat, cum
Exigis à quoquam ne peieret, & putet vllis
Eſſe aliquod numen templis, araque rubenti?
Quondam hoc indigenæ viuebant more, priuſquam
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc cum virguncula Iuno,
Et priuatus adhuc Idæis Iupiter antris,
Nulla ſuper nubes conuiuia cœlicolarum,
Nec puer Iliacus formoſa nec Herculis vxor
Ad cyatos: & iam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum

VICTRIX FORTVNÆ SAPIENTIA.] Eos inquit laudamus, qui in aduerſis ſua prudentia victores fortunæ caſum & temeritatem contemnunt.

QVAE TAM FESTA.]Hoc dicit quoniam de ſcelere diebus feſtis agere non licebat.

PRODERE FVREM.]Vt in ea non audiatur aliquid de fure.

VIX SVNT TOTIDEM QVOT THEBARVM PORTAE.] Alludit ad ſeptem ſapientes quos antiquitas venerata eſt, portæ Thebarum in Boetia ſeptem fuerunt, Homerus:

Et Thebana ſimul noſtris cecidere ſub armis,
Mœnia, queis ſeptem fuerant portæ.

Et Ouidius:

Et ſeptem portas cum duce quamque ſuo.

Idem Heſiodus, Thebæ præterea in Ægypto centum portis nobiles, quas inter miracula refert Pli. Thebæ in Cilicia patria Andromaches, meminit Thebæ in Lucano, vt Cato ſcribit.

NONA AETAS.] Non numerum ſecutus eſt noſtrorum de ætatibus, qui quatuor tantum eſſe dixerunt: ſed Græcorum qui ad octauam perueniũt, Heroicam & Deorum & alias ætates interponentes, ad genera metallorum referre non placet, quæ ſeptem ſunt: non enim diximus

Hoc monſtrum puero, & miranti iam ſub aratro
Piſcibus inuentis, & fœtæ comparo mulæ
Solicitus, tanquam lapides effuderit imber.
Examemque apium longa conſederit vua,
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem querereis ſeſtertia fraude
Sacrilega, quid ſi bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo, maiorem tertius illo
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum eſt ſuperos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat. aſpice, quanta

PAVCIS NVMINIBVS.] Id homines putabant deos eſſe in cælo, cum pauci eſſe dicebantur: ſed poſtea quam turbam deorum in cælo eſſe traditum eſt, nullos putarunt.

SICVLA CVM CONIVGE PLVTO.] cum Proſerpina quam rapuit in Sicilia, id eſt, nondum homines putabant eſſe factum deum maris Neptunum, & Plutonem apud inferos, nec rotam Ixionis.

NEC SAXVM.] Quod ſcilicet impendet Tantalo, vt ait Lucretius vel Siſipho, quod magis placet.

PRIMA PARS.] Primus locus dignitatis. Ouidius,

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,

Et Gellius item ſcribit à Lacedęmoniis acceptum.

PRODIGIOSA FIDES.] Id eſt prodigij loco.

TVSCIS LIBELLIS.] Id eſt aruſpicina, ex qua prodigia procurabantur. TVSCIS. Quoniam ex Hetruria primum aruſpices venerunt.

SVB ARATRO.] Id eſt puto tanti prodigij eſſe, quanti ſi piſces reperirentur ſub aratro.

MVLÆ FOETÆ.] *Mulã*, inquit Plinius, *peperiſſe in noſtris eſt annalibus, ſed in portentum, quamuis Theophraſtus ſcribat eam parere in Arcadia*: peperit, vt ſcribit Herodotus, ſub expugnatione Babylonis.

LONGA CONSEDERIT VVA.] Apes oſtentum & prodigium faciunt, vt ſcribit Plinius, vua dependentes vel domibus vel templis: conſederunt tamen in caſtris Druſi contrario euentu: nam proſpere pugnauit ad Athelonem. LONGA VVA, dicuntur facere vuam apes cum connexis pedibus pendent in ſpeciem racemi. Vir. de apibus.

Immenſaſque trahi nubes, iamque arbore ſumma
Confluere, & denſis vuam dimittere ramis.

Columella, *Deinde quum examen glomeratum in proximo frondentis arbuſculæ ramo conſederit, animaduertito an totum examen in ſpeciem vnius vuæ depen-*

deat. præceptor vero Fidentini, qui Plinium in tercentum locis deprauauit, vt in altera lucubratione oſtẽdimus, & intra paucos dies edetur, hunc locum apud Plinium inuertit. nam vbi ille de apibus ſcribens ait eas oſtentum facere *vua dependentes*, ipſe deprauando, *vna dependens* ſcripſit, quod inficiari non poteſt: nam eius manum in margine Pliniano multis oſtendimus. Impreſſi præterea codices Plinij eo exemplo, ita vt ille inuertit ſcriptum habent. & tamen non puduit hominem perditiſſimi animi, nullius, frõtis, infinitę audaciæ, vt ſuum errorem diſſimularet, epiſtolam in me ſcribere, qua àccuſat quod. *vnà dependentes* legerim, cum hunc locum Iuuena. interpretarer. tu hoc audes bone pater! tu homo id dignitatis & ætatis tam aperte mentiris? quod à nobis didiciſti in malum vertis? ſed de te ſatis multa altera lucubratione, quæ mihi crede, tuas calumnias, cauillationes, ignorantiam in lucem proferer, tametſi omnes iam nouerunt.

Voce neget, quæ ſit ficti conſtantia vultus?
Per ſolis radios, Tarpeiaque fulmina iurat,
Et Martis frameam, & Cyrræi ſpicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum pater AEgæi Neptune tridentem,
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Mineruæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cæli.
Si vero pater eſt, comedam inquit flebile nati
Sinciput elixi, pharioque madentis aceto.
Sunt qui in fortunæ iam caſibus omnia ponant.
Et nullo credunt mundum rectore moueri
Natura voluente vices, & lucis & anni:
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Eſt alius metuens ne crimen pœna ſequatur,
Hic putat eſſe deos, & peierat, atque ita ſecum,
Decernat quodcumque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro:
Dummodo vel cæcus teneam quos abnego nummos:
Et phtyſis, & vomicæ putres & dimidium crus
Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet, laudas ſi non eget anticyro, nec
Archigene quid enim velocis gloria plantæ
Praſtat, & eſuriens piſææ ramus oliuæ?
Vt ſit magna tamen, certe lenta ira deorum eſt.

Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me veniet? ſed & exorabile numen
Fortaſſe experiar, ſolet his ignoſcere. multi

SINCPVT ELIXI NATI.] alludit ad caput veruecinum, quod edebant elixum aceto madefactum, vt ante eſt dictum.

ACETO PHARIO.] Id eſt aceto optimo niliaco: nam Ægyptium acetum preferebatur cunctis. Mar.

Amphora niliaci non ſit tibi vilis aceti,
Eſſet cum vini vilior illa fuit.

SVNT QVI FORTVNÆ IAM LAPSIBVS.] Ita codex antiquus habet. alij inquit putant deos non eſſe, ſed mundum fortuna & caſu gubernari: & hi deos non timentes peierant. Alij item qui putant deos eſſe peierant, timentes quidem iram deorum, ſed tamen ei pecuniam anteponentes.

QVÆCVNQVE ALTARIA.] Iurant per quæcunque numina, etiam ſi falſo iurant.

ISIS.] Præſenti numine ferire putabatur periuros, quotiens per eam iurantes fidem non ſeruabant. Mar.

Iuro per Syrios tibi timores,

Id eſt per Iſidem.

VOMICÆ.] Vomica apoſtema eſt.

SI NON EGET ANTICYRA.] Id eſt ſi non eſt omnino inſanus, verba ſunt periuri. duplex eſt Anticyra. altera ad ſinum Malliacum & OEtam montem, altera iuxta Chryſſam non procul à Delphis: ad ſuperiorem naſcitur helleborum purgandæ inſaniæ remedium, de qua intelligit. Ouidius,

Quicquid & in magna naſcitur Anticyra:

In altera helleborum præparatur, ita vt ilic tuto ſumi poſſit: vt ſcribit Plinius, propierea Druſus tribunus eo deſcendit cum purgatus eſt. Anticyra olim Cypariſſus dicebatur, vt ſctibit Pauſanias, ſed mutauit nomen ab Anticyro Herculis ſocio.

NEC ARCHIGENE.] Qui ſcilicet eſt medicus curandæ inſaniæ.

OLIVÆ PISÆÆ.] Id eſt oleaſtri, nam ad Piſam in Olympo athletæ victores oleaſtro coronabantur, quam arborem ſeuit Hercules primus, non tam ad coronamenta, vt ſcribit Pindarus, quam ad arcendos radios ſolares.

Committunt, eadem diuerſo crimina fato,
Ille crucem precium ſceleris tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmat. tunc te ſacra ad delubra vocantem

Præcedit, trahere imo, ac vexare paratus.
Nam cum magna malæ ſupereſt audacia cauſa,
Creditur à multis fiducia, mimum agit ille,
Vrbani qualem fugitiuus ſcurra Catulli.
Tu miſer exclamas vt ſtentora vincere poßis,
Vel potius quantum Gradiuus Homericus, audis
Iuppiter hæc; nec labra moues, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel æneus aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus, & ſectum vituli iecur albaque porci
Omenta? vt video nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuamque Batylli.
Accipe quæ contra valeant ſolatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica diſtantia, non Epicurum
Suſpicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubij medicis maioribus ægri:
Tu venam vel diſcipulo comitte Philippi.
Si nullum in terris tam deteſtabile factum

SVPEREST.] Id eſt abundat.

FIDVCIA.] Id eſt, recta conſcientia.

MIMVM AGIT.] Non exponas facit te mimum, vt nonnulli, ſed ille clamat quaſi mimus recitaret phaſma Catulli, in quo clamore opus eſt vt ante diximus.

TV.] Scilicet ex altera parte ô Caluine.

VRBANI.] Cognomen Catulli eſt.

STENTORA.] Stentor in Græcorum exercitu, & viribus & magnitudine vocis nobilis fuit, vt ſcribit Homerus: nam tãtum clamabat ſolus, quãtum alij quinquaginta, propterea Iuno obiurgatura Grçcos magnis vocibus, Stentori aſſimillata eſt.

GRADIVVS HOMERICVS.] Mars apud Homerum à Diomede vulneratus clamauit quantum nouem vel decem milia vitorum ſolent, cum pugnam ineunt, vt Homerus ſcribit.

LABRA.] Nam cum iupiter iraſcitur inflare buccas dicitur & mittere fulmina magna vociferatione, Horatius,

— vt Iuppiter ambas
Inflatus buccas.

IECVR.] Id eſt exta, nam iecur obtinet primum locum in extis.

STATVAM BATILLI.] Viliſſimi hominis de quo ante eſt dictum.

ACCIPE QVAE CONTRA.] Hunc totum locum peruertit Fidentinus, nec emendauit ſuas ineptias ex noſtris ſcriptis cum poſſet. Senſus eſt, Audi quas rationes poſſit tibi afferre ad conſolãdum in amiſſa pecunia, etiam is qui non diſputet ex ſententia aut Cynicorum, aut Stoicorum, aut Epicuri, qui ſcilicet omnes opes contempſerunt.

QVI NEC CYNICOS.] Id eſt qui etiam non vtatur auctoritate Cynicorum in te conſolando, vt ſcilicet doceat opes eſſe contemnendas Cynicorum ſententia, qui eas adeo neglexerunt, vt ne veſtem quidem habere voluerint.

STOICA DOGMATA DISTANTIA A CYNICIS SOLA TVNICA.] Id eſt, qui nõ afferat tibi ſententiam Stoicorum qui dixerunt opes eſſe contemnendas, appellantes diuitem quicunque cælo tegeretur, vt ſcribit Cicero: hi ſolum tunica diſtabant à Cynicis, quoniam eiuſdem erant ſententiæ in opibus contemnendis, neque earum videbantur magis auidi, niſi hac vna re quod ipſi habebant veſtem qua carebant Cynici.

LAETVM PLANTARIBVS HORTI.] Id eſt ex ſententia Epicuri qui vixit contentus exiguo horto. nam Epicurus primus in vrbe habere hortos docuit, vnde hortorum magiſter eſt appellatus, quod ſcribit Plinius. Papinius,

— deſerto ſenior Gargetius horto.

Et alibi,

Quantum Epicure tibi paruis ſuffecit in hortis.

CVRENTVR MEDICIS, &c.] Id eſt non afferam tibi rationem philoſophicam in tam exigua iactura, ſed ſi afficereris grauiore dolore, indigeres & eſſes curandus etiam doctiore conſulatore.

VEL DISCIPVLO PHILIPPI.] Vt ab imperito medico, qualis eſt Philippus, potes curari, id eſt, dolor tuus etiam ab imperito conſolatore poteſt leniri.

Oſtendas taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma,
Quando quidem accepto claudenda eſt ianua damno,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi quam funera, nemo dolorem
Fingit in occaſu veſtem diducere ſummam
Contentus vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amiſſa pecunia veris.

Sed ſi cuncta vides ſimili fora plena querela:
Si decies lectis diuerſa in parte tabellis
Vana ſuperuacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos littera gemmaque princeps
Sardonicus, loculis quæ cuſtoditur eburnis:
Te nunc delitias extra communia cenſes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infœlicibus ouis.
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina. confer
Conductum latronem, incendia ſulphure cœpta
Atque dolo, primos cum ianua colligit ignes:
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas à rege coronas.
Hæc tibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet ſolitus totum conflare tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.
Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus vrbis
Vſque à Lucifero, donec lux occidat audit?
Humani generis mores tibi noſce volenti
Sufficit vna domus, paucos conſumme dies, &
Dicere te miſerum, poſtquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis

TACEO.] Id eſt non prohibebo te dolere.

TABELLIS.] Pugilares intelligit ligneos quos vanos appellant debitores, quamuis in his manu eorum ſcriptum ſit de pecunia his credita. alibi,

Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,
Vana ſuperuacui dicens chirographa ligni.

RADAT INAVRATI.] Nam ſolebant fures laminas vel aureas vel argenteas ex ſtatuis vel lectis diſcubitoriis vnguibus eradere. Martialis.

An magis aſtuti deraſa eſt vngue miniſtri
Bractea, de fulcro quam reor eſſe tuo.

Vt in commentariis Martialis diximus; teſtimonio etiam Tranquilli de ſeruo eo crimine damnato.

CVSTOS GALLICVS.] Alij anſerem expoſuerunt, & Fidentinus eundem errorem ſecutus in ſuis commentariis ita ſcripſit, ſed poſtea addidit hãc ſententiam noſtram quæ vera eſt: ei tamẽ non plane aſſentitur, ſed de anſere affirmat intelligendum eſſe. ô miſerum hominem, qui nec in media luce oculis vtitur, ſed cæcus fertur. CVSTOS GALLICVS, ego Rutilium Gallicum intelligo, pro quo Soteria ſcribit Papinius: hic apud Domitianum ſecundas dignitatis partes obtinebat, ad eumque omnia vrbis iura ab aliis magiſtratibus deferebantur, vnde cuſtos vrbis eſt appellatus. Papinius,

— dubitataque ſidera cernit
Gallicus: es cœlo, Dis es Germanica cordi,
Quis neget? erubuit tanto ſpoliare miniſtro Imperium
Fortuna tuum.

Paulo poſt,

Quippe manet, longumque æuo redeunte manebit
Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.

Audiebat igitur Gallicus plura ſcelera quam dixerit hactenus Iuuenalis. nam cum reddat iura foro, cauſæ nocentum apud eum agebantur.

In Meroe craſſo maiorem infante mamillam?
Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura eſt omnibus vna.
Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus paruus currit bellator in armis,
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curuis
Vnguibus à ſæua fertur grue. ſi videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiere: ſed illic
Quanquam eadem aſſidue ſpectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non eſt altior vno.
Nulla ne periuri capitis, fraudiſque nefandæ
Pœna erit: abreptum crede hunc grauiore catena
Protinus & noſtro, quid plus velit ira? necari
Arbitrio: manet illa tamen iactura, nec vnquam
Depoſitum tibi ſoſpes erit: ſed corpore trunco
Inuidioſa dabit minimus ſolatia ſanguis.
At vindicta bonum vita iucundius ipſa,

Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut leuibus videas flagrantia cauſis.
Quantulacumque adeo eſt occaſio ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium: dulcique ſenex vicinus Hymeto.
Qui partem acceptæ ſeuæ inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare, plurima fœlix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes:
Prima docens rectum ſapientia, quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas
Vltio, continuo ſic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina: cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos? & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamanthus
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

IN MEROE.] Inſula Ægypti diſtans à Syenne quinque milibus ſtadiorum. Timoſthenes autore Plinio ſcribit id eſſe iter ſexaginta dierum. inſula ipſa, vt ſcribit Diodorus, ambit tria milia ſtadiorum, patet in latitudinem mille, incolæ dimidio plus aliis viuunt, & fœminæ illic autore Mela, mamillas habent pares infantibus: vrbem condidit Cambiſes à nomine matris ita appellatam.

PYGMÆVS.] Pygmæi montana Indiæ incolunt, vt ſcribit Plinius, ternas ſpithamas in longitudinem non excedentes, à gruibus infeſtantur: locus eſt in ſeptimo naturalis hiſtoriæ, lege.

NVLLA.] Verba Caluini ad Iuuenalem.

PERIVRI CAPITIS.] Amici qui in me fuit periurus.

CHRYSIPPVS.] Solenſis, vel vt alij ſcribunt Tarſenſis fuit, Apollonij filius ſubtilitate diſputandi adeo acer vt ille iactatum ſit, deos ſi dialectice vterentur, præceptis Chryſippi vſuros fuiſſe. hic ex ſententia Stoicorum laudabat vacuitatem affectuum

SENEX VICINVS HYMETO.] Socrates de quo ante dictum eſt. THALES.] patre Samio natus primus ſapiens appellatus eſt, & inter ſeptem principatum obtinuit, cum certamen gymnicum ſpectaret, ſiti, æſtu, valitudine periit.

HYMETO.] Hymetus mons melle & marmoribus nobilis iuxta Athenas.

ANIMO TORTORE.] Id eſt animo ipſo præſtante officium tortoris: nam conſcientia punit eum.

CÆDITIVS.] Nomen iudicis eſt apud Iuuenalem.in vltima etiam Satyra,qui acerbioribus ſuppliciis reos ſemper afficere cupiebat: de quo vt oſtenderet factam mentionem à Tacito Fidentinus affert illius verba de quodam Cecilio, & inepte & non neceſſario.

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates.
Haud impunitum quondam fore quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando, quærebat enim quæ numinis eſſet
Mens, & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo:
Reddidit ergo metu non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probauit,
Extinctus tota pariter cum prole domoque,
Et quamuis longa deductis gente propinquis:
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum
Facti crimen habet,credo ſi conata peregit,
Perpetua anxietas ,nec menſe tempore ceſſat
Faucibus vt morbo ſiccis, interque molares,
Difficili creſcente cibo. ſed vina miſellus
Expuit, Albani veteris precioſa ſenectus
Diſplicet. oſtendas melius, denſiſsima ruga
Cogitur in frontem,velut acri ducta falerno.
Nocte breuem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata thoro iam membra quieſcunt:
Continuo templum & violati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem ſudoribus vrget,
Te videt in ſomnis:tua ſacra, & maior imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulmina pallent
Cum tonat, exanimes quoque primo murmure cæli:
Non quaſi fortuitu,nec ventorum rabie: ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit: cura grauiore timetur
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno.

Præterea lateris vigili cum febre, dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à numine: ſaxa Deorum
Hæc & tela putant: pecudem ſpondere ſacello

SPARTANO CVIDAM.] Per hiſtoriam oſtendit fieri non poſſe, vt qui abnegauerit pecuniam euadat ſupplicium, cum Glaucus Lacedæmonius tota prole interierit: non ſolum quia non reddidit depoſitum, ſed quod cogitauit aliquando de eo non reddendo. Hæc hiſtoria ab vno Herodoto perſcribitur in ſexto. adduciturque in exemplum apud Athenienſes à Leutichide. *Glaucus*, inquit, *Epicidis filius iuſtitia inſignis fuit Lacedæmone: vir Mileſius permotus hominis fama ad eum acceſſit, & cum patria aſſiduis bellis fluctuaret, diuendita dimidia parte bonorum, pecuniam apud Glaucum depoſuit, vt ſcilicet illic tuto ſeruata, aliquando vel ſibi vel ſuis, qui ſymbola afferrent reſtitueretur. huius filiis repetentibus poſt aliquot annos negauit Glaucus ſe meminiſſe: ſed tamen melius conſideraturum: re dilata in quattuor menſes iuuenes abierunt, amiſſam exiſtimantes pecuniam: Glaucus Delphicum oraculum conſuluit, reſpondit Deus, fortaſſe vtilius ad breue tempus videri, & paulo poſt Iuriſiurandi filium, qui caret nomine pedibuſque & manibus celer ad puniendum, non deſiſtet, priuſquam periuri totam prolem & domum perdat: ſancti autem hominis nepotes perpetuo vigent. Petiit veniam Glaucus quod de ſcelere conſuluiſſet: reſpondit Oraculum, tẽtaſſe Deum & commiſiſſe ſcelus idem eſſe. Accerſitis ergo filiis depoſitũ reſtituit: eius tamen domus ita interiit, vt nec lares ſub illius nomine, nec nepotes vlli reperirentur, qui à Glauco oriundi eſſent.*

PYTHIA VATES.] Id eſt Delphicum oraculum Græce dixit.

CVIDAM SPARTANO.] Id eſt Glauco Lacedæmonio, PROBAVIT VERAM, ſenſit verum eſſe quod audiuit ex oraculo, nam periit.

Balantem, & laribus criſtam permittere Galli
Non audent. quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vita?
Mobilis & varia eſt ferme natura malorum.
Cum ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Eiectum ſemel attrita de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris vno
Flagitio? dabit in laqueum veſtigia noſter

Perfidus, & nigri patietur carceris vncum,
Aut maris Ægei rupem, ſcopuloſque frequentes,
Exulibus magnis, pœna gaudebis amara
Nominis inuiſi, tandemque fatebre lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

CRISTAM GALLI.] Gallorum, inquit Plinius, *fibre gratiſſima ſunt diis: lares pracipue & penates his placabantur.*

QVAE NON DIGNIOR HOSTIA VITA.] Id eſt putant victimas eſſe digniores vita quam ipſi ſint, & propterea eas non mactant.

NATVRA MALORVM.] Id eſt ſceleratorum.

SVPEREST CONSTANTIA.] Id eſt habundat conſtantia, quaſi dicat conſtantiſſimi ſunt in ſcelere peragendo.

FINEM POSVIT SIBI.] Id eſt quis vnquam cœpit peccare, vt poſtea ſua ſponte deſiſteret.

ATTRITA DE FRONTE.] Id eſt perfricata: nam perfricare frontem eſt pudorem deponere. Plinius, *perfricui frontem & nihil profeci.* Martialis:

Et ſi perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

Hoc ait Iuuenalis vt ſpem iniiciat Caluino perfidum illum daturum pœnas, quia committet alia ſcelera in quibus deprehendetur.

MAGNIS EXVLIBVS.] Id eſt magnis ciuibus qui miſſi ſunt in exilium notat tempora ſua.

TIRESIA.] Thebanus, in alia parte fabulæ notus, in morte non ſatis. Pauſanias vero ſcribit eum fuiſſe captiuum Græcorum cum filiis Polynicis, & cum duceretur delphos bibiſſe ex fonte Thilfuſa vnde periit: plura de hoc ſcripſimus in commentariis Propertij.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XIV.

PLurima ſunt Fuſcine & fama digna ſiniſtra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntque parentes:
Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & hæres,
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

PLVRIMA.] Cauſam affert hac Satyra, quare tot exiſtant quottidie ſcelerati,& inuehitur in patres ipſos quorum exemplo ait teneras liberorum mentes ad vitia formari.inſcribatur igitur Satyra:De praua liberorum inſtitutione,ad Fuſcinum ſcribit amicum.

ET QVOD MAIORVM VITIO, SEQVITVRQVE MINORES.] Non in omnibus codicibus hic verſus extat , nec puto eſſe inſerendum: nam argumentum hoc verſu & altero qui non apparet comprehendebatur : ſed temere inſertus eſt Satyræ : quod ſeries elocutionis indicat: bene enim ſequitur.

—& fama digna ſiniſtra:
Et nitidis maculam atque rugam.

DAMNOSA ALEA.] Nam grandis pecuniæ aceruus aleæ committebatur tẽporibus Iuuenalis ſupra, *poſita ſed luditur arca* , & hoc carpit eo etiam inuidioſius,quoniam Domitianus quem ſæpe notat vſque ad reprehenſionem,ea oblectabatur.

EADEM ARMA.]Eadem inſtrumenta luſoria.

FRITILLO.] Porphyrio interpretatur alueolum, hoc eſt tabulam in qua diſcurrunt teſſeræ. Varro magida etiam appellat.

PARVO.] Puero conuenienti.

Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedit iuuenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monſtrante gula, cum ſeptimus annus
Tranſierit puero nundum omni dente renato:
Barbatos licet admoueas mille inde Magiſtros
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & à magna non degenerare culina.
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquus
Præcipit, atque animos ſeruorum & corpora noſtra
Materia conſtare putat, paribuſque elementis:
An ſæuire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu,& nullam Sirena flagellis
Comparat Antiphates trepidi Laris,ac Polyphemus?
Tum fœlix quotiens aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro:
Quid ſuadet iuueni lætus ſtridore catenæ
Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus,expectes vt non ſit adultera Largæ

Filia

Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu,
Vt non ter decies reſpiret, conſcia matri
Virgo fuit: caras nunc hac dictante puſillas
Implet, & ad mœchos dat eiſdem ferre cinædis.

SPERARE MELIVS.] Sperare ſe fore frugaliorem & meliorem patre.

FICEDVLAS.] Ficedula auis inter ganeata obſonia, ab Apicio iure conditur ingenti patina.

GVLA CANA.] Id eſt patre ſene guloſo.

RENATO.] Rem naturalem exprimit: nam vt ſcribit Plin. homini ſeptimo menſe naſcuntur dentes, mutanturque & renaſcuntur homini, cani, leoni, iumento, ruminantibus.

BARBATOS.] Bonorum morum ſtudioſos, Perſius,

— barbatum crede magiſtrum,
Dicere.

MODICIS ERRORIBVS.] .i pater paulatim ducit filium per errores, quibus ſit idoneus & aptus propter teneram ætatem.

RVTILVS.] Ponit Rutilum pro quocumque cædente, quoniam laniſta docuit laniatores quos cædebat.

ANTIPHATES.] Antiphates homines ſolitos veſci carnibus humanis tradiderunt noſtri, & in Scythia multa eorum genera fuiſſe ſcribunt & in Sicilia Cyclopes idem factitaſſe. in quo miror grauis hiſtoriæ autores diſſentire: nam Tucydides in ſeptimo hiſtoriarum Cyclopes fabuloſos fuiſſe ſcribit: Plinius autẽ in ſeptimo pro vera hiſtoria tradit eos, & fuiſſe aliquando, & comediſſe homines. In Italia Læſtrigones ad Caietam idem feciſſe perhibentur, teſte Homero qui ſcribit Vlyxem perueniſſe domum Antiphatæ regis Læſtrigonum, quem vxor è foro acceſiuit, & vnum ex ſociis miſſis ab Vlyxe ab eo fuiſſe abſumptum; reliquis terrore diffugientibus.

PROPTER DVO LINTEA.] Æmulatio eſt Catulliana: nam & Catullus in furem inuehitur. LINTEI hoc eſt ſudarij, quo tergebantur corpora in thermis.

INSCRIPTA.] Id eſt notatis ſignis in fronte.

CARCER RVSTICVS.] Id eſt, in quibus ergaſtulis vinciuntur ſerui, tanquam in carcere ad opus ruſticum.

LARGAE.] Mulieris mœchæ, & adulteriorum infamia notæ nomen eſt temporibus Iuuenalis. Fuit item Largorum familia, quamuis nonnulli codices habeant Titus Largius, non Largus: ſed hic Largæ vt dixi nomen proprium eſt mœchæ. Fidentinus præceptoris conſilio *large* contendit legendum pro aduerbio: quamuis nunquam filias aduerbiorum legerimus, quæ enim fuit filia indocte, aut filia tunc, aut filia humaniter.

HAC DICTANTE.] Ego non intelligo quod mater dictaret quotidie: ſed quod ipſa exemplo materno iam didicerit ſcribere ad adulteros, & iam ſcribat tanquam mater dictaret.

PVSILLAS CÆRAS.] In pugillaribus vitellanis.

CINÆDIS.] Id eſt ſpadonibus mollibus: nam mulieres ſpadonibus ſeruis vtebantur, de quo extant epigrammata Mar.

Sic natura iubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos auctoribus. vnus & alter
Forſitan hæc ſperant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnis huiuſce & enim vel
Vna potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus, & Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque ſub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vſquam.
Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia. ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans,
Nam ſi quid dignum cenſoris fecerit ira,
Quandoquidem & ſimilem tibi ſe non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cum
Omnia deterius tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, aut poſt hæc tabulas mutare parabis.
Vnde tibi frontem, libertatemque parentis,
Cum facias peiora ſenex? vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Hoſpite venturo, ceſſabit nemo tuorum.
Verre pauimentum, nitidas oſtende columnas:
Arida cum tota deſcendat aranea tela:
Hic lauet argentum, vaſa aſpera tergeat alter:

Vox domini fremit inſtantis, virgamque tenentis.
Ergo miſer trepidas ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliciant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus, & tamen vno
Semodio ſcobis hæc emendat ſeruulus vnus.
Illud non agitas, vt ſanctam filius omni

SIC NATVRA IVBET.]Natura,inquit,comparatum eſt,vt potius formemur ad ſcelera & vitia quàm ad virtutem, & legas coniunctim cum inferioribus.

MAGNIS AVTORIBVS.] Id eſt,quos non pudet,quum videant eorum ſcelerum eſſe autores viros magnos & quos obſeruant.

CATILLINAM.]Hunc ponit pro malo ciue,quaſi dicat,ſponte ſua mali ciues naſcuntur & fiunt.

BRVTVS ET AVVNCVLVS BRVTI.]Id eſt Cato,hoc eſt non reperientur boni ciues quales fuerunt Brutus & Cato.

TABVLAS MVTARE PARABIS.] Hæ ſunt minæ paternæ : nam patres ſolent filiis minari delinquentibus , ſe mutaturos teſtamenta , & alios ſcripturos hæredes.

CVCVRBITA VENTOSA.]Corneum eſt vel vitreum vaſculum:quo ſanguis educitur. Ventoſam dixit quoniam flammæ vento corpori & carnibus admouetur.Cucurbitam fructum Virgilius appellat ſeminoſum, Celſus idem vas per diminutionem cucurbitulam dixit.

CAPVT HOC.] Id eſt mediam venam quæ ſolet expurgari inſanientibus.

VASA ASPERA.]Id eſt anaglypta & exſculpta in aſperitatem.

Aſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem?
Gratum eſt quod patriæ ciuem, populoque dediſti,
Si facis vt patriæ ſit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, & rebus pacis agendis:
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas. ſerpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pinnis.
Vultur iumento & canibus, crucibuſque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert:
Hic eſt ergo cibus magni quoque vulturis, & ſe
Paſcentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Iouis & generoſæ
In ſaltu venantur aues, tunc præda cubili

apud Ouidium in faſtis & Suetonium, vt in eius commentariis diximus.

POSIDES.]Spado libertus fuit Claudij Imperatoris, de quo Suetonius, *libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem ſpadonem, quem è Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauit*, & notat tempora ſua, inueliturque in opes libertorum.

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem
Nil præter nubes, & cæli numen adorant,
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit, mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, & metuunt ius
Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes.
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.
Sponte tamen iuuenes imitantur, cætera ſolam
Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & vmbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeuerum,
Nec dubie tanquam frugi laudetur auarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quam fortunas ſi ſeruet eaſdem,
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus, adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem, quippe his creſcunt patrimonia fabris.
Sed creſcunt quocunque modo, maioraque fiunt
Incude aſſidua: ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi fœlices credit auaros,
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putant, iuuenes hortantur vt illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes.
Mox acquirendi docet inſatiabile votum
Seruorum ventres modio caſtigat inquo

Ipſe quoque eſuriens: neque enim omnia ſuſtinet vnquam
Mucida cærulei panis conſumere fruſta,

QVIDAM SORTITI.] Iudeos ſæpe tumultuantes Romæ religionis cultu coercuerunt ſupplicio in primis Claudius & Nero: Inuiſi quoque fuerunt Domitiano & ad tributum acerbe coacti, nec tamen deerant qui eorum ſacris initiarentur, & illorum ſeruarent ritus. Iuuena. in hos inuehitur publico odio adductus, & eorum religionem ſubſannat ac deridet.

METVENTEM SABBATA.] Id eſt obſeruantem ſabbata ieiunio, vnde Iudæi ſabbatarij à Martiale dicuntur.

PRAETER NVBES ET NVMEN CAELI.] Nam Iudæi, vt Tacitus ſcribit, mente ſola, vnum tãtum numen intelligunt, prophanum qui Deorum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingat ſolum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum. igitur ſimulacra vrbibus ſuis nedum templis habent. Fidentinus his à nobis acceptis deliramenta ſua anteponit, nubes exponens, id eſt, legem obſcuram Iudeorum.

PRAEPVTIA PONVNT.] Id eſt circumciduntur ritu Iudæorum & more Ægyptio. nam Ægyptij ſoli, vt ſcribit Herodotus, & qui ab iis didicerunt circuncidebantur, vt puriores eſſent in deorum cultu.

MOSES.] Vt ſcribit aduerſarius Ioſephi, Orſephus prius dicebatur Oſiridiſque fuit ſacerdos in Heliopoli dux Iudæis exeuntibus ex Ægypto, leges his promulgauit, ne deos colerent Ægyptios, ne animalibus abſtinerent quæ in Ægypto ſacra erant, & ne cum aliquo verſarentur, niſi qui eadem ſacra coleret.

QVAESITVM FONTEM.] Hoc dicit ex hiſtoria. nam vt ſcribit Tacitus ſeptimo die Iudæorum multitudo, quæ Moſem ſequebatur penuria aquarum in primis laborabat: ſed Moſes ſecurus gregem aſinorum agreſtium, qui e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit coniectura herbidi ſoli largas aquarum venas aperuit: ſenſus eſt, legibus Iudaicis, adeo prohibentur à Moſe verſari cum aliis, vt ne via quidem monſtretur ab iis etiam ad fontem illum quo ſedarunt ſitim, niſi eadem ſacra colentibus, id eſt, Iudæis.

SERPENS.] Hiſtoria habet fuiſſe flexuoſum ſinum maris, qui ambibat hortos Heſperidum, vt ſcribit Plinius.

Heſternum ſolitus medio ſeruare minutal
Septembri, necnon differre in tempore cœnæ
Alterius concham æſtiui cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique ſiluro

Filaque ſectiui numerata includere porri,
Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quo diuitias hæc per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis,
Vt locuples moriaris egenti viuere fato?
Interea pleno cum turget ſacculus ore,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunnia creſcit,
Et minus hanc optat qui non habet. ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit vnum,
Et proferre libet fines, maiorque videtur,
Et melior vicina ſeges. mercaris & hanc, &
Arbuſta, & denſa montem qui canet oliua.
Quorum ſi precio dominus non vincitur vllo,
Nocte boues macri, laſſoque famelica collo
Armenta ad virides huius mittuntur ariſtas,
Nec prius inde domum quam tota noualia ſæuos
In ventres habeant, vt credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quam multi talia plorent,
Et quot venales iniuria fecerit agros.
Sed qui ſermones? quæ fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc inquit, tunicam mihi malo lupini,
Quam ſi me toto laudet vicinia pago.
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem

MINVTAL.] Genus condimenti eſt quod ex rebus minutim conciſis fiebat, vt docet Apicius variis generibus & nominibus: inter cætera minutal vnum fiebat marino piſce, liquamine, oleo, vino porris capitatis, coriandro, & reliquis: dicebatur Tarẽtinum, Apicianum, Marianum dulce: à varietate rerum varium dicitur à Martiale. autumno intempeſtiuum erat & ſub exitu æſtatis. Fidentinus minutal partem & fruſtum cœnæ exponit, quum ipſe tamen vix tota cœna ſit contentus.

CONCHAM.] Id eſt fabam viridem de qua diximus in commentariis Martialis.

SIGNATAM.] Cuſtoditam etiam ſigno impreſſo, Martialis,

Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

id eſt ſeruabantur.

LACERTI.] Lacertus, piſcis ex Bethica ſaxetanus dicitur, à patria vbi capitur, tenuis mẽſæ cibus & pauperis cũ concha apponebatur. Martia.

Cum ſaxetani ponatur cauda lacerti
Et bene ſi cœnas conchis inuncta tibi.

DE PONTE.] Id eſt mendicus, vt alibi expoſuimus.

Sed ſi cuncta vides ſimili fora plena querela:
Si decies lectis diuerſa in parte tabellis
Vana ſuperuacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos littera gemmaque princeps
Sardonicus, loculis quæ cuſtoditur eburnis:
Te nunc delitias extra communia cenſes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infœlicibus ouis.
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina. confer
Conductum latronem, incendia ſulphure cœpta
Atque dolo, primos cum ianua colligit ignes:
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas à rege coronas.
Hæc tibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet ſolitus totum conflare tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.
Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus vrbis
Vſque à Lucifero, donec lux occidat audit?
Humani generis mores tibi noſce volenti
Sufficit vna domus, paucos conſumme dies, &
Dicere te miſerum, poſtquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis

TACEO.] Id eſt non prohibebo te dolere.

TABELLIS.] Pugilares intelligit ligneos quos vanos appellant debitores, quamuis in his manu eorum ſcriptum ſit de pecunia his credita. alibi,

Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,
Vana ſuperuacui dicens chirographa ligni.

RADAT INAVRATI.] Nam ſolebant fures laminas vel aureas vel argenteas ex ſtatuis vel lectis diſcubitoriis vnguibus eradere. Martialis.

An magis aſtuti deraſa eſt vngue miniſtri
Brattea, de fulcro quam reor eſſe tuo.

Vt in commentariis Martialis diximus; teſtimonio etiam Tranquilli de ſeruo eo crimine damnato.

CVSTOS GALLICVS.] Alij anſerem expoſuerunt, & Fidentinus eundem errorem ſecutus in ſuis commentariis ita ſcripſit, ſed poſtea addidit hãc ſententiam noſtram quæ vera eſt: ei tamẽ non plane aſſentitur, ſed de anſere affirmat intelligendum eſſe. ô miſerum hominem, qui nec in media luce oculis vtitur, ſed cæcus fertur. CVSTOS GALLICVS, ego Rutilium Gallicum intelligo, pro quo Soteria ſcribit Papinius: hic apud Domitianum ſecundas dignitatis partes obtinebat, ad eumque omnia vrbis iura ab aliis magiſtratibus deferebantur, vnde cuſtos vrbis eſt appellatus. Papinius,

— dubitataque ſidera cernit
Gallicus: es cælo, Dis es Germanica cordi,
Quis neget? erubuit tanto ſpoliare miniſtro Imperium
Fortuna tuum.

Paulo poſt,

Quippe manet, longumque æuo redeunte manebit
Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.

Audiebat igitur Gallicus plura ſcelera quam dixerit hactenus Iuuenalis. nam cum reddat iura foro, cauſæ nocentum apud eum agebantur.

In Meroe craſſo maiorem infante mamillam?
Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura eſt omnibus vna.
Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus paruus currit bellator in armis,
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curuis
Vnguibus à ſæua fertur grue. ſi videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiere: ſed illic
Quanquam eadem aſſidue ſpectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non eſt altior vno.
Nulla ne periuri capitis, fraudiſque nefandæ
Pœna erit: abreptum crede hunc grauiore catena
Protinus & noſtro, quid plus velit ira? necari
Arbitrio: manet illa tamen iactura, nec vnquam
Depoſitum tibi ſoſpes erit: ſed corpore trunco
Inuidioſa dabit minimus ſolatia ſanguis.
At vindicta bonum vita iucundius ipſa,

Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut leuibus videas flagrantia cauſis.
Quantulacumque adeo eſt occaſio ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium: dulcique ſenex vicinus Hymeto.
Qui partem acceptæ ſeua inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare, plurima fœlix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes:
Prima docens rectum ſapientia, quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas
Vltio, continuo ſic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina: cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes , quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos? & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamanthus.
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

IN MEROE.] Inſula Ægypti diſtans à Syenne quinque milibus ſtadiorum. Timoſthenes autore Plinio ſcribit id eſſe iter ſexaginta dierum. inſula ipſa, vt ſcribit Diodorus, ambit tria milia ſtadiorum , patet in latitudinem mille, incolæ dimidio plus aliis viuunt, & fœminæ illic autore Mela, mamillas habent pares infantibus: vrbem condidit Cambiſes à nomine matris ita appellatam.

PYGMÆVS.] Pygmæi montana Indiæ incolunt, vt ſcribit Plinius, ternas ſpithamas in longitudinem non excedentes, à gruibus infeſtantur: locus eſt in ſeptimo naturalis hiſtoriæ, lege.

NVLLA.] Verba Caluini ad Iuuenalem.

PERIVRI CAPITIS.] Amici qui in me fuit periurus.

CHRYSIPPVS.] Solenſis, vel vt alij ſcribunt Tarſenſis fuit, Apollonij filius ſubtilitate diſputandi adeo acer vt ille iactatum ſit, deos ſi dialectice vterentur, præceptis Chryſippi vſuros fuiſſe. hic ex ſententia Stoicorum laudabat vacuitatem affectuum

SENEX VICINVS HYMETO.] Socrates. de quo apte dictum eſt. THALES.] patre Samio natus primus ſapiens appellatus eſt , & inter ſeptem principatum obtinuit, cum certamen gymnicum ſpectaret, ſiti, æſtu, valitudine periit.

HYMETO.] Hymetus mons melle & marmoribus nobilis iuxta Athenas.

ANIMO TORTORE.] Id eſt animo ipſo præſtante officium tortoris: nam conſcientia punit eum.

CÆDITIVS.] Nomen iudicis eſt apud Iuuenalem. in vltima etiam Satyra, qui acerbioribus ſuppliciis reos ſemper afficere cupiebat: de quo vt oſtenderet factam mentionem à Tacito Fidentinus affert illius verba de quodam Cecilio, & inepte & non neceſſario.

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates.
Haud impunitum quondam fore quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando, quærebat enim quæ numinis eſſet
Mens, & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo:
Reddidit ergo metu non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probauit,
Extinctus tota pariter cum prole domoque,
Et quamuis longa deductis gente propinquis:
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum
Facti crimen habet, credo ſi conata peregit,
Perpetua anxietas, nec menſe tempore ceſſat
Faucibus vt morbo ſiccis, interque molares,
Difficili creſcente cibo. ſed vina miſellus
Expuit, Albani veteris precioſa ſenectus
Diſplicet. oſtendas melius, denſiſſima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta falerno.
Nocte breuem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata thoro iam membra quieſcunt:
Continuo templum & violati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem ſudoribus vrget,
Te videt in ſomnis: tua ſacra, & maior imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulmina pallent
Cum tonat, exanimes quoque primo murmure cœli:
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie: ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit: cura grauiore timetur
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno.

Præterea lateris vigili cum febre, dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à numine: ſaxa Deorum
Hæc & tela putant: pecudem ſpondere ſacello

SPARTANO CVIDAM.] Per hiſtoriam oſtendit fieri non poſſe, vt qui abnegauerit pecuniam euadat ſupplicium, cum Glaucus Lacedæmonius tota prole interierit: non ſolum quia non reddidit depoſitum, ſed quod cogitauit aliquando de eo non reddendo. Hæc hiſtoria ab vno Herodoto perſcribitur in ſexto. adduciturque in exemplum apud Athenienſes à Leutichide. *Glaucus*, inquit, *Epicidis filius iuſtitia inſignis fuit Lacedæmonæ: vir Mileſius permotus hominis fama ad eum acceſſit, & cum patria aßiduis bellis fluctuaret, diuendita dimidia parte bonorum, pecuniam apud Glaucum depoſuit, vt ſcilicet illic tuto ſeruata, aliquando vel ſibi vel ſuis, qui ſymbola afferrent reſtitueretur. huius filiis repetentibus poſt aliquos annos negauit Glaucus ſe meminiſſe: ſed tamen melius conſideraturum: re dilata in quattuor menſes iuuenes abierunt, amiſſam exiſtimantes pecuniam: Glaucus Delphicum oraculum conſuluit, reſpondit Deus, fortaſſe vtilius ad breue tempus videri, & paulo poſt Iuriſiurandi filius, qui caret nomine pedibuſque & manibus celer ad puniendum, non deſiſtit, priuſquam periuri totam prolem & domum perdat: ſancti autem hominis nepotes perpetuo vigent. Petiit veniam Glaucus quod de ſcelere conſuluiſſet: reſpondit Oraculum, tētaſſe Deum & commiſiſſe ſcelus idem eße. Accerſitis ergo filiis depoſitū reſtituit: eius tamen domus ita interiit, vt nec lares ſub illius nomine, nec nepotes villi reperirentur, qui à Glauco oriundi eſſent.*

PYTHIA VATES.] Id eſt Delphicum oraculum Græce dixit.

CVIDAM SPARTANO.] Id eſt Glauco Lacedæmonio, PROBAVIT VERAM, ſenſit verum eſſe quod audiuit ex oraculo, nam periit.

Balantem, & laribus criſtam permittere Galli
Non audent. quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vita?
Mobilis & varia eſt ferme natura malorum.
Cum ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos. fixa & mutari neſcia. nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Eiectum ſemel attrita de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris vno
Flagitio? dabit in laqueum veſtigia noſter

Perfidus, & nigri patietur carceris vncum,
Aut maris Ægei rupem, ſcopuloſque frequentes,
Exulibus magnis, pœna gaudebis amara
Nominis inuiſi, tandemque fatebre lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

CRISTAM GALLI.] Gallorum, inquit Plinius, *fibre gratiſſimæ ſunt diis: lares præcipue & penates his placabantur.*

QVAE NON DIGNIOR HOSTIA VITA.] Id eſt putant victimas eſſe digniores vita quam ipſi ſint, & propterea eas non mactant.

NATVRA MALORVM.] Id eſt ſceleratorum.

SVPEREST CONSTANTIA.] Id eſt habundat conſtantia, quaſi dicat conſtantiſſimi ſunt in ſcelere peragendo.

FINEM POSVIT SIBI.] Id eſt quis vnquam cœpit peccare, vt poſtea ſua ſponte deſiſteret.

ATTRITA DE FRONTE.] Id eſt perfricata: nam perfricare frontem eſt pudorem deponere. Plinius, *perfricui frontem & nihil profeci.* Martialis:

Et ſi perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

Hoc ait Iuuenalis vt ſpem iniiciat Caluino perfidum illum daturum pœnas, quia committet alia ſcelera in quibus deprehendetur.

MAGNIS EXVLIBVS.] Id eſt magnis ciuibus qui miſſi ſunt in exilium notat tempora ſua.

TIRESIA.] Thebanus, in alia parte fabulæ notus, in morte non ſatis. Pauſanias vero ſcribit eum fuiſſe captiuum Græcorum cum filiis Polynicis, & cum duceretur delphos bibiſſe ex fonte Thilfuſa vnde periit: plura de hoc ſcripſimus in commentariis Propertij.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XIV.

PLurima ſunt Fuſcine & fama digna ſiniſtra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntque parentes:
Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & hæres,
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

PLVRIMA.] Cauſam affert hac Satyra, quare tot exiſtant quotidie ſcelerati,& inuehitur in patres ipſos quorum exemplo ait teneras liberorum mentes ad vitia formari.inſcribatur igitur Satyra:De praua liberorum inſtitutione,ad Fuſcinum ſcribit amicum.

ET QVOD MAIORVM VITIO, SEQVITVRQVE MINORES.] Non in omnibus codicibus hic verſus extat , nec puto eſſe inſerendum: nam argumentum hoc verſu & altero qui non apparet comprehendebatur : ſed temere inſertus eſt Satyræ : quod ſeries elocutionis indicat: bene enim ſequitur.

—& fama digna ſiniſtra:
Et nitidis maculam atque rugam.

DAMNOSA ALEA.] Nam grandis pecuniæ aceruus aleæ committebatur tẽporibus Iuuenalis ſupra, *poſita ſed luditur arca* , & hoc carpit eo etiam inuidioſius,quoniam Domitianus quem ſæpe notat vſque ad reprehenſionem,ea oble&abatur.

EADEM ARMA.]Eadem inſtrumenta luſoria.

FRITILLO.] Porphyrio interpretatur alueolum, hoc eſt tabulam in qua diſcurrunt teſſeræ. Varrò magida etiam appellat.

PARVO.] Puero conuenienti.

Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedit iuuenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monſtrante gula, cum ſeptimus annus
Tranſierit puero nundum omni dente renato:
Barbatos licet admoueas mille inde Magiſtros
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & à magna non degenerare culina.
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquus
Præcipit, atque animos ſeruorum & corpora noſtra
Materia conſtare putat, paribuſque elementis:
An ſæuire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu,& nullam Sirena flagellis
Comparat Antiphates trepidi Laris,ac Polyphemus?
Tum fœlix quotiens aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro:
Quid ſuadet iuueni lætus ſtridore catenæ
Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula , carcer
Ruſticus,expectes vt non ſit adultera Largæ

Filia

Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu,
Vt non ter decies reſpiret, conſcia matri
Virgo fuit: ceras nunc hac dictante puſillas
Implet, & ad mœchos dat eiſdem ferre cinædis.

SPERARE MELIVS.] Sperare ſe fore frugaliorem & meliorem patre.

FICEDVLAS.] Ficedula auis inter ganeata obſonia, ab Apicio iure conditur ingenti patina.

GVLA CANA.] Id eſt patre ſene guloſo.

RENATO.] Rem naturalem exprimit: nam vt ſcribit Plin. homini ſeptimo menſe naſcuntur dentes, mutanturque & renaſcuntur homini, cani, leoni, iumento, ruminantibus.

BARBATOS.] Bonorum morum ſtudioſos, Perſius,

—barbatum crede magiſtrum,
Dicere.

MODICIS ERRORIBVS.] i. pater paulatim ducit filium per errores, quibus ſit idoneus & aptus propter teneram ætatem.

RVTILVS.] Ponit Rutilum pro quocumque cædente, quoniam laniſta docuit laniarores quos cædebat.

ANTIPHATES.] Antiphates homines ſolitos veſci carnibus humanis tradiderunt noſtri, & in Scythia multa eorum genera fuiſſe ſcribunt & in Sicilia Cyclopes idem factitaſſe. in quo miror grauis hiſtoriæ autores diſſentire: nam Tucydides in ſeptimo hiſtoriarum Cyclopes fabuloſos fuiſſe ſcribit: Plinius auté in ſeptimo pro vera hiſtoria tradit eos, & fuiſſe aliquando, & comediſſe homines. In Italia Læſtrigones ad Caietam idem feciſſe perhibentur, teſte Homero qui ſcribit Vlyxem perueniſſe domum Antiphatæ regis Læſtrigonum, quem vxoré foro acceſiuit, & vnum ex ſociis miſſis ab Vlyxe ab eo fuiſſe abſumptum, reliquis terrore diffugientibus.

PROPTER DVO LINTEA.] Æmulatio eſt Catulliana: nam & Catullus in furem inuehitur. LINTEI hoc eſt ſudarij, quo tergebantur corpora in thermis.

INSCRIPTA.] Id eſt notatis ſignis in fronte.

CARCER RVSTICVS.] Id eſt, in quibus ergaſtulis vinciuntur ſerui, tanquam in carcere ad opus ruſticum.

LARGAE.] Mulieris mœchæ, & adulteriorum infamia notæ nomen eſt temporibus Iuuenalis. Fuit item Largorum familia, quamuis nonnulli codices habeant Titus Largius, non Largus: ſed hic Largæ vt dixi nomen proprium eſt mœchæ. Fidentinus præceptoris conſilio *large* contendit legendum pro aduerbio: quamuis nunquam filias aduerbiorum legerimus, quæ enim fuit filia indocte, aut filia tunc, aut filia humaniter.

HAC DICTANTE.] Ego non intelligo quod mater dictaret quotidie: ſed quod ipſa exemplo materno iam didicerit ſcribere ad adulteros, & iam ſcribat tanquam mater dictaret.

PVSILLAS CÆRAS.] In pugillaribus vitellanis.

CINÆDIS.] Id eſt ſpadonibus mollibus: nam mulieres ſpadonibus ſeruis vtebantur, de quo extant epigrammata Mar.

Sic natura iubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos auctoribus. vnus & alter
Forſitan hæc ſperant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnis huiuſce & enim vel
Vna potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus, & Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque ſub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vſquam.
Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia. ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans,
Nam ſi quid dignum cenſoris fecerit ira,
Quandoquidem & ſimilem tibi ſe non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cum
Omnia deterius tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, aut poſt hæc tabulas mutare parabis.
Vnde tibi frontem, libertatemque parentis,
Cum facias peiora ſenex? vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Hoſpite venturo, ceſſabit nemo tuorum.
Verre pauimentum, nitidas oſtende columnas:
Arida cum tota deſcendat aranea tela:
Hic lauet argentum, vaſa aſpera tergeat alter:

Vox domini fremit inſtantis, virgamque tenentis.
Ergo miſer trepidas ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliciant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus, & tamen vno
Semodio ſcobis hæc emendat ſeruulus vnus.
Illud non agitas, vt ſanctam filius omni

SIC NATVRA IVBET.] Natura, inquit, comparatum eſt, vt potius formemur ad ſcelera & vitia quàm ad virtutem, & legas coniunctim cum inferioribus.

MAGNIS AVTORIBVS.] Id eſt, quos non pudet, quum videant eorum ſcelerum eſſe autores viros magnos & quos obſeruant.

CATILLINAM.] Hunc ponit pro malo ciue, quaſi dicat, ſponte ſua mali ciues naſcuntur & fiunt.

BRVTVS ET AVVNCVLVS BRVTI.] Id eſt Cato, hoc eſt non reperientur boni ciues quales fuerunt Brutus & Cato.

TABVLAS MVTARE PARABIS.] Hæ ſunt minæ paternæ: nam patres ſolent filiis minari delinquentibus, ſe mutaturos teſtamenta, & alios ſcripturos hæredes.

CVCVRBITA VENTOSA.] Corneum eſt vel vitreum vaſculum: quo ſanguis educitur. Ventoſam dixit quoniam flammæ vento corpori & carnibus admouêtur. Cucurbitam fructum Virgilius appellat ſeminoſum, Celſus idem vas per diminutionem cucurbitulam dixit.

CAPVT HOC.] Id eſt mediam venam quæ ſolet expurgari inſanientibus.

VASA ASPERA.] Id eſt anaglypta & exſculpta in aſperitatem.

Aſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem?
Gratum eſt quod patriæ ciuem, populoque dediſti,
Si facis vt patriæ ſit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, & rebus pacis agendis:
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas. ſerpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pinnis.
Vultur iumento & canibus, crucibuſque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert:
Hic eſt ergo cibus magni quoque vulturis, & ſe
Paſcentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Iouis & generoſæ
In ſaltu venantur aues, tunc præda cubili

apud Ouidium in faſtis & Suetonium, vt in eius commentariis diximus.

POSIDES.]Spado libertus fuitClaudij Imperatoris,de quo Suetonius, *libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem ſpadonem, quem è Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauit*, & notat tempora ſua, inuehiturque in opes libertorum.

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem
Nil præter nubes,& cæli numen adorant,
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit,mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt,& ſeruant,& metuunt ius
Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes.
Non monſtrare vias,eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa,cui ſeptima quaque fuit lux
Ignaua,& partem vitæ non attigit vllam.
Sponte tamen iuuenes imitantur, cætera ſolam
Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium ſpecie virtutis,& vmbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeuerum,
Nec dubie tanquam frugi laudetur auarus,
Tanquam parcus homo,& rerum tutela ſuarum
Certa magis,quam fortunas ſi ſeruet eaſdem,
Heſperidum ſerpens,aut Ponticus,adde quod hunc,de
Quo loquor, eregium populus putat,atque verendum
Artificem,quippe his creſcunt patrimonia fabris.
Sed creſcunt quocunque modo,maioraque fiunt
Incude aſſidua:ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi fœlices credit auaros,
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putans,iuuenes hortantur vt illam
Ire viam pergant,& eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa his protinus illos
Imbuit,& cogit minimas ediſcere ſordes.
Mox acquirendi docet inſatiabile votum
Seruorum ventres modio caſtigat inquo

Filaque ſectiui numerata includere porri,
Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quo diuitias hæc per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis,
Vt locuples moriaris egenti viuere fato?
Interea pleno cum turget ſacculus ore,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunnia creſcit,
Et minus hanc optat qui non habet. ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit vnum,
Et proferre libet fines, maiorque videtur,
Et melior vicina ſeges. mercaris & hanc, &
Arbuſta, & denſa montem qui canet oliua.
Quorum ſi precio dominus non vincitur vllo,
Nocte boues macri, laſſoque famelica collo
Armenta ad virides huius mittuntur ariſtas,
Nec prius inde domum quam tota noualia ſæuos
In ventres habeant, vt credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quam multi talia plorent,
Et quot venales iniuria feceris agros.
Sed qui ſermones? quæ fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc inquit, tunicam mihi malo lupini,
Quam ſi me toto laudet vicinia pago.
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem

MINVTAL.] Genus condimenti eſt quod ex rebus minutim conciſis fiebat, vt docet Apicius variis generibus & nominibus: inter cætera minutal vnum fiebat marino piſce, liquamine, oleo, vino porris capitatis, coriandro, & reliquis: dicebatur Tarẽtinum, Apicianum, Marianum dulce: à varietate rerum varium dicitur à Martiale. autumno intempeſtiuum erat & ſub exitu æſtatis. Fidentinus minutal partem & fruſtum cœnæ exponit, quum ipſe tamen vix tota cœna ſit contentus.

CONCHAM.] Id eſt fabam viridem de qua diximus in commentariis Martialis.

SIGNATAM.] Cuſtoditam etiam ſigno impreſſo, Martialis,

Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

id eſt ſeruabantur.

LACERTI.] Lacertus, piſcis ex Bethica ſaxetanus dicitur, à patria vbi capitur, tenuis mẽſæ cibus & pauperis cũ concha apponebatur. Martia.

Cum ſaxetani ponatur cauda lacerti
Et bene ſi cœnas conchis inuncta tibi.

DE PONTE.] Id eſt mendicus, vt alibi expoſuimus.

Humanæ mentis vitium, quam ſæua cupido
Immodici cenſus: nam diues qui fieri vult,
Et cito fieri vult ſed quæ reuerentia legum?
Quis metus aut pudor eſt vnquam properantis auari?
Viuite contenti caſulis & collibus iſtis
O pueri Marſus dicebat, & Hernicus olim,
Veſtinuſque ſenex: panem quæramus aratro
Qui ſatis eſt menſis, laudant hoc numina ruris.

Scilicet et morbis.] Ironia eſt Poëtæ reſpondentis auaro, quaſi dicat, etiam ſi fueris diues non poteris carere aliis incommodis.

Qvantvm svb Tatio] Sub Romulo, vt inquit Plinius, bina iugera ſingulis ſatis erant, nullique maiorem modum agri attribuit populus Romanus. Dona vero eodem autore Imperatorum & fortium ciuium ampliſſima habebantur, quantum quis vno die plurimum circumarauiſſet, Liuio in ſeptimo autore. Lata demum eſt lex, ne plus quingentis agri iugeribus alicui poſſidere liceret.

Vel Pyrrvm immanem.] Id eſt, qui paſſi eſſent vulnera aduerſus Pyrrhum regem Epirotarũ, qui ad Aſculum in agro Piceno cum Dentato conſule bis prælium conſeruit, in quo ceciderunt ſex Romanorum millia, vt Hieronymus hiſtoricus tradit. Dionyſius vero autor eſt ſemel tantum pugnatum fuiſſe, ceſſaſſeque prælium vulnere Phyrrhi brachio haſta transfixo, vtrinque cecidiſſe ſupra quindecim hominum millia.

Bina ivgera.] Imo ſeptem iugera accepit Dentatus conſul, vt ſcribit Columella, Pyrrho Italiæ finibus pulſo.

Havd ingratæ.] Propterea quia tantum bina iugera darentur.

Tres domini.] Alludit ad communem habitationem, & ius trium natorum.

Nostro non svfficit horto.] Id eſt, habemus ampliores hortos nunc quã antiqui agros. Plinius, *viridaria & piſcinas iuuat habere maiores,* Hortus in legibus duodecim tabularum priſca dictione hęredium dicitur, vnde hæredioluin apud Columellam.

Marsvs.] Fidentinus Marſum Poëtam intelligit & Veſtinum, cuius in Nerone meminit Tacitus, O ſtultum hominem & amentiorem futurum, niſi has ineptias ſuas ſententia noſtra addita emendare tentaſſet! Nos de Marſo ſene ex Marſis populis & Veſtino ex Veſtinis intelligimꝰ: nam Marſi, Veſtini, Hernici colendis agris præter cæteros olim intenti fuerunt. Ex frugalitate igitur antiquorũ, & honeſto diuitiarũ ſtudio ſui temporis luxum vituperat & cupiditatem, introducitque verba Marſi ſenis & Veſtini ad filios. De Marſis & Veſtinis populis alibi diximus, ex ſententia Strabonis.

Quorum ope & auxilio gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercus.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui ſummouet Euros
Pellibus inuerſis. peregrina, ignotaque nobis
Ad ſcelus, atque nefas, quecunque eſt purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Poſt finem autumni media de nocte ſuppinum
Clamoſus iuuenem pater excitat. accipe, ceras,
Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem poſce libello.
Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum atteias, caſtella Brigantum
Vt locupletem aquila tibi ſexageſimus annus
Afferat, aut longos caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepidum ſoluunt tibi cornua ventrem
Cum lituus audita, pares quod vendere poßis
Pluris dimidio, nec te faſtidia mercis
Vllius ſubeant ablegandæ Tiberim vltra,
Nec credas ponendum aliquid diſcriminis inter

QVORVM OPE ET AVXILIO.] Periphraſis eſt Bacchi & Cereris ex carmine Virgiliano, quamuis Macrobius & Probus per Liberum illic Solem interpretétur, per Cererem Lunam, quaſi dicat, quum Liber & Ceres dederint nobis panem & vinum, ægre ferrent ſi non hæc coleremus. Virg. *Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.*

PERONE.] Pero ex crudo corio calciamentum erat, quo & in bello vtebantur Virg. *crudus tegit altera pero.* & in venationibus aduerſus niues, vt ſcribit Horat.

POST FINEM AVTVMNI.] Quia tunc homines vigilare & lucubrare incipiunt.

RVBRAS.] Id eſt, miniatas. Nam minium, vt etiam Plin. ſcribit in voluminum ſcriptura vſurpabatur.

POSCE VITEM.] Id eſt centurionatum, in quo vitis geſtabatur, vt ante eſt dictum. POSCE, ſcilicet ab Imperatore. LIBELLO ſupplici.

NARES PILOSAS.] Nam piloſi homines maioris roboris exiſtimantur.

Lælius.]Lælium ponit pro eo qui militiæ curam ſuis temporibus habebat. Fac inquit vt Lælius à quo es ſcribendus centurio, & in militiam, te negligentem cultum corporis videat:nam ita putabit idoneum militem. Quid ſuſpicatur Fidentinus duce præceptore ſuo Lælium accipi hoc loco pro eo cuius meminit Mar.?nā ille Loctius dicebatur,& theatri non militiæ curam habebat.

Bvxo.]Id eſt,pectine:nam ex buxo fiebat. Mart.

Multifido buxus quæ tibi dente datur.

Grandes alas.]Id eſt grandibus pilis hiſpidas.nam virilitas indicium dat ex pilis,cum alibi, *fruticantibus tum ſub alis*, quo tempore adulti dicũtur hircoſi ob fœtorem hircinum.

Dirve mavrorvm atteias.]Id eſt in Mauritaniam extremam,aut ad caput Rheni vbi ſunt Brigãtes populi,& illic euerſis oppidis age ingentem prædam, quia ſcilicet in his locis tunc arma erant Romana. Atteias,alij accipiunt tigna Maurorum atteias mapalia ſignificare. ego potius intelligo hoc ſignificare Mauritaniam ad extremam partem Libyæ. Dionyſius,

Ad ſummam Libyen habitant Atteios Yndas,

Alcide qua ſunt ſtatuæ, Mauruſia plebes.

Castella brigantvm.]Brigantes populi iuxta caput Rheni Ptolemæus, *ad caput Rheni Tagetium Brigantium.*

Sexagesimvs annvs.] Nam ſexageſimo anno mittebantur à militia, ante miſſio non concedebatur.

Qvod vendere possis.]Nunc docet filium exercere viliſſimam etiam negotiationem,modo faciat lucrum.

Solvvnt ventrem.]Ex re naturali : nam ex timore aliquando ſoluitur venter.

Ablegandæ.]Etiam ſi ea merces ſit quæ fuerit mittenda vltra Tiberim:intelligit negotiationem coriorum : nam animalia excoriabantur trans-Tiberim. Mart. *Verum trans-Tiberina cutis.*

Vnguenta,& corium,lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet,illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur,diis,atque ipſo Ioue digna Poetæ.
Vnde habeas quærit nemo,ſed oportet habere.
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem,
Hoc diſcunt omnes ante alpha & beta puellæ.
Talibus inſtantem monitis quemcunque parentem
Sic poſſunt affari,dic ô vaniſſime, quis te
Feſtinare iubet,meliorem præſto magiſtro
Diſcipulum.ſecurus abi,vinceris vt Aiax
Præterit Thelamonem vt Pelea vicit Achilles,
Parcendum eſt teneris:nondum impleuere medullas
Naturæ mala,nequitia eſt cum pectere barbam

Cæcilius obiecit Calfurnio Beſtiæ quod vxores dormientes necaſſet: & omnes mortuas eſſe eius digito, quo ſcilicet genitalia earum cum aconito terigerat.

Relictis metis] Hoc eſt vltra metas. nam aurigarum diſciplina erat, vt à carceribus diſcedentes ad metam celerius peruenirent, quæ rotunda erat: & eam luſtrarent ſepties: quem ambitum qui primũ abſoluerent, declarabantur victores, indomiti equi ad metam non ſubſiſtebant. Filius, inquit, non ſolum ad metã perueniet, ſed præteribit ſuo impetu elatus.

Menichevs.] Thebanus pro ſalute patriæ morti ſe obiecit, vt ſcribit Ci. ſed Epaminundæ Thebani gloria efficit, vt huius laus obſcurior ſit, nam Thebani ſolum Epaminundam prædicant.

In quorum ſulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt
Continuo, tanquam & tubicen ſurrexerit vna.
Ergo ignem cuius ſcintillas ipſe dediſti
Flagrantem & late rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur miſero, trepidumque magiſtrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis geneſis tua: ſed graue tardas
Expectare colus: morieris ſtamine nondum
Abrupto. iam nunc obſtas, & vota moraris:
Iam torquet iuuenem longa & ceruina ſenectus.
Ocius Archigenem quære: atque eme quod Mitridates
Compoſuit, ſi vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare roſas. medicamen habendum eſt.
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater aut rex.
Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas prætoris pulpita lauti,
Si ſpectas quanto capitis diſcrimine conſtant
Incrementa domus: ærata multus in arca
Fiſcus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi:
Ex quo Mars vltor galeam quoque perdidit, & res,
Non potuit ſeruare ſuas. ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulea relinquas.
Tanto maiores humana negocia ludi.

In qvorvm svlcis.] Deſignat fabuloſam hiſtoriam Cadmi, vt & quod de Minicheo dixit fabuloſum oſtenda, vel certe vt Thebas

deſignet eius patriam hac periphraſi quod placet.

Alvmnvs.] Hoc dicit fortaſſe ex temporum hiſtoria. nam leo manſuetus temporibus Domitiani in theatro magiſtrum à quo fuerat educatus lacerauit. Martialis.

Læſerat ingrato leo perfidus ore magiſtrum.

Nota mathematicis.] Hoc eſt quamuis ex aſtrorum ratione quã mathematici nouerunt vita tua pendeat: tamen filius aſtrorũ curſum interpellabit. nam te interficiet ante deſtinatum tibi diem à fatis.

Obstas.] Moleſtus es filio tanquam obſtes quominus agat quicquid velit.

Senectvs cervina.] Quæ ei moleſta eſt: ac ſi vixiſſes diu vt ceruus: Plin. *Vita ceruis in confeſſo longa poſt. c. annos aliquibus captis cum torquibus aureis quos Alexander magnus addiderat, adopertis cute in magna obeſitate.*

Qvod mithridates.] Ideſt, antidotum de quo ante dictum eſt.

Pater avt rex.] Id eſt quo remedio non minus indiget iam pater in tanta filiorum prauitate, quam qui habet regnum.

Nvmmi ponendi ad castora vigilem.] Oſtendit imprudentiam auarorũ qui periculo vitæ pecunias acquirant, quas ſæpe ſolent amittere depoſitas apud nummularios. nam paulo ante, inquit, menſarij qui erant in tertio foro, ad ædem Martis vltoris, ſpoliati omnẽ depoſitam apud ſe pecuniam amiſerunt: adeo vt iam ad alterum forum ſint deponendæ, vbi eſt ædes Caſtoris. quod nonnulli dicunt de ærario publico, quod prius fuerit in æde Martis, & poſtea tranſlatum ad ædem Caſtoris. plane falſum eſt. nam ærarium publicum in æde ſemper fuit Saturni, nec hic de pecunia loquitur publica, ſed de priuata: Ad castora. Ideſt, apud nummularios, qui ſunt in altero foro ad ædem Caſtoris. ædem Caſtoris in foro fuiſſe ſcribit Tranquillus & Strabo.

Mars.] Ideſt menſarij qui ſunt in tertio foro vbi templum eſt Martis vltoris, cuius meminit Tranquillus.

Galeam qvoqve.] Ideſt, ornamenta etiam templi.

Omnia floræ.] Ideſt relinque ludos Florales, Cereris & Megaleſiacos, & ſpecta humana negocia, in quibus maiores ſunt ludi. & maior voluptas ſpectandi.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique ſolent rectum deſcendere funem,
Quam tu Coritia ſemper qui puppe moraris,
Atque habitas Coro ſemper tollendus & Auſtro
Perditus à Siculis ſacci mercator olentis:
Qui gaudes pingui antiquum de littore Cretæ
Paſſum, & municipes Iouis aduexiſſe lagenas.
Hic tamen ancipiti figens veſtigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque

Illa reſte cauet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius aſpice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum eſt iam
In pelago. veniet claſſis quocunque vocat te
Spes lucri, nec Carpathium, Getulaque tantum
Æquora tranſiliet: ſed longe Calpe relicta
Audiet Herculeo ſtridentem gurgite ſolem.
Grande operepretium eſt: vt tenſo folle reuerti
Inde domum poſſis, tumidaque ſuperbus aluta
Oceani monſtra, & iuuenes vidiſſe marinos.

AN.] compatat nunc ludos qui exhibentur in theatro cum iis quæ in rebus humanis ridenda ſunt. & hæc oſtendit eſſe maioris voluptatis ſi ſpectentur, quam ludos theatrales.

PETAVRO.] Petaurus à Marcello petauriſta etiã dicitur: is eſt qui corpus per circulos immittit πτίσμαι quod eſt volo. nam volare videtur. Mar.

Quid ſi per graciles vias Petauri?

Et alibi. *Qua rota tranſmiſſo totiens impacta Petauro.*

Meminit Firmicus in aſtronomico, qui affirmat tales homines naſci ſub Delphine. Fidenti. ſcripſerat Petaurum eſſe montem, & neſcio quas ineptias more ſuo: ſed ſcriptis noſtris nugas ſuas emendauit, vbi non omnio vel pertinax fuit, vel præceptore caruit: ſenſus eſt: an maiorem voluptatem affert petaurus in theatro quum iacit corpus per circulos, vel funambulus qui incedit per funem quam mercator qui nauigat propter opes maiore periculo vitæ, quam petaurus & funambulus in theatris ludant.

PVPPE CORITIA.] Ideſt erabũda & piratica. nam Cilices piratæ erant: vt ante eſt dictũ: vel coricia exponas, nam permanet in ſimilitudine theatri. theatrũ enim croco & vino ſpargebatur, vt in commentariis Martialis diximus: & tunc lubricum erat. Martialis.

Lubrica corìcio quamuis ſint pulpita nymbo.

Ait igitur petaurus & funãbulus non magis lubrico loco ſunt, quum ludunt, & præcipiti ad fallenda veſtigia in mortẽ, quã tu cũ es in naui, quæ quidem coricia eſt & lubrica in mortem, tanquam ſparſa croco, vt etiam theatrum.

SACCI OLENTIS.] Crocum vt puto intelligit, nam Siculi vt ſcribit Stra. frumentũ, crocum, mel, pecora, pelles, lanas in vrbem mittebãt: & ſiccanium crocum appellat Papinius in ſyluis.

PASSVM.] Paſſum vini genus eſt, quod olim è Creta mittebatur ex vua, quam σταφὶς Græci, nos apiam & ſirpulam appellamus: fit pluribus modis, ſed diligentiores vuas ſiccant ſole, donec paulo amplius dimidium pondus ſuperſit: grana eximunt quæ madefacta vino donec

Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur:
Tantis parta malis cura maiore metuque
Seruantur, miſera eſt magni cuſtodia cenſus:
Diſpoſitis prædiues hamis vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, ſignisque ſuis: phrygiaque columna,
Atque ebore, & lata teſtudine. dolia nudi
Non ardent Cynici, ſi fregeris altera fiet
Cras domus, atque eadem plumbo commiſſa manebit.

NON VNVS MENTES.] Multa, inquit, ſunt ſtultorum genera: Alij enim alia re inſaniunt, vt etiam Fiden. falſa autorum interpretatione. & hoc quoque, inquit, inſanie genus eſt quod ij nauigant tot periculis vt acquirant opes.

ILLE SORORIS.] Oreſtis furorem notat qui furias expaueſcebat, quum etiam in manibus Iphigeniæ ſororis eſſet, à qua purificatus eſt: alij Electram intelligunt, quum tamen id abſurdum ſit, nec huic loco conueniat.

IGNI.] Id eſt facibus furialibus.

HIC.] Scilicet Aiax: Aiax enim ſuperatus in armorum iudicio verſus eſt in furorem, & ſumpto flagello boues cædebat. quos per amentiam putabat eſſe modo Vlyxem, modo Agamemnonem. extat Sophoclis tragœdia, quæ Aiax ferens flagellum inſcribitur.

TVNICIS ATQVE LACERNIS.] Id eſt quamuis non inſectetur lacernatos & tunicatos iudices & homines & neminem cædat, tamen eget curatore qui nauigat, id eſt, eſt inſanus.

CONSCISVM ARGENTVM IN TITVLOS.] Hic totus verſus eſt periphraſis pecuniæ: nam pecunia ſignata eſt variis imaginibus & titulis, vt bigis, quadrigis, naui, Iano, pecude, victoria: vnde nũmi victoriati, quod Plinius ſcribit, ne paginam illius recitem.

ÆSTIVVM TONAT.] Id eſt tonitrua hæc non minantur tempeſtatem ait ſcilicet auarus, ſunt tonitrua inquit qualia ſunt æſtate.

SVFFICIENT.] Id eſt neceſſe erit ſit contentus pannis velantibus inguina.

PICTA.] Id eſt pendente ex collo, more naufragi, Perſius:

Cantas quum te in trabe pictum,
Ex humero portes.

ELECTRO.] Id eſt phialis ſuis ex electro. Electrum autem aurum eſt vbi ſit quinta argenti portio. Homerus regiam Menelai fulſiſſe ſcribit electro, auro, argento, ebore.

COLVMNA PHRYGIA.] .i. ex marmore ſinadico: quod phrygium eſt, vt ſcribit Stra.

EBORE.] Pro pedibus menſarum eburneis.

LATA TESTVDINE.] Id eſt pro lectis diſcubitoriis tectis putaminibus teſtudinum, vt ante eſt dictum.

Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò fœlicior hic qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus fortuna deam, menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus ſi quis me conſulat edam,
Inquantum ſitis atque fames, & frigora poſcunt,
Quantum Epicure tibi paruus ſuffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicet.
Acribus exemplis videor te claudere. miſce
Ergo aliquid de noſtris moribus, effice ſummàm
Bis ſeptem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque ſi rugam trahit, extenditque labellum:
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si non impleui gremium, ſi pánditur vltra
Nec Crœſi fortuna vnquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narciſci,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis vxorem occidere iuſſus.

ALEXANDER.] Alexander cum Corinthum veniſſet, vt ſcribit Plutar. illicque eſſet Diogenes Cynicus philoſophus, & ab eo non ſalutaretur, ipſe ad illum acceſſit, interrogauitque an aliqua re indigeret, nulla inquit niſi vt ne ſolem mihi occupes quo apricor. Mirantibus aliis reſpondit Alexander, Diogenes eſſe vellem, niſi eſſem Alexander.

MAGNVM HABITATOREM.] Id eſt excellēti animo opes contemnente Diogenem.

NVLLVM NVMEN.] Id eſt nullam potentiam: nam numen proprie dicitur Dei potentia, vt ſcribit Varro.

SVFFICIAT.] Ij omnes verſus qui ſequuntur, oſtendunt eum qui non ſit contentus rebus neceſſariis, non poſſe expleri vlla diuitiarum magnitudine. Epicurus & Socrates rebus neceſſariis vixerunt contenti, vt eſt apud Laertium.

ACRIBVS EXEMPLIS.] Id eſt videor tibi fortaſſe quod velim te cogere ad nimiam frugalitatem, dum ſuadeo vt ſis contentus rebus naturæ neceſſariis.

DE MORIBVS NOSTRIS.] Id eſt ſecundum cupiditatem noſtrorum temporũ. BIS SEPTEM ORDINIBVS.]Id eſt habeas tibi quadringenta, cenſum equeſtrem, ob quem permittit Roſcius Otho vt in quattuordecim ſedeas.

DVOS EQVITES.] i. octingenta ſeſtertia.

PANDITVR VLTRA.] .i. ſi adhuc plura quæris.

NARCISSI.] Narciſſus libertus Claudij Imperatoris, cuius meminerunt Tranquillus & Tacitus, is in inuidioſum diuitiarum cumulum rapinis locupletatus eſt Claudio permittente, eodem autore interfecta eſt Meſſalina Imperatoris vxor: nam deprehenſæ in adulterio cum Syllo & famoſis illis nuptiis veniam daturus erat Claudius. Sed Narciſſus Cornelio autore proſiliit, & centurionibus qui aderant Meſſalinæ cędem imperauit, affirmauitque Imperatorem ita iubere.

INDVLSIT.] Conceſſit.

IVSSVS.] Scilicet Narciſſo, nam viſus eſt iubere.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XV.

Qvis neſcit Voluſi Bityniee qualia demens
Ægyptus portenta colat. crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibyn:
Effigies ſacri nitet aurea cercopytheci,
Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ:
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam:
Porrum & cepe nefas violare ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis

QVIS NESCIT.] Ex Ægypto quo miſſus fuerat ſub ſpecie honoris militaris duas Satyras ſcripſit, & hanc quæ vltima eſt in antiquis codicibus, & alteram de commodis militiæ. Inuehitur autem nunc in mutua hominum odia & feritatem: notans ſcilicet Paridem,

lum naſcuntur, & adoratur Cercopithecus in Arabia ad Memnonium.

VETVS THEBE.] De cuius magnitudine ſcribunt Strabo & Plinius & Homerus diuitem appellat. Homerus,

Nec quot diuitias Ægyptia Theba recondit.

OBRVTA RVINIS.] Nam erat euerſa, vt ſcribit Strabo, cum centum portis, quas olim habuit, vt ſcribit Homerus.

CANEM.] Canem adorant, vt ſcribit Herodotus, & Cicero, & alij: adeo vt tota domus in qua canis extinguitur toto corpore radatur, quod maximi apud illos luctus indicium eſt. eum colunt, vt ſcribit Diodorus, quoniã canis dicitur adiuuiſſe Iſidem in indagando Oſiridis cadauere, qua de cauſa in ſacris Iſidis canes præcedunt.

NEMO DIANAM.] Hoc falſum eſt: nam vt ſcribit Herodotus, Bubaſtis dea colitur in Ægypto, quæ apud Græcos Diana eſt: ſed hoc ait Iuuenalis, alludens ad canes quibus Diana vtitur in venatione.

PORRVM ET CEPAE.] Idem tradit Diodorus, qui ait Ægyptios id inſtituiſſe cauſa valetudinis, vt ſcilicet lente, faba, porris, cepis abſtinerent. colunt etiam ſcarabeum, vt tradit Plinius.

Numina. lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. nefas illic fœtum iugulare capellæ:
Carnibus humanis veſci licet, attonito cum
Tale ſuper cœnam facinus narraret Vlixes
Alcinoo, bilem, aut riſum fortaſſe quibuſdam
Mouerat, vt mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abicit ſæua dignum veraque Carybdi
Fingentem immanes Læſtrigonas, atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia ſaxa
Cyanes, plenos & tempeſtatibus vtres
Crediderim, aut tenui percuſſum verbere Circes,
Et cum remigibus grunniſſe Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Pheaca putauit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyrea temetum duxerat vrna:
Solus enim hoc Itachus nullo ſub teſte canebat.
Nos miranda quidem, ſed nuper conſule Iunco
Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti,
Nos vulgi ſcelus, & cunctis grauiora cothurnis.
Nam ſcelus à Pyrra, quamquam omnia ſcirmata voluas,

LANATIS ANIMALIBVS.] In delitis vero habent vitulum & anſerem, vt ait Herodotus.

CARNIBVS HVMANIS.]Hinc totius ſatyræ indignatio aſſurgit, quod cum rebus viliſſimis abſtineant, ſæuiant in homines. CARNIBVS HVMANIS VESCI LIBET.] Hoc refert ad rem geſtam, quam eſt narraturus, vbi ſcilicet Ægyptij hoſtem comederunt. dicit autē ex ſtomacho nefas putant veſci his animalibus, & tamen carnibus humanis veſcuntur tanquam fas ſit. Fidenti. vero ex præceptoris diſciplina ait Ægyptios veſci parentibus, & hoc affirmando legit, dignus fortaſſe ipſe qui in epulas cædatur, ſi qua tamen etiam fera tam fœdis carnibus veſci poſſet.

VLYXES.] in nono Odyſſeæ apud Home. poſt cœnam narrat Alcinoo, à quo fuerat ſuſceptus hoſpitio curſum ſuum ex Troia, & vt primū peruenit ad Ciconias populos in Thraciā, deinde ad Lotophagos, ad Leſtrigonas vbi ſocium abſumpſit Antiphates, ad Polyphemum, vbi ſex amiſit.

TALE FACINVS.]Id eſt homines fuiſſe abſumptos à Polyphemo & Antiphate.

ARETALOGVS.] Is dicitur qui fingendis mendaciis auditores mouet ab arte verborum. nam ἀρετὴ ſignificat virtutem, & λόγος verba, vnde aretalogus. & Tranquil. ſcribit Auguſtum poſt cœnam areta logis delectatum eſſe, & Porphyrio ſcribit Plocium Criſpinum dictum eſſe aretalogum, quoniam garrula carmina ſcripſerit.

LESTRIGONAS & CYCLOPAS.]Qui ſcilicet ederint homines.

SYLLAN.] Qualem nobis narrat, vbi fecit naufragium, vt eſt apud Homerum.

SAXA CONCVRRENTIA.]Id eſt quod ſymplegades inter ſe concurrant & collidantur, vt ſcribit Home. & narrat Vlixes.

VTRES PLENOS.]Nam Vlixes narrat Æolum ſibi deſcendenti dediſſe vtrem, in quo erant venti omnes aduerſi, & liberum reliquiſſe Zephirum, qui nauiganti ſecundus erat, ſocioſque ſuos eo dormiente arbitratos ineſſe theſaurum ſoluiſſe vtrem, & ventis exeuntibus ſe tempeſtate relatum ad Æolum, quo tempore vt ait cogitauit de conſciſcenda morte.

HELPENORA.] Helpenor vt idem narrat vna cum quibuſdam aliis ſociis à Circe conuerſus eſt in ſuem, ſed omnes reſtituti fuerunt in priſtinam formam percuſſi tenui virga à Circe, quod ipſe precibus impetrauit.

DE CORCYREA.] Nam in Corcyra hæc narrabantur ab Vlixe.

SVB NVLLO TESTE]Id eſt cum nullus antea tale monſtrum vidiſſet. CONSVLE IVNCO, quaſi velit narrare veram hiſtoriam ponit nomen conſulis vt ei fides habeatur.

MOENIA COPTI.]Coptos communis eſt Ægyptiis & Arabicis vrbs, vt ſcribit Strabo. vltra Copton, inquit, nā erat in extrema Ægypto. Iu-

uenalis ad fines Arabiæ cum cohortibus.

CALIDAE.]ob regionem calidam.

Nullus apud tragicos populus facit.accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit æuo.
Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium,& nunquam ſanabile vulnus:
Ardet adhuc Combos,& Tentira.ſummus vtrinque
Inde furor vulgo,quod numina vicinorum
Odit vterque locus,cum ſolos credat habendos
Eſſe deos,quos ipſe colit.ſed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio,cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac ducibus,ne
Lætum hilaremque diem,ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent poſitis ad templa,& compita menſis,
Peruigilique thoro,quem luce,ac nocte iacentem
Septimus interea ſol inuenit.horrida ſane
Ægyptus:ſed luxuria quantum ipſe notaui
Barbara famoſo non cædit ripa Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis,&
Blæſis,atque mero titubantibus.inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Vnguenta,& flores multæque in fronte coronæ:
Hinc ieiunum odium. ſed iurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus,hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur,& vice teli
Sæuit nuda manus,paucæ ſine vulnere malæ
Vix cuiquam , aut nulli toto certamine naſus
Integer. aſpiceres iam tota per agmina vultus
Dimidios,alias facies,& hiantia ruptis
Oſſa genis,plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt ipſi tamen & pueriles
Exercere acies,quod nulla cadauera calcent.
Et ſanè quod tot rixantis milia turbæ
Sic viuunt omnes?ergo acrior impetus & iam
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis.

NVLLVS POPVLVS.]In tragœdiis,inquit,vnius tantum aut certe paucorum ſcelus refertur, quod ſcilicet hominem appoſuerint in epulas: ſed ego oſtendam populum vno conſenſu hominem comediſſe.

TENTIRA.]Inde Tentiritæ incolæ dicti ſunt,poſt paruam Dioſpolim vrbs eſt, vt ſcribit Strabo, ex qua homines à crocodillis timentur,vt Pſylli populi Aphricæ à ſerpẽtibus,quod in ſpectaculis Romæ ſæpe viſum eſt,vt ait Strabo.Ouidius mutauit ſyllabam,

— ſaltus Tentira petenti.

COMBOS.] Mendoſa dictio apud Ptolemæum, Ombos pro Combos.

NVMINA VICINORVM ODIT.]Nam vt Diodorus ſcribit diuerſorum finium homines inuicem diſſentiunt, mutuo ſibi impietatem obiicientes.

HORRIDA SANE AEGYPTVS.] Senſus eſt:hæc pars Ægypti in qua ego ſum,& res geſta eſt, inculta quidem eſt & horrida,ſed tamen non minus luxuriatur & laſciuit, quam ea pars Ægypti,quæ eſt ad Canopũ: nam vt alibi ex Strabonis ſentẽtia recitauimus, illic eſt Serapidis templum, quo nauigatur per foſſam, quæ die & nocte plena eſt nauiculis mulierum & virorum imprudentiſſime canentium & laſciuientium. Papinius,

Curua Therapnei laſciuiat ora Canopi.

Fidenti. ex præceptoris ſententia intelligit, *quamuis tota Ægyptus ſit inculta,tamen ad Canopum laſciuit*.ô præceptore amentiſſimo diſcipulum amentiorem! non hic loquitur Iuue. de his qui laſciuiũt ad Canopum, ſed de Combis &Tentiritis,quorum luxũ comparat cum Canopẽſibus, vt exponas. ÆGYPTVS.]hæc pars Ægypti vbi ſunt Tentiritæ.

NIGRO TIBICINE.]Æthiope,ſcilicet vel Arabe:nam ad eos fines ſunt Tentiritæ.

SANAQVE.] Hoc eſt putant neminem eſſe vulneratum,niſi aliquem interfecerint.

Incipiunt torquere,domeſtica ſeditione
Tela,nec hunc lapidem,quali ſe Turnus,& Aiax,
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Æneæ: ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſsimiles, & noſtro tempore natæ,
Nam genus hoc viuo iam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat,atque puſillos.
Ergo Deus quicunque aſpexit, ridet & odit.
A diuerticulo repetatur fabula,poſtquam
Subſidiis auctis pars altera promere ferrum
Audet, & infeſtis pugnam inſtaurare ſagittis:

Terga

Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus, inſtant
Qui vicina colunt vmbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque, aſt illum in plurima ſectum
Fruſta, ac particulas, vt multis mortuus vnus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aheno
Aut verubus: longum vſque adeo tardumque putauit
Expectare focos contenta cadauera crudo.
Hinc gaudere libet quod non violauerit ignem,
Quem ſumma cæli raptum de parte Prometheus
Donauit terris, elemento gratulor, & te
Exultare reor. ſed qui mordere cadauer
Suſtinuit, nihil vnquam hac carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites an
Prima voluptatem gula ſenſerit. vltimus autem
Qui ſtetit abſumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis aliquid de ſangine guſtat.
Vaſcones vt fama eſt alimentis talibus vſi
Produxere animas: ſed res diuerſa, ſed illinc
Fortunæ inuidia eſt, bellorumque vltima, caſus
Extremum, longæ dira obſidionis egeſtas.
Huius enim quod nunc agitur miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi. ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia quicquid
Cogebat vacui ventris furor, hoſtibus ipſis
Pallorem & maciem & tenues miſerantibus artus.

DOMESTICA TELA SEDITIONE.] Id eſt ſaxa contorquent, quæ ſunt tela familiaria & in promptu agentibus ſeditionem Virg.

Jamque faces & ſaxa volant.

Fidenti. per ignorantiam exponit, *domeſtica, quæ habentur domi*, quaſi vero alibi non reperiantur ſaxa. tu expone, vt dixi, domeſtica, id eſt, ſolita familiaria, conſueta in ſeditione.

TVRNVS ET AIAX.] Hic locus eſt partim ex Virg. nota hiſtoria de ſaxo Turni aduerſus Æneam; partim ex Home. vſque ad æmulationem. nam Home. in VI. Iliados ſcribit Aiacem multo maius ſaxum

Quorum ope & auxilio gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercus.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui ſummouet Euros
Pellibus inuerſis. peregrina, ignotaque nobis
Ad ſcelus, atque nefas, quecunque eſt purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Poſt finem autumni media de nocte ſuppinum
Clamoſus iuuenem pater excitat. accipe, ceras,
Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem poſce libello.
Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum atteias, caſtella Brigantum
Vt locupletem aquila tibi ſexageſimus annus
Afferat, aut longos caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepidum ſoluunt tibi cornua ventrem
Cum lituus audita, pares quod vendere poſſis
Pluris dimidio, nec te faſtidia mercis
Vllius ſubeant ablegandæ Tiberim vltra,
Nec credas ponendum aliquid diſcriminis inter

QVORVM OPE ET AVXILIO.] Periphraſis eſt Bacchi & Cereris ex carmine Virgiliano, quamuis Macrobius & Probus per Liberum illic Solem interpretētur, per Cererem Lunam, quaſi dicat, quum Liber & Ceres dederint nobis panem & vinum, ægre ferrent ſi non hæc coleremus. Virg. *Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.*

PERONE.] Pero ex crudo corio calciamentum erat, quo & in bello vtebantur Virg. *crudus tegit altera pero.* & in venationibus aduerſus niues, vt ſcribit Horat.

POST FINEM AVTVMNI.] Quia tunc homines vigilare & lucubrare incipiunt.

RVBRAS.] Id eſt, miniatas. Nam minium, vt etiam Plin. ſcribit in voluminum ſcriptura vſurpabatur.

POSCE VITEM.] Id eſt centurionatum, in quo vitis geſtabatur, vt ante eſt dictum. POSCE, ſcilicet ab Imperatore. LIBELLO ſupplici.

NARES PILOSAS.] Nam piloſi homines maioris roboris exiſtimantur.

Lælius.]Lælium ponit pro eo qui militiæ curam ſuis temporibus habebat. Fac inquit vt Lælius à quo es ſcribendus centurio, & in militiam, te negligentem cultum corporis videat: nam ita putabit idoneum militem. Quid ſuſpicatur Fidentinus duce præceptore ſuo Lælium accipi hoc loco pro eo cuius meminit Mar. nã ille Loctius dicebatur, & theatri non militiæ curam habebat.

Bvxo.]Id eſt, pectine: nam ex buxo fiebat. Mart.

Multifido buxus quæ tibi dente datur.

Grandes alas.]Id eſt grandibus pilis hiſpidas. nam virilitas indicium dat ex pilis, cum alibi, *fruticantibus tum ſub alis*, quo tempore adulti dicũtur hircoſi ob fœtorem hircinum.

Dirve mavrorvm atteias.]Id eſt in Mauritaniam extremam, aut ad caput Rheni vbi ſunt Brigãtes populi, & illic euerſis oppidis age ingentem prædam, quia ſcilicet in his locis tunc arma erant Romana. Atteias, alij accipiunt tigna Maurorum atteias mapalia ſignificare. ego potius intelligo hoc ſignificare Mauritaniam ad extremam partem Libyæ. Dionyſius,

Ad ſummam Libyen habitant Atteios vndas,
Alcidæ quæ ſunt ſtatuæ, Mauruſia plebes.

Castella brigantvm.]Brigantes populi iuxta caput Rheni Ptolemæus, *ad caput Rheni Tagetium Brigantium.*

Sexagesimvs annvs.] Nam ſexageſimo anno mittebantur à militia, ante miſſio non concedebatur.

Qvod vendere possis.]Nunc docet filium exercere viliſſimam etiam negotiationem, modo faciat lucrum.

Solvvnt ventrem.]Ex re naturali: nam ex timore aliquando ſoluitur venter.

Ablegandæ.]Etiam ſi ea merces ſit quæ fuerit mittenda vltra Tiberim: intelligit negotiationem coriorum: nam animalia excoriabantur trans-Tiberim. Mart. *Verum trans-Tiberina cutis.*

Vnguenta. & corium, lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet, illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, diis, atque ipſo Ioue digna Poetæ.
Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem,
Hoc diſcunt omnes ante alpha & beta puellæ.
Talibus inſtantem monitis quemcunque parentem
Sic poſſunt affari, dic ô vaniſſime, quis te
Feſtinare iubet, meliorem præſto magiſtro
Diſcipulum. ſecurus abi, vinceris vt Aiax
Præterit Thelamonem vt Pelea vicit Achilles,
Parcendum eſt teneris: nondum impleuere medullas
Naturæ mala, nequitia eſt cum pectere barbam

Cecilius obiecit Calfurnio Beſtiæ quod vxores dormientes necaſſet: & omnes mortuas eſſe eius digito, quo ſcilicet genitalia earum cum aconito tetigerat.

Relictis metis] Hoc eſt vltra metas. nam aurigarum diſciplina erat, vt à carceribus diſcedentes ad metam celerius peruenirent, quæ rotunda erat: & eam luſtrarent ſepties: quem ambitum qui primũ abſoluerent, declarabantur victores, indomiti equi ad metam non ſubſiſtebant. Filius, inquit, non ſolum ad metã perueniet, ſed præteribit ſuo impetu elatus.

Menichevs.] Thebanus pro ſalute patriæ morti ſe obiecit, vt ſcribit Ci. ſed Epaminundæ Thebani gloria efficit, vt huius laus obſcurior ſit, nam Thebani ſolum Epaminundam prædicant.

In quorum ſulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt
Continuo, tanquam & tubicen ſurrexerit vna.
Ergo ignem cuius ſcintillas ipſe dediſti
Flagrantem & late rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur miſero, trepidumque magiſtrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis geneſis tua: ſed graue tardas
Expectare colus: morieris ſtamine nondum
Abrupto. iam nunc obſtas, & vota moraris:
Iam torquet iuuenem longa & ceruina ſenectus.
Ocius Archigenem quære: atque eme quod Mitridates
Compoſuit, ſi vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare roſas. medicamen habendum eſt.
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater aut rex.
Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas prætoris pulpita lauti,
Si ſpectas quanto capitis diſcrimine conſtant
Incrementa domus: ærata multus in arca
Fiſcus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi:
Ex quo Mars vltor galeam quoque perdidit, & res,
Non potuit ſeruare ſuas. ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulea relinquas.
Tanto maiores humana negocia ludi.

In qvorvm svlcis.] Deſignat fabuloſam hiſtoriam Cadmi, vt & quod de Minicheo dixit fabuloſum oſtenda, vel certe vt Thebas

deſignet eius patriam hac periphraſi quod placet.

Alvmnvs.] Hoc dicit fortaſſe ex temporum hiſtoria. nam leo manſuetus temporibus Domitiani in theatro magiſtrum à quo fuerat educatus lacerauit. Martialis.

Laſerat ingrato leo perfidus ore magiſtrum.

Nota mathematicis.] Hoc eſt quamuis ex aſtrorum ratione quã mathematici nouerunt vita tua pendeat: tamen filius aſtrorũ curſum interpellabit. nam te interficiet ante deſtinatum tibi diem à fatis.

Obstas.] Moleſtus es filio tanquam obſtes quominus agat quicquid velit.

Senectvs cervina.] Quæ ei moleſta eſt: ac ſi vixiſſes diu vt ceruus: Plin. *Vita ceruis in confeſſo longa poſt. c. annos aliquibus captis cum torquibus aureis quos Alexander magnus addiderat, adopertis cute in magna obeſitate.*

Qvod mithridates.] Ideſt, antidotum de quo ante dictum eſt.

Pater avt rex.] Id eſt quo remedio non minus indiget iam pater in tanta filiorum prauitate, quam qui habet regnum.

Nvmmi ponendi ad castora vigilem.] Oſtendit imprudentiam auaroãũ qui periculo vitæ pecunias acquirant, quas ſæpe ſolent amittere depoſitas apud nummularios. nam paulo ante, inquit, menſarij qui erant in tertio foro, ad ædem Martis vltoris, ſpoliati omnẽ depoſitam apud ſe pecuniam amiſerunt: adeo vt iam ad alterum forum ſint deponendæ, vbi eſt ædes Caſtoris. quod nonnulli dicunt de ærario publico, quod prius fuerit in æde Martis, & poſtea tranſlatum ad ædem Caſtoris. plane falſum eſt. nam ærarium publicum in æde ſemper fuit Saturni, nec hic de pecunia loquitur publica, ſed de priuata: Ad castora. Ideſt, apud nummularios, qui ſunt in altero foro ad ædem Caſtoris. ædem Caſtoris in foro fuiſſe ſcribit Tranquillus & Strabo.

Mars.] Ideſt menſarij qui ſunt in tertio foro vbi templum eſt Martis vltoris, cuius meminit Tranquillus.

Galeam qvoqve.] Ideſt, ornamenta etiam templi.

Omnia floræ.] Ideſt relinque ludos Florales, Cereris & Megaleſiacos, & ſpecta humana negocia, in quibus maiores ſunt ludi. & maior voluptas ſpectandi.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique ſolent rectum deſcendere funem,
Quam tu Coritia ſemper qui puppe moraris,
Atque habitas Coro ſemper tollendus & Auſtro
Perditus à Siculis ſacci mercator olentis:
Qui gaudes pingui antiquum de littore Cretæ
Paſſum, & municipes Iouis aduexiſſe lagenas.
Hic tamen ancipiti figens veſtigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque

Illa reſte cauet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius aſpice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum eſt iam
In pelago. veniet claſſis quocunque vocat te
Spes lucri, nec Carpathium, Getulaque tantum
Æquora tranſiliet: ſed longe Calpe relicta
Audiet Herculeo ſtridentem gurgite ſolem.
Grande operepretium eſt: vt tenſo folle reuerti
Inde domum poſſis, tumidaque ſuperbus aluta
Oceani monſtra, & iuuenes vidiſſe marinos.

AN.] comparat nunc ludos qui exhibentur in theatro cum iis quæ in rebus humanis ridenda ſunt. & hæc oſtendit eſſe maioris voluptatis ſi ſpectentur, quam ludos theatrales.

PETAVRO.] Petaurus à Marcello petauriſta etiã dicitur: is eſt qui corpus per circulos immittit πτέρυμα quod eſt volo. nam volare videtur. Mar.

Quid ſi per graciles vias Petauri?

Et alibi. *Quæ rota tranſmiſſo toties impacta Petauro.*

Meminit Firmicus in aſtronomico, qui affirmat tales homines naſci ſub Delphine. Fidenti. ſcripſerat Petaurum eſſe montem, & neſcio quas ineptias more ſuo: ſed ſcriptis noſtris nugas ſuas emendauit, vbi non omnio vel pertinax fuit, vel præceptore caruit: ſenſus eſt: an maiorem voluptatem affert petaurus in theatro quum iacit corpus per circulos, vel funambulus qui incedit per funem quam mercator qui nauigat propter opes maiore periculo vitæ, quam petaurus & funambulus in theatris ludant.

PVPPE CORITIA.] Ideſt erabũda & piratica. nam Cilices piratæ erant: vt ante eſt dictũ: vel coricia exponas, nam permanet in ſimilitudine theatri. theatrũ enim croco & vino ſpargebatur, vt in commentariis Martialis diximus: & tunc lubricum erat. Martialis.

Lubrica coricio quamuis ſint pulpita nymbo.

Ait igitur petaurus & funãbulus non magis lubrico loco ſint, quum ludunt, & præcipiti ad fallenda veſtigia in morté, quã tu cũ es in naui, quæ quidem coricia eſt & lubrica in mortem, tanquam ſparſa croco, vt etiam theatrum.

SACCI OLENTIS.] Crocum vt puto intelligit, nam Siculi vt ſcribit Stra. frumentũ, crocum, mel, pecora, pelles, lanas in vrbem mittebãt: & ſiccanium crocum appellat Papinius in ſyluis.

PASSVM.] Paſſum vini genus eſt, quod olim è Creta mittebatur ex vua, quam σταφὶς Græci, nos apiam & ſirpulam appellamus: fit pluribus modis, ſed diligentiores vuas ſiccant ſole, donec paulo amplius dimidium pondus ſuperſit: grana eximunt quæ madefacta vino donec

Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur:
Tantis parta malis cura maiore metuque
Seruantur, miſera eſt magni cuſtodia cenſus:
Diſpoſitis prædiues hamis vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, ſignisque ſuis: phrygiaque columna,
Atque ebore, & lata teſtudine. dolia nudi
Non ardent Cynici, ſi fregeris altera fiet
Cras domus, atque eadem plumbo commiſſa manebit.

NON VNVS MENTES.] Multa, inquit, ſunt ſtultorum genera: Alij enim alia re inſaniunt, vt etiam Fiden. falſa autorum interpretatione. & hoc quoque, inquit, inſanie genus eſt quod ij nauigant tot periculis vt acquirant opes.

ILLE SORORIS.] Oreſtis furorem notat qui furias expaueſcebat, quum etiam in manibus Iphigeniæ ſororis eſſet, à qua purificatus eſt: alij Electram intelligunt, quum tamen id abſurdum ſit, nec huic loco conueniat.

IGNI.] Id eſt facibus furialibus.

HIC.] Scilicet Aiax: Aiax enim ſuperatus in armorum iudicio verſus eſt in furorem, & ſumpto flagello boues cædebat, quos per amentiam putabat eſſe modo Vlyxem, modo Agamemnonem. extat Sophoclis tragœdia, quæ Aiax ferens flagellum inſcribitur.

TVNICIS ATQVE LACERNIS.] Id eſt quamuis non inſectetur lacernatos & tunicatos iudices & homines & neminem cædat, tamen eget curatore qui nauigat, id eſt, eſt inſanus.

CONSCISVM ARGENTVM IN TITVLOS.] Hic totus verſus eſt periphraſis pecuniæ: nam pecunia ſignata eſt variis imaginibus & titulis, vt bigis, quadrigis, naui, Iano, pecude, victoria: vnde nũmi victoriati, quod Plinius ſcribit, ne paginam illius recitem.

ÆSTIVVM TONAT.] Id eſt tonitrua hæc non minantur tempeſtatem ait ſcilicet auarus, ſunt tonitrua inquit qualia ſunt æſtate.

SVFFICIENT.] Id eſt neceſſe erit ſit contentus pannis velantibus inguina.

PICTA.] Id eſt pendente ex collo, more naufragi, Perſius:

Cantas quum te in trabe pictum,
Ex humero portes.

ELECTRO.] Id eſt phialis ſuis ex electro. Electrum autem aurum eſt vbi ſit quinta argenti portio. Homerus regiam Menelai fulſiſſe ſcribit electro, auro, argento, ebore.

COLVMNA PHRYGIA.] .i. ex marmore ſinadico: quod phrygium eſt, vt ſcribit Stra.

EBORE.] Pro pedibus menſarum eburneis.

LATA TESTVDINE.] Id eſt pro lectis diſcubitoriis tectis putaminibus teſtudinum, vt ante eſt dictum.

Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò fœlicior hic qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus fortuna deam, menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus ſi quis me conſulat edam,
Inquantum ſitis atque fames, & frigora poſcunt,
Quantum Epicure tibi paruus ſuffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicet.
Acribus exemplis videor te claudere. miſce
Ergo aliquid de noſtris moribus, effice ſummam
Bis ſeptem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque ſi rugam trahit, extenditque labellum:
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si non impleui gremium, ſi pánditur vltra
Nec Crœſi fortuna vnquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narciſci,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis vxorem occidere iuſſus.

ALEXANDER.] Alexander cum Corinthum veniſſet, vt ſcribit Plutar. illicque eſſet Diogenes Cynicus philoſophus, & ab eo non ſalutaretur, ipſe ad illum acceſſit, interrogauitque an aliqua re indigeret, nulla inquit niſi vt ne ſolem mihi occupes quo apricor. Mirantibus aliis reſpondit Alexander, Diogenes eſſe vellem, niſi eſſem Alexander.

MAGNVM HABITATOREM.] Id eſt excellẽti animo opes contemnente Diogenem.

NVLLVM NVMEN.] Id eſt nullam potentiam: nam numen proprie dicitur Dei potentia, vt ſcribit Varro.

SVFFICIAT.] Ij omnes verſus qui ſequuntur, oſtendunt eum qui non ſit contentus rebus neceſſariis, non poſſe expleri vlla diuitiarum magnitudine. Epicurus & Socrates rebus neceſſariis vixerunt contenti, vt eſt apud Laertium.

ACRIBVS EXEMPLIS.] Id eſt videor tibi fortaſſe quod velim te cogere ad nimiam frugalitatem,dum ſuadeo vt ſis contentus rebus naturæ neceſſariis.

DE MORIBVS NOSTRIS.] Id eſt ſecundum cupiditatem noſtrorum temporũ.BIS SEPTEM ORDINIBVS.]Id eſt habeas tibi quadringenta,cenſum equeſtrem,ob quem permittit RoſciusOtho vt in quattuordecim ſedeas.

DVOS EQVITES.]·i.octingenta ſeſtertia.

PANDITVR VLTRA.] .i.ſi adhuc plura quæris.

NARCISSI.] Narciſſus libertus Claudij Imperatoris, cuius meminerunt Tranquillus &Tacitus,is in inuidioſum diuitiarum cumulum rapinis locupletatus eſt Claudio permittente,eodem autore interfecta eſt Meſſalina Imperatoris vxor:nam deprehenſæ in adulterio cum Syllo & famoſis illis nuptiis veniam daturus erat Claudius. Sed Narciſſus Cornelio autore proſiliit,& centurionibus qui aderant Meſſalinæ cędem imperauit,affirmauitque Imperatorem ita iubere.

INDVLSIT.] Conceſſit.

IVSSVS.]Scilicet Narciſſo,nam viſus eſt iubere.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XV.

QVis neſcit Voluſi Bityníce qualia demens
Ægyptus portenta colat. crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibyn:
Effigies ſacri nitet aurea cercopytheci,
Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ:
Atque vetusThebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam:
Porrum & cepe nefas violare ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis

QVIS NESCIT.] Ex Ægypto quo miſſus fuerat ſub ſpecie honoris militaris duas Satyras ſcripſit, & hanc quæ vltima eſt in antiquis codicibus, & alteram de commodis militiæ. Inuehitur autem nunc in mutua hominum odia & feritatem : notans ſcilicet Paridem,

lum naſcuntur, & adoratur Cercopithecus in Arabia ad Memnonium.

VETVS THEBE.] De cuius magnitudine ſcribunt Strabo & Plinius & Homerus diuitem appellat. Homerus,

Nec quot diuitias Ægyptia Theba recondit.

OBRVTA RVINIS.] Nam erat euerſa, vt ſcribit Strabo, cum centum portis, quas olim habuit, vt ſcribit Homerus.

CANEM.] Canem adorant, vt ſcribit Herodotus, & Cicero, & alij: adeo vt tota domus in qua canis extinguitur toto corpore radatur, quod maximi apud illos luctus indicium eſt. eum colunt, vt ſcribit Diodorus, quoniã canis dicitur adiuuiſſe Iſidem in indagando Oſiridis cadauere, qua de cauſa in ſacris Iſidis canes præcedunt.

NEMO DIANAM.] Hoc falſum eſt: nam vt ſcribit Herodotus, Bubaſtis dea colitur in Ægypto, quæ apud Græcos Diana eſt: ſed hoc ait Iuuenalis, alludens ad canes quibus Diana vtitur in venatione.

PORRVM ET CEPAE.] Idem tradit Diodorus, qui ait Ægyptios id inſtituiſſe cauſa valetudinis, vt ſcilicet lente, faba, porris, cepis abſtinerent. colunt etiam ſcarabeum, vt tradit Plinius.

Numina. lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. nefas illic fœtum iugulare capellæ:
Carnibus humanis veſci licet, attonito cum
Tale ſuper cœnam facinus narraret Vlixes
Alcinoo, bilem, aut riſum fortaſſe quibuſdam
Mouerat, vt mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abicit ſæua dignum veraque Carybdi
Fingentem immanes Læſtrigonas, atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia ſaxa
Cyanes, plenos & tempeſtatibus vtres
Crediderim, aut tenui percuſſum verbere Circes,
Et cum remigibus grunniſſe Elpenorá porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putauit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyrea temetum duxerat vrna:
Solus enim hoc Itachus nullo ſub teſte canèbat.
Nos miranda quidem, ſed nuper conſule Iunco
Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti,
Nos vulgi ſcelus, & cunctis grauiora cothurnis.
Nam ſcelus à Pyrra, quamquam omnia ſcirmata voluas,

LANATIS ANIMALIBVS.] In delitis vero habent vitulum & anſerem, vt ait Herodotus.

CARNIBVS HVMANIS.]Hinc totius ſatyræ indignatio aſſurgit, quod cum rebus viliſſimis abſtineant, ſæuiant in homines. CARNIBVS HVMANIS VESCI LIBET.] Hoc refert ad rem geſtam,quam eſt narraturus,vbi ſcilicet Ægyptij hoſtem comederunt. dicit autẽ ex ſtomacho nefas putant veſci his animalibus, & tamen carnibus humanis veſcuntur tanquam fas ſit. Fidenti. vero ex præceptoris diſciplina ait Ægyptios veſci parentibus,& hoc affirmando legit,dignus fortaſſe ipſe qui in epulas cædatur, ſi qua tamen etiam fera tam fœdis carnibus veſci poſſet.

VLYXES.] in nono Odyſſeæ apud Home. poſt cœnam narrat Alcinoo,à quo fuerat ſuſceptus hoſpitio curſum ſuum ex Troia,& vt primũ peruenit ad Ciconias populos in Thraciã, deinde ad Lotophagos, ad Leſtrigonas vbi ſocium abſumpſit Antiphates,ad Polyphemum,vbi ſex amiſit.

TALE FACINVS.]Id eſt homines fuiſſe abſumptos à Polyphemo & Antiphate.

ARETALOGVS.] Is dicitur qui fingendis mendaciis auditores mouet ab arte verborum. nam ἀρετὴ ſignificat virtutem, & λόγος verba, vnde aretalogus. & Tranquil. ſcribit Auguſtum poſt cœnam areta logis delectarum eſſe, & Porphyrio ſcribit Plocium Criſpinum dictum eſſe aretalogum,quoniam garrula carmina ſcripſerit.

LESTRIGONAS & CYCLOPAS.]Qui ſcilicet ederint homines.

SYLLAM.] Qualem nobis narrat,vbi fecit naufragium,vt eſt apud Homerum.

SAXA CONCVRENTIA.]Id eſt quod ſymplegades inter ſe concurrant & collidantur,vt ſcribit Home.& narrat Vlixes.

VTRES PLENOS.]Nam Vlixes narrat Æolum ſibi deſcendenti dediſſe vtrem,in quo erant venti omnes aduerſi,& liberum reliquiſſe Zephirum, qui nauiganti ſecundus erat,ſocioſque ſuos eo dormiente arbitratos ineſſe theſaurum ſoluiſſe vtrem,& ventis exeuntibus ſe tempeſtate relatum ad Æolum,quo tempore vt ait cogitauit de conſciſcenda morte.

HELPENORA.] Helpenor vt idem narrat vna cum quibuſdam aliis ſociis à Circe conuerſus eſt in ſuem,ſed omnes reſtituti fuerunt in priſtinam formam percuſſi tenui virga à Circe, quod ipſe precibus impetrauit.

DE CORCYRBA.] Nam in Corcyra hæc narrabantur ab Vlixe.

SVB NVLLO TESTE]Id eſt cum nullus antea tale monſtrum vidiſſet. CONSVLE IVNCO,quaſi velit narrare veram hiſtoriam ponit nomen conſulis vt ei fides habeatur.

MOENIA COPTI.]Coptos communis eſt Ægyptiis & Arabicis vrbs, vt ſcribit Strabo. vltra Copton,inquit,nã erat in extrema Ægypto. Iu-

uenalis ad fines Arabiæ cum cohortibus.
CALIDAE.]ob regionem calidam.

Nullus apud tragicos populus facit.accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit æuo.
Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium,& nunquam ſanabile vulnus:
Ardet adhuc Combos,& Tentira.ſummus vtrinque
Inde furor vulgo,quod numina vicinorum
Odit vterque locus,cum ſolos credat habendos
Eſſe deos,quos ipſe colit.ſed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio,cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac ducibus,ne
Lætum hilaremque diem,ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent poſitis ad templa,& compita menſis,
Peruigilique thoro,quem luce,ac nocte iacentem
Septimus interea ſol inuenit.horrida ſane
Ægyptus:ſed luxuria quantum ipſe notaui
Barbara famoſo non cedit ripa Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis,&
Blæſis,atque mero titubantibus.inde virorum
Saltatus nigro tibicine,qualiacunque
Vnguenta,&flores multæque in fronte coronæ:
Hinc ieiunum odium. ſed iurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus,hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur,& vice teli
Sæuit nuda manus,paucæ ſine vulnere malæ
Vix cuiquam ,aut nulli toto certamine naſus
Integer. aſpiceres iam tota per agmina vultus
Dimidios,alias facies,& hiantia ruptis
Oſſa genis,plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt ipſi tamen & pueriles
Exercere acies,quod nulla cadauera calcent.
Et ſanæ quod tot rixantis milia turbæ
Sic viuunt omnes?ergo acrior impetus & iam
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis

Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus, inſtant
Qui vicina colunt vmbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque, aſt illum in plurima ſectum
Fruſta, ac particulas, vt multis mortuus vnus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aheno
Aut verubus: longum vſque adeo tardumque putauit
Expectare focos contenta cadauera crudo.
Hinc gaudere libet quod non violauerit ignem,
Quem ſumma cæli raptum de parte Prometheus
Donauit terris, elemento gratulor, & te
Exultare reor. ſed qui mordere cadauer
Suſtinuit, nihil vnquam hac carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites an
Prima voluptatem gula ſenſerit. vltimus autem
Qui ſtetit abſumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis aliquid de ſangine guſtat.
Vaſcones vt fama eſt alimentis talibus vſi
Produxere animas: ſed res diuerſa, ſed illinc
Fortunæ inuidia eſt, bellorumque vltima, caſus
Extremum, longæ dira obſidionis egeſtas.
Huius enim quod nunc agitur miſerabile debet
Exemplum eſſe tibi. ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia quicquid
Cogebat vacui ventris furor, hoſtibus ipſis
Pallorem & maciem & tenues miſerantibus artus.

DOMESTICA TELA SEDITIONE.] Id eſt ſaxa contorquent, quæ ſunt tela familiaria & in promptu agentibus ſeditionem Virg.

Jamque faces & ſaxa volant.

Fidenti. per ignorantiam exponit, ***domeſtica, quæ habentur domi,*** quaſi vero alibi non reperiantur ſaxa. tu expone, vt dixi, domeſtica, id eſt, ſolita familiaria, conſueta in ſeditione.

TVRNVS ET AIAX.] Hic locus eſt partim ex Virg. nota hiſtoria de ſaxo Turni aduerſus Æneam; partim ex Home. vſque ad æmulationem. nam Home. in vi. Iliados ſcribit Aiacem multo maius ſaxum

torſiſſe aduerſus Hectorem. & in quinto idem eſt autor Diomedem torſiſſe in Æneam, quantum duo homines mea, inquit, ætate non tollerent.

PERCVSSIT COXAM.] Idem ſcribit Homerus ἰσχίον, idem coxendidem.

QVEM VALEANT.] Hoc dicit in ęmulationem Homeri. nam ille ait, quātum duo homines mea ætate non tollerent.

DECRESCEBAT.] Nam Homerus ait ex perſona Neſtoris. & alibi ſæpe homines quotidie naſci minores, quod ex illius autoritate repetitum eſt à Pli.

PALMÆ.] Nam palmarum prouentus illic eſt.

HIC GAVDERE LIBET.] Id eſt, in hoc ego lætor quod non coxerint captiuum mortuum, ne ſcilicet polluerent ignem tanto ſcelere.

QVI SVSTINVIT.] Qui primus auſus fuit iniicere morſus, tanta auiditate comedit, vt nunquam quicquam comederit auidius.

DVBITES AN.] quaſi dicat, vt certo ſcias fuiſſe etiam in eo gulæ voluptatem.

VASCONES.] Vaſcones Hiſpaniæ populi ſunt poſt montes ex Tarraconenſi Hiſpania ad Oceanū, qui olim bellis Sertorianis obſeſſi extrema fame, ne fidem in populum Romanum violarent in ſuorum cadauera morſum iniecerunt, quo tempore. Qu. Metellus aduerſus Sertorium bellum gerabat. Syllius, *aut Vaſco inſuetus galea.*

Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua. quiſnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Viribus abnuerit dira, atque immania paſſis,
Et quibus illorum poterant ignoſcere manes,
Quorum corporibus veſcebantur? melius nos
Zenonis pracepta monent. nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. ſed Cantaber vnde
Stoicus, antiqui præſertim ætate Metelli?
Nunc totus Graias, noſtraſque habet, orbis. Athenas.
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam rhetore Thyle.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute, atque fide: ſed maior clade Saguntus
Tale quid excuſat. Mæotide ſæuior ara
AEgyptus, quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inuentrix homines, vt iam quæ carmina tradunt
Digna fide credas, tantum immolat: vlterius nil,

Aut grauius cultro timet hoſtia. quis modo caſus
Impulit hos? quæ tanta fames, infeſtaque vallo
Arma coegerunt, tam deteſtabile monſtrum
Audere? an ne aliam terra Memphitide ſicca
Inuidiam facerent nolenti ſurgere Nilo?
Qua nec terribiles Cymbri, nec Britones vnquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi.
Hac ſæuit rabie imbelle & inutile vulgus,

MELIVS NOS ZENONIS PRAECEPTA.]Id eſt nunc fortaſſe id nō agēdū eſſe à Vaſconibus, vel à nobis, etiam in extrema fortuna, cum iam didicerimus à philoſophis Stoicis non omnia eſſe agenda pro vita, ſed ea tantū quæ non repugnant cū honeſto. ZENONIS.]Zeno ſtoicorum princeps, Cicienſis fuit ex Cypro Stoicæ ſectæ autor & magiſter, Minaſſei filius, vel vt alij ſcribunt, Demeæ.

QVAEDAM.]Quæ ſcilicet non repugnant cum honneſto.

CANTABER.]Cantabri Hiſapniæ populi. Occeani refuſione ab Aſturibus ſeparantur, tam immani feritate, vt plerique ab hoſtibus capti, & ſuffixi crucibus, Pæana cecinerint, domiti ab Auguſto, autor Strabo.

VNE STOICVS.]Hoc eſt ignorabant præcepta philoſophiæ Vaſcones & Cantabri, propterea ederunt hominem in obſidione.

METELLI ANTIQVI.]ad differentiam aliorum Metellorum, de quibus Plinius multa in. vii. Hic fuit qui ad verſus Sertoriū pugnauit extrema ætate luxuria notatus, de quo hiſtoriam ſcripſit Salluſtius.

ATHENAS GRAIAS.] Id eſt, diſciplinas Græcas & philoſophicas, quaſi dicat iam omnes nouimus præcepta philoſophiæ, vt excuſatio non ſit ſi hominem edimus.

MAIOR CLADE.]Nam Saguntus in Hiſpania ab Hannibale obſeſſa eſt, & ad extremam famem compulſa, vt Liuius ſcribit, & Syllius cecinit.

ARA MEOTIDE.]Meotis paulus Scythiæ, quam accolæ Temerradam appellant, quod ſignificat matrem maris, autor Plinius: in ea regione mactabantur hoſpites ad aram Dianæ, notiſſima hyſtoria. & Albani, vt autor eſt Strabo ſupra Pontum ſeruum ſaginatum per annum Lunæ mactant.

ANNE ALIAM.]Id eſt, ſi Dij irati Ægyptiis nollent Nilum inundare Ægyptum, Ægyptij non poſſent vlla maiore ac magis impia vltione trahere eos in inuidiam, quam veſci carnibus humanis.

NOLENTI SVRGERE NILO.]Id eſt, inundare agros Ægyptios, vnde feracitas Ægyptia conſtat.

BRITONES.] Populi Germaniæ à Britone filio terræ, cuius Mannus fuit filius, autor eſt Corne.

SAVROMATAEQVE.]De Sauromatis ante diximus.

AGATHYRSI.]Populi Scythiæ ab Agathyrſo. Her. filio auro & opibus luxuriantur, vt ſcribit Hero. de his plura alibi.

Paruula fictibus ſolitum dare vela phaſelis,
Et breuibus picta remis incumbere teſtæ.
Nec pœnam ſceleri inuenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares ſunt,
Et ſimiles ira, atque fames, molliſsima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur.
Quæ lachrimas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus.
Plorare ergo iubet cauſam lugentis amici
Squalloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumſcriptorem, cuius manantia fletus
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. quis enim bonus, & face dignus
Arcana qualem Cereris vult eſſe ſacerdos,
Vlla aliena ſibi credat mala? ſeparat hoc nos,
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti
Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram ſpectantia. mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præſtare iuberet,
Diſperſos trahere in populum, & migrare vetuſto
De nemore, & proauis habitatas linquere ſyluas:
AEdificare domos, laribus coniungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Vt collata daret fiducia, protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem,
Communi dare ſigna tuba, deffendier iiſdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.
Sed iam ſerpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis ſimilis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam, ſæuis inter ſe conuenit vrſis

PHASELIS FICTILIBVS.] Strabo ſcribit foſſas eſſe in Ægypto, quæ tanta facilitate nauigantur, vt nonnullæ ſcaphas teſtaceas.i.fictiles habeant, alibi præterea idem eſt autor Pactonem eſſe in Ægypto nauiculæ genus textæ ex viminibus, hæc autem ait vt oſtendat tanto minus his ignoſcendum eſſe, cum molles & effœminati veſcãtur carnibus humanis, quod non faciunt feri populi.

DIGNVS FACE ARCANA CERERIS.] Scilicet de qua multa diximus illic:

Qualia ſecreta coluerunt Orgia tædæ.

Papinius:

Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

Eſt autem periphraſis hominis pij: nam impij voce præconis ſubmouentur à ſacris Cereris, vt ſcribit Tranquillus in Nerone: quaſi dicat Iuuena. quis nunc eſt pius, qualem oportet eſſe in ſacris Cereris. Fidentinus vero clunicus hunc locum à præceptore ſuo non diſcedens, ita interpretatur: *Quod debemus exiſtimare mala aliena noſtra eſſe, quemadmodum mala Cereris fuerunt mala Athenienſium, qui laborarunt ſterilitate rapta Proſerpina.* Vide quo ſupplicio dignus ſit qui hunc locum ex malis exponit. Quid enim bona diceret, cum praue exponeret, credo enim voluiſſe blandiri præceptori, ne eo doctior aut ſapientior videretur.

SED IAM SERPENTVM.] Verba ſunt Pli. in hunc ſenſum vt alter ab altero accepiſſe videatur. Plin. *Denique cætera animantia in ſuo genere probe degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſsimilia, leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes, nec maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diuerſa genera ſæuiunt, at Hercule homini plura ex homine ſunt mala.*

MACVLIS COGNATIS.] Id eſt feris quæ habeant eaſdem maculas.

Aſt homini ferrum letale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt: cum raſtra, & ſarcula tantum
Aſſueti coquere, & marris, ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excudere fabri:
Aſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia vultum
Crediderint genus eſſe cibi. quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen?

PYTHAGORAS.] Pythagoras Samius cum ſentiret animos hominum poſt mortem migrare in noua corpora, vel hominum vel brutorum

carnibus abſtinuit, ne ſcilicet edendo in animos humanos ſæuiret: abſtinuit & fabis, quamuis Ariſtoxenus autore Gellio Pythagoram fabas ediſſe, & hædis teneris porculiſque ſolitum veſci ſcribat: ſed Callimachus, & Cicero, & Laertius eum abſtinuiſſe teſtantur.

NON OMNE LEGVMEN.] Nam faba abſtinuit, quoniam vt ſcribit Cicero, inflationem affert: vnde perturbatur animus & mens.

IVNII IVVENALIS AQVINATIS,

SATYRA XVI.

QVis numerare queat fœlicis præmia, Galle,
Militiæ? nam ſi ſubeantur proſpera caſtra,
Me pauidum excipiat tyronem porta ſecundo
Sydere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quam ſi nos Veneris commendet epiſtola Marti,
Et Samia genitrix, quæ delectatur harena:
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit: ne te pulſare togatus
Audeat. immo & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos,
Bardiacus iudex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ,

QVIS.] Penultimo loco hæc Satyra edita eſt à Iuue. ſed librariorum culpa in finem tranſlata: quem errorem ex codicibus antiquis facile dignoſcas. hanc ſcripſit cum primum venit in Ægyptum in Paridis Pantomimi inuidiā à quo legatus fuerat falſa honoris ſpecie cohortis præfectus. primum ſub obſcure calamitatem ſuam deſignat, tum laudat commoda militiæ, ne Paris miſerum eum putet & infœlicem, quod maxime optabat.

GALLE.] Ad Gallum amicum ſcribit.

MILITIÆ FOELICIS.] Non calamitoſæ, qualis eſt mea.

SVBEANTVR PROSPERA CASTRA.] Id eſt, ſi daretur vt iremus in caſtra ſine calamitate, vt nunc veni.

PORTA.] Nam duæ erant caſtrorum portæ, quarum altera decima dicebatur.

EXCIPIAT.] Optantis eſt.

PAVIDVM.] Epitheton tyronis.

SECVNDO SIDERE.] Non aduerſo, vt nunc veni. Marti.

— à quo diligitur Venus.

SAMIA GENITRIX.] Id eſt Iuno mater Martis, quæ colitur in Samo: nam vt ſcribit Oui. in Faſtis: natus Mars ex Iunone, facta grauida tactu florum.

QVÆ DELECTATVR HARENA.] Alij aliter expoſuerunt. ego intelligo eſſe alluſionem nominis ad Samum, vt dicat Iuno Samia, quæ delectatur Samo: nam ἄμμος ſignificat harenam, vnde Samos: Strabo tamen Samum putat appellatam à ſummitate, quia inde ſpectatur Ida & regia Priami, vel à Sais priſcis Thraciæ cultoribus, quorum etiam meminit Archilochus.

TOGATVS.] Id eſt qui non eſt aſcriptus in militiam.

BARDIACVS.] Hunc locum deprauatum emendauimus. codices .n. ferme omnes habent. *Bardaicus*, vt etiam Fidentinus legit, affirmans eſſe proprium nomen iudicis, & neſcio quas fabulas afferens, licet demum addiderit ſententiam noſtram: ſed confuſam & imperfectam, à veteri enim & ſtulta diſcedere non poterat, nos bardiacum legimus ex verſu Mar. *Laſſi bardiacos quod euocari.* Bardiacus enim eſt ſagulum militare ex pilis caprorum, vt ex Varrone Virgi. Columella illic diximus,

Diſcit ab hirſuta iaculum torquere capella.

Hic accipio bardiacum epitheton calcei, vt ex habitu deſignet centurionem qui & calceis Ciliceis vtatur, & grandioribus tibialibus, tales calcei vdones apud Mar. inſcribuntur.

CALCEVS BARDIACVS.] Id eſt ciliceus & grandes ſuræ, DATVR IVDEX.] .i. centurio vtens calceis bardiacis & grandibus tibialibus eligitur iudex tibi togato ſi volueris accuſare militem à quo ſis pulſatus; quaſi dicat miles de milite erit iudex, & ei fauebit.

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Seruato, miles nec vallum litiget extra,
Et procul à ſignis. iuſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite, nec mihi deerit
Vltio, ſi iuſta defertur cauſa querelæ.
Tota cohors tamen eſt inimica, omniſque manipli
Conſenſu magno efficiunt, curabitis vt ſit
Vindicta, & grauior, quam iniuria, dignum erit ergo
Declamatoris mutinenſis corde Vagelli;
Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clauorum. quis tam procul abſit ab vrbe?
Præterea quis tam Pylades molem aggeris vltra

Vt veniat? lachrymæ ſiccentur protinus, & ſe
Excuſaturos non ſollicitemus amicos.
Da teſtem iudex quem dixerit, audeat ille
Neſcio quis, pugnos qui vidit, dicere, vidi,
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Maiorum, citius falſum producere teſtem
Contra paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Premia nunc alia, atque alia emolumenta notemus

MORE CAMILLI.] Nam Camillus poſt ſeptimum annum Veientanæ obſidionis cum illuc miſſus eſſet, vt acrius obſeſſos vrgeret, quos decimo tãdem anno redegit in ditionem, milites in caſtris diligentiſſime continuit, non patiens eos euocari vlla, vel iudicij, vel aliarum rerum neceſſitate.

IVSTISSIMA COGNITIO CENTVRIONVM.] .i. Merito igitur centurio eligitur iudex. quibus verbis oſtendit ſe eo loco deſignaſſe centurionẽ, vbi ait, *bardiacus datur hæc, &c.* vt expoſuimus: nam hoc ad illud refertur.

CORDE VAGELLI.] Vagellum ſui temporis audaciſſimum notat cauſidicum, qui malas cauſas audebat ſuſcipere inquiens, perſuaſio iſta & defenſio, vt .ſ. cum ſis togatus & inermis audeas offendere accuſando militem, boni oratoris non eſt: ſed temerarij, qualis eſt Vagellus Mutinenſis.

TOT CALIGATOS.] Id eſt tot manipulares: nam caliga erat manipularium, vt ſcribit Tranquillus. *Caligula*, inquit, *dictus eſt, quoniam manipulari habitu inter milites eſt educatus.*

TOT MILIA CLAVORVM.] Id eſt tot milites, qui tibialibus vtuntur, multis clauis fabricatis: quod in armis Achillis ſcribit. Home.

TAM PROCVL AB VRBE.] .i. quis eſt tam rudis & ruſticus vt hoc ignoret non eſſe agendum.

TAM PILADES.] Id eſt quis eſt tam amicus volens ſubire periculum pro amico, vt Pilades per Oreſte.

VLTRA MOLEM AGGERIS.] .i. intra caſtra.

LACHRYMÆ SICCENTVR.] Oſtendit nullum genus fauoris in iudicio eſſe togato aduerſus militem: Eſto, inquit, omittamus quod non poſſis flere & lachrymis tuam cauſam facere miſerabilem, eſto quod non poſſis adducere amicum, quia nemo audet venire, ſi etiam iure agere velis, es deſtitutus omni ope. nam eſto quod iudex etiam velit admittere teſtem tuum, qui viderit te pulſari, nullus erit teſtis qui audeat illud teſtificari. hunc totum ſenſum ignorarunt Fidenti. & eius præceptor, legentes. *da iudex dixerit, da teſtem, quem ſubaudi das*, & ita ſenſum confundentes. Nos vero ita exponimus. da teſtem, id eſt eſto quod à te ſit producẽdus teſtis verborũ tuorum, quem iudex dixerit ſe accepturum:

acceptūrum, nam do, dico, addico, tria verba erant iudicis, vt eſt apud Macro.

Amicos.] togati. Dignvm barba.] Numerandus inquit erit inter auos & maiores noſtros, qui ſeueriſſimi fuere, ſi auſus fuerit hoc teſtificari.

Paganvm.] Ideſt non initiatum militiæ, pagani. n. dicuntur non initiati ſed ruſtici & rudes.

Sacramentorum, conuallem ruris auiti
Improbus, aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo,
Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos
Vana ſuperuacui dicens chirographa ligni:
Exſpectandus erit, qui lites inchoet annus
Totius populi: ſed tunc quoque mille ferendæ,
Tædia, mile moræ, totiens ſubſellia tantum
Sternuntur, iam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fuſco iam micturiente parati
Digredimur, lentaque fori pugnamus harena.
Aſt illis, quos arma tegunt, & balteus ambit,
Quod placitum eſt illis præſtatur, tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.
Solis præterea teſtandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus,

Sacramentorvm.] Ideſt militum, qui in militiam iureiurando ſunt aſcripti: & hoc verbum oppoſuit ei quod dixit paganum.

Expectandvs erit.] Hunc verſum male vt puto à Seruio acceptũ. alij interpretes illũ ſequuti non vere expoſuerunt: morem enim fuiſſe aiunt, vt initio anni perſcriberentur, qui eſſent litigaturi toto anno: quorum cauſæ niſi eſſent definitæ, alij non poſſent nouas lites inchoare. hoc & nuſquam reperi & per abſurdum videtur, ſed & decepti ſunt quod ait poeta Totivs popvli, non intelligentes hoc referri ad centum viros iudices: nam centum viri ex triginta quinque tribubus, in quas totus populus erat diuiſus, eligebantur terni ex ſingulis centum dicti, vt ſcribit Pompeius, quamuis eſſent centum & quinque, hi iudicabant de tutelis, agnationibus, depoſito, finibus, vt ſcribit Cicero, aliiſque ciuilibus cauſis, quales hic commemorat Iuuenalis: ſed longis interuallis ad iudicandum conueniebant: nec enim centum iudices facile cogebantur omnes, nec perpetuo ius dicebãt:

iccirco lites quæ apud eos agebantur in multam diffcrebantur diem, inde ita Tranquillus in Veſpaſiano: *elegit qui iudicia centumviralia quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuiſſimum numerum*, & in Domitiano *ambitioſas Centumvirorum ſententias reſcidit.*

Lites totivs popvli.] Ideſt quæ aguntur apud iudices electos ex tribubus & toto populo.

Annvs.] Non duodecim menſes, hoc loco ſignificat, ſed longiſſimam moram & interuallum iudiciorum centumviralium, vt illud apud Terentium: *Dum comuntur, dum ornantur annus eſt.* Si inquit volo agere cauſam aliquam ciuilem, vt de finibus, de depoſito,& id genus neceſſe eſt expectem diutiſſime antequam conueniant ad iudicandum Centumviri, apud quos ſcilicet litigandum eſt.

Sacrvm.] Nam ſacra fiebant in finibus agrorum, quæ ambarualia dicta ſunt, qualia celebrat Tibullus:

Quiſquis adeſt valeat, fruges luſtramus & agros.

Fiebant item ſacra intra quintum & ſextum lapidem, quoniam illic fuit aliquando finis agri Romani: locus eſt appellatus feſti ſacrũ amburbiale. autores Strabo & Pompe.

Svbsellia.] Scilicet Centumvirorũ parantur, & nihil ipſi audiunt.

Lacernas.] Lacernas lege non lucernas,raro inquit iudicant Centumviri,& iũ quoque,cũ conueniunt iudicaturi,ſedent ocioſi, donec Ceditivs, hic autem fuit iudex temporibus Iuuenalis de quo ante eſt dictum, qui oſtentat lacernas ſuas tedio moræ affectus, eas deponere cupit: & Aurelius fvscvs alter iudex & potu oblectatus poſt longam moram cupit meire, huius iudicis ebrietatem notat, vt Martialis, Sextiliani.

Sextiliane bibis quantum ſubſellia quinque.

Et Cedicij oſtentationem in lacernis carpit. fvsci meminit Plinius: aitque eum fuiſſe motum equeſtri ordine.

Parati digredimvr.] Ideſt diſcedimus à ſubſelliis Centumvirorum non dicta cauſa,ſed tantum parati ad dicendum.

Lenta harena.] Ideſt antequam cauſam poſſimus agere in foro diu iactamur: quaſi ſcilicet meditemur pugnam & ſimulacra-belli, venturi tandem aliquando in veram litem.

Longo svfflamine.] Ideſt, longo ambitu litis.

Omne tenet cuius regimen pater, ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorumque æra merentem,
Quamuis iam tremulus captat pater: hunc labor æquus
Prouehit, & pulchro reddit ſua dona labori.
Ipſius certe ducis hæc referre videntur,
Vt qui fortis erit, ſit fœliciſſimus idem,
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

CORANVM.] Hunc ponit pro eo qui captatur, æmulatione Horatij, Horatius.

Captatorque dabit riſus Naſica Corano.

Corani alterius meminit Martialis. Sed hic pro eo tantũ qui captatur.

MERENTEM ÆRA CASTRORVM.] Ideſt qui locupletatur ſtipendiis, laudat legem quod ſcilicet bona caſtrenſia ſint tantum filiorum.

TORQVIBVS.] Torques militares erant ſumpto more à Gallis, vnde torquari. Strabo in decimo ita ſcribit *ſimilia ſunt: & quæ apud Thraces celebrantur: Quæ cocytia & mendidia dicuntur, apud quos & orphica initium habuerunt*, ipſam ſane Cocyn: quæ apud Edonios colitur, & eius inſtrumenta memorat Æſchylus. *Hic manibus bombicam tornatam tenens digitis tactilem modulos implet.* Quo ex loco planum eſt Æſchylium appellaſſe Cererem Cocyn, quam Iuuenalis Cocyto dixit. nam vt teſtimonio Ouidij docuimus coniuncta erant Cereris cum Baccho ſacra. Cocytia ſacra commemorat etiam Porphyrio.

NIhil mihi in toto opere perficiendo moleſtius fuit, quã quod Fidentinus ita plerũque occurrebat ſuis ineptiis, vt eas refellere pigeret. Nã quum ſcripta noſtra aliquando legiſſet, quæ à ducentis ferme auditoribus excepta ſunt, hoc anno Brotheo duce & præceptore ſuos commentarios, quos olim ei dicauerat emendare conatus eſt. Quòd facile agnoſcas. Nam vbi in veram incidit ſententiam quam à nobis accepit, ſuam illam veterem proponit, falſam quidem & ridiculam: tum aut meam non probat quam non percipit, aut alios aliter ſentire affirmat. Recte quidem, nam quotiens bene ſentiendum eſt ad alios refert autores. Ipſe enim bene nunquam ſenſit: niſi quum nuper ex academia Romana magno auditorũm conſenſu exploſus, in triuio ludum aperuit, ad prima rudimenta tradenda vix receptus: Sed ita me deus amet, pudet de homine verba facere. Eſt enim non modo indoctus, ſed etiam quod ex eius ſcriptis facile agnoſcas parum prudens: ab omnibus ludibrio habetur. Brotheum excipio, qui ſimilis ingenij, & doctrinæ hominem magni facit. Ridebamus nuper cum quibuſdam iuuenibus doctiſſimis, quum Fidentini paradoxa in manibus eſſent. Nã ſponſione certa in prima pagina eius quinternionis quem ſorte exciperent, tres errores indicaturum pollicitus ſum: quod profecto tã fœliciter egi, vt ex primis decẽ verſibus quatuor ſeſe obtulerint. quid omnes numerem? ſunt enim prope infiniti. Vna litura totus liber emendari pòteſt, vt lepidiſſimus poeta ait. Quod Choraules ſit proprium apud Tranquillum in Nerone. Quod Clunicus apud Martialem legatur à Clunia oppido Hiſpaniæ, vbi nos Clinicus legimus pro medico. Quod Zelotæ ſint Armeniæ populi: idque ſcribat Martialis, *tranſcurrunt Zelotæ leueſque lances*: : quum illic *Gabatæ* legatur. Quod Criſpinus piſcator fuerit Neronis filius. Sed nolo aliis redarguendi & ridendi materiam omnem præripere.

in iis, quoniam nos aliter ſcripſimus, ait ſe centum loca repræhendiſſe. Portenta ſunt, quæ multis etiam autoribus aut falſo aut non neceſſario nominatis in Iuuenalem edidit, & plane paradoxa, quod ipſa inſcriptione ingenue faſſus eſt. Sunt enim παρὰ δόξαν Et ſententiam Iuuenalis. Equidem hæc non ſcripſiſſem, ſi in vrbe tantum de hoc ageretur, vbi contemnitur. Sed quoniam ad alios hæc fortaſſe aliquando peruenient, nolui eos ignorare quis ſit Fidentinus, nę hominis ignorantiam academiæ, Romanæ vnde hæc emittuntur, aſſcribendam iudicent.

DOMITII CALDERINI VERONENSIS SECRETARII APOSTOLICI DEFENSIO

aduerſus Brotheum Grammaticum Commentariorum Martialis calumniatorem, cum recriminatione Retaxationis Plinianæ, in qua Brotheus ducentis & LXXV. locis præſtantiſſimum ſcriptorem deprauauit.

VTINAM Heli & Marce conſilio meo mihi vti licuiſſet quod ab ineunte ætate ſponte ſuſcepi, & omni tempore ſecutus ſum libentiſſime, nulla enim nobis contentio eſſet cum aduerſariis iſtis, qui nec ſuæ dignitatis vllam rationem habent, nec ſtudiorum meorum & otij, quod me profecto tantopere delectat, vix vt multis contumeliis, conuitiis, clamoribus tandē aliquādo excitari potuerim, & in hanc diſceptationē impelli turbulentiſſimam quidem & iſtorum odio incredibili, animiq; prauitate agitatam potius quam vlla litterarū cura, vel ſuſceptā vel confirmatam. Nam vt ſæpe ex me audiuiſtis, non diſſentiunt perditiſſimi homines, ſed oderunt. Non docent, ſed inuident: non diſputant, ſed obiurgant, & inſectantur. Nonne videtis quam ſoliciti ſint, quanta cōcurſatione omnes prēſant, per totam Vrbem errantes, duo leuiſſimi aſſeclæ, qui ſuam famam iamdiu prodiderunt, vt nunc obeſſe meæ conarentur. Hi Brothei Grammatici epiſtolarum inani numero gloriantur, libellum prægrandem fore denuntiant, in compitis oſtentant. Denique duæ alieni furoris faces, ad optimi cuiuſque interitum comparatæ omnium oculis ſeſe obiiciunt. Hæc & ſi à multis quotidie mihi nunciabantur, qui monebant & rogabant vt tam perditam maledicendi licentiam & temeritatem aliquando coercerem: tamen in animo erat diſſimulare tantiſper, dum tertium & quartum lucubrationis noſtræ quæ in manibus eſt, abſoluerem libros, in quibus non ſolum quæ multis epiſtolis calumniando & inuertendo obiiciunt facile confutauimus: ſed ita eorum coarguimus ignorātiam vt in ducentis & ſeptuagintaquinque locis Plinianum codicem, quem Brotheus imprimi iuſſit, deprauaſſe fateatur neceſſe ſit. Sed quum librarius meus nunc abſit ab Vrbe, quem intra triduum ſpero affuturum, eorum ſententiæ & auctoritati non nihil concedendum fuit. Qui interea aliquid à nobis emittendum cenſuerunt, quo ſuæ leui-

ſcribere affirmat vno latere Aſtragali duo puncta, altero quinque non eſſe, vt ſunt in talo aperte mentitur. Remittas velim aliquid mihi de perſona tua in hac altercatione, & æquo animo feras. Audes ne homo id ætatis & dignitatis quod vel non legiſti vel non percepiſti in eo clamare aliquem mẽtiri? Es ne tam duræ frontis vt ſi tibi Iulij Pollucis verba indicauero, te non pudeat. Si Iulium Pollucem habes, require in nono libro, vbi quum multa de Aſtragalo diſſeruiſſet, δυὰς φησὶν, καὶ πεντὰς ἐν ἀστραγάλοις, ὥσπερ ἐν κύβοις, οὐκ ἔνεστι. id eſt, vt hæc quoque ex nobis diſcas, qui Græce neſcis. Duo autem & quinque in Aſtragalis vt in Talis non ſunt. Recognoſce hæc verba, & aude negare aut verum eſſe quid nos tradidimus, aut falſum quod tu diſputaſti tantis contumeliis, & tam longa epiſtola, quę tota hac vna Pollucis ſententia exploſa eſt. quod enim aliud in nobis infirmare conatus es, quam quod diximus Teſſaram pauciorum laterũ eſſe quam Talum, vt tu cõtrarium aſtrueres? Iulius Pollux aduerſus te teſtimonium dicit, Martialis accuſat, præuaricatio tua eſt deprehenſa, quid in cauſa aut mihi amplius eſt deſiderandum, aut tibi præterea relinquitur? Eſto inquit Teſſara quod non ſit par numero Talorum, qui ſex lateribus ſunt. Imo ſe imparem ait, ſi Brotheum audimus, quoniam plures in ludum Tali quam Teſſaræ iactari ſoleant. Nam Euripides quadraginta Talorum numerum in ludo inſtituit. O vecordiam! ô ignorantiam non ferendam! Pollux à quo iſte peruerſe accipis, *In Teſſaris*, inquit, *aliquando punctus fuit, qui octo ſignificat*, ſed quũ Euripides inter quadraginta eiectis triginta imperaſſet Athenis numerum ad quadraginta collegit, & auxit. Auror enim fuit, quod Pollux apertiſſime docet, vt quum olim punctus octo tantum ſignificaret, iam eſſet qui pro quadringenra acciperetur, quem Euripidium dixerunt: tu vero quod de puncto ille ſcribit ad Talorum numerum per linguæ Græce ignorationem & ſtultitiam tuam refers. Quæ de Cane, Senione, Venere, Turricula, Talo, arrogantiſſime pronuntias, ea omnia in commentariis noſtris præſcripta ſunt, cum tertij decimi initio, tum in ſequentibus diſtichis vt ea inde diſcere potueris, quod in Iuuenalis quoq; ſententia explicanda non erubuiſti. Nam quum eo verſu, *Et latum media ſulcum deducit harena.* Supplicium deſignari tradidiſſem eius, qui vnco in Gemonias abiicitur, cuius tractu media harena deducit & deſignat ſulcum, addidiſſemq; duo eſſe pœnarum genera, eorum qui ad palum damnarentur, repetitis illic multis antiquorum monumentis, quod auditores noſtri exceperunt, tu cuiuſdam ſententiæ me autorem ſtatuẽs, quam nec dictaui vnquam nec animo concepi, noſtram accipis pro tua & à nobis in eum locum tradita epiſtolæ tuæ inſerere non vereris, ac pro tuis oſtẽtare, quæ tamen iam deprehenſa ſunt, & ad ſuum autorẽ non ſine tui furti irriſione reuertuntur. Sed iam de altero loco diſſeramus. Is eſt ex eo verſu,

Hoc opus eſt ſubito fias vt ſydere mutus. Et alibi.

Zoile percuſſa eſt ſubito tibi ſydere lingua.

Vbi nos Sydus pro morbo accipiendũ eſſe docuim⁹, à quo ſiderati dicũtur. His vt Plin. ſcribit, vrina pulli aſinini nardo admixto per cõiunctionem prodeſſe dicitur. Brotheus Sydere pro fato expoſuerat, nunc interpretatione noſtra admonitus aliquid addit, ne omnia dicere videatur,

Syderatio,inquit, *quã Græci ἀστροβολίαν, appellãt,non ſydus eſt,ſed morbus.* Quid deliras bone pater?quid tergiuerſaris?quin mihi agis gratias quod te tanto errore liberaui,qui ſydere pro fato illic acceperas ? Atque vt altero quoque te liberem primum dicas velim vbi ἀστροβολίαν, Syderationem quæ in homine aliquando eſt,morbum eſſe didiciſti?quis ſcribit? Theophraſtus quidem ait ἀστροβολίαν, in arbores aliquando cadere, in hominem,nemo. Syderatio vero hominum & arbori communis eſt,vt ſcribit Plin. Sed dictionem Græcam inculcare voluiſti, quam non recte didiciſti ab eo qui te nuper docuit,id quod ipſe dicere ſolet. De morbo inquã Martialis intelligit,quem Sydus appellat, Plin. autem ex deriuatiuo Syderationẽ. Audias Sobſecro,*ſubito ſydere fias mutus*,quo pacto interpretabimur, niſi *ſubito ſydere* id eſt, morbo quem Plin. Syderationem Martialis Sydus vocat,primitiuo vſus pro deriuatiuo, vt Plin. quoque carbunculum morbum appellat & ex eo carbunculationem : vermiculum & vermiculationem. Quid clamas?quid angeris?antequam hinc diſcedo tui erroris puerilis te pudeat neceſſe eſt : nam dum recte à nobis tradita auidius criminaris tuam prodidiſti ignorantiam bone pater? Quum Syderationem,quæ in hominem cadit à Sydere nomen deducere oſtendere velles,hæc Plin. verba attuliſti,*Syderatio tota è cælo conſtat.* Tune ita Plin. verba intelligis?tu ſenſum autorum ita interpretaris? tu iſto ingenio ita elatus es ? Hoc non de hominis vt putas, ſed arborum Syderatione ille ſcribit. *Communes enim quidam morbi ſunt*,vt ait, *homini & arboribus,vt cum alij,tum Syderatio & carbunculatio.* mox addit. *Syderatio* ſcilicet in arboribus,*tota è cælo conſtat*,id eſt ex iniuria & intemperie aeris, vnde grando in eius cauſis intelligi debet & carbunculatio. Quid apertius?& tamen non intelligis,ſed confundis,iactas,transfers, deriuas,peruertis,& quod ille de cauſis Syderationis in arboribus dixit,tu de hominis deriuatione ſcriptum per ignorantiam putas. Videtis quam inanis,quam arrogãs,quam temeraria Brothei de hoc reprehenſio fuerit. iam hoc tertio loco de quo diſputabimus, non tam inſectanda eſt hominis ignorantia quam prauitas indicanda,& præuaricatio,quæ facile ab omnibus deprehendi poterit,quum noſtrorum Commentariorum particula in qua calumniatur, recitata fuerit. De corde bubulo eſt diſtichon in vltimo libro.

Pauper cauſidicus nullos referentia nummos
Carmina quum ſcribas,accipe cor quod habes,

Vbi ita ſcripſimus, De crumena puto intelligẽdum eſſe in formam cordis:nam & bullam legimus formam cordis habuiſſe autore Macrobio, quæ nonnunquam ex loro fiebat : mittitur nunc cauſidico, qui Poëticæ interdum operam dabat cauſis omiſſis. Reprehenſor carminis Martialis ſupra.

Carpere cauſidicus fertur mea carmina.

Datur ergo ei cor bubulum anguſtiſſima crumena,quum male ſcribens carmina nullam conſequatur pecuniam. Vel ſi placet intellige de corde bouis,*cor quod habes*, id eſt accipe cor bouis, quia imprudens es, & alter bos. Brotheus ex duabus ſententiis in priore accuſanda longam epiſtolam conſumit,& multis quidem contumeliis additis,quę à nobis facillime

me refelli poſſunt. nihil enim diximus quod vel ab autoris ſenſu alienum ſit vel teſte careat, ſed alteram tantum ſententiam probat. vt dicas *cor quod habes*, quia imprudens es: à nobis ſcriptam fuiſſe non refert, ac pro ſua recitat. O inſignem calumniam! ô impudentiam ante hunc diem inauditam! Sexcenti ſunt codices commentariorum noſtroru[m] qui pro me teſtimoniũ dicũt. En hominem dignum quocum in tenebris mices, quũ tot tabellis obſignatis palã inficiari non erubeſcat. Speraſti te furto abuſurum, at deprehenſum eſt, te coarguit, derideris, & tamẽ eadẽ temeritate verba mea illic de Alica ſcripta cõfundis atque inuertis: nam de eo quoq; loco non nihil eſt ſcribendũ. Longã, cõtumelioſam, ſuperbiæ plenam epiſtolam cõpoſuit, qua obiurgat quod aquã mulſam in tanto precio eſſe tradiderimus, vt Varro morbũ regiũ dictũ ſcribat quod ea precioſiſſimo remedio curaretur. Vbi hoc legiſti in cõmentariis noſtris turpiſſime præuaricator? An tu nos ignoraſſe quod tribus in locis cõmentariorũ perſcripſimus? De Alica quod affirmauimus eã dari ſolitã aqua mulſa elotam. Plin. ſecuti ſumus autorem ita ſcribentẽ, *Alica res Romana eſt, non pridem excogitata*: Mox, *Nondum arbitror Pompeij magni ætate in vſu fuiſſe, eam eſſe quã eximie vtilẽ nemo dubitat, ſiue elota detur ex aqua mulſa, ſiue in ſorbitiones decocta*. Hæc Plinius. Nos vero ita in commentariis. *Alica ab alendo dicitur vt ſcribit Feſtus: tum ætate Pompeij magni non erat in vſu. Vtilis tamen habita eſt & ſaluberrima: ſiue potanda daretur in modum ptiſanæ, ſiue aqua mulſa elota.* Mox, quum eſſet explicandum id verbum diſtichi.

— mulſum poterit tibi mittere diues.

Hęc verba ſubiecimus, *in tanto pretio erat vt Varro ſcribat morbum regium dictum eſſe. quod mulſo precioſiſſimo remedio curabatur. licet aliter antea dictum ſit ex ſententia Cornelij Celſi.* Require præterea hæc in commentariis noſtris ſcripta in tertiodecimo: vbi de mulſo hæc, quum de paſſo ſcriberemus, *Dulce hoc quidem; ſed minoris precij quã mulſum, vt Varro, &c.* Ac ne omnino dubitares nos plane quid ſit mulſum intellexiſſe, eodem libro ille locus te monere potuit, vbi ita ſcripſimus. *Mulſum vinum de quo paulo ante eſt dictum, magno impendio fiebat, Attico melle temperatũ. huius confecturam docẽt Columella & Plin.* Nemo eſt, vt arbitror, qui ex his verbis non plane intelligat, me quid inter aquam mulſam & mulſum interſit cognitum habuiſſe. Brotheus vero ita verba mea recitat, vt non tam error meus in iis appareat, quam eius nefarium calumnię ſcelus. *In tanto pretio eſt aqua mulſa*, ita non ſcripſi nec in commentariis meis eſt, falſarie impudentiſſime, ſed quum mulſum interpretarer illud addidi. *In tanto pretio erat, vt Varro morbum regium.* Nec illic eſt aqua mulſa, de qua paulò ante eodem diſticho ſcripſeram. Ex Plin. non modo auctoritate, ſed verbis, vt ita docerem, quare mulſum cum alica mitteretur. Non poteſt enim non videri commercium mulſum cum alica, quum ea elueretur aqua etiam mulſa. Tu vero homo ad inanem doctrinæ iactantiam quam nullam habes cõparatam verba Plin. tota pagina recitas, Quid ſit mulſum: quid mellites? de Pollione Romulo, quid Auguſto reſponderit: nec tamen indicas vnde ea acceperis, vt inuentorum gloriam & doctrinæ laudem Plinio præripias. Nemo eſt qui impudentiam tuam non accuſet, iactantiam non

oderit, furta non derideat. Ego vero de mulſo ſatis habui digitum ad fontem intendere, vnde haurirent qui vellent ea omnia quæ tu tanquam libris Sybillinis legendis quindecimvir creatus recitas, & pro tuis arrogantiſſime vſurpas. Equidem omnem tibi accuſationem hoc loco remitto, tametſi ea obiicis quæ ſine flagitiorum tuorũ reprehenſione diluere non poſſim. Nam vt me de mulſo recte ſenſiſſe & ſcripſiſſe demonſtrarem, calumnia tua indicanda fuit, qua verba mea in commentariis peruertiſti. Illud vero quam ſtulte obiicit & accuſat quod apud Iuuenalem ita carmen illud legerimus.

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis, & Serano tenuique Saleio
Gloria quantalibet, quid erit ſi gloria tantum eſt?

Ipſe enim *ſalino* legendum contendit: credo vt Fidentino blandiretur, ad quem ſcribit, quem iure & merito vatem ſuum appellat, is enim Therſites tali Homero dignus eſt, aut certe homini gratiam referre voluit ob paradoxa & portenta in Iuuenalem ei quæ inſcripſit & dicauit, homo literatorum ludibrium, triuiorum dedecus, ex Academia Romana riſu & ſibilis iamdiu exploſus. Sed quid me angit ſi vterque inſanus eſt? ſi alter alterum ita extollit, vt vterque ab omnibus contemnatur? Nos quod in eo Iuuenalis carmine interpretando ſecuti ſumus, vel inimicis iudicibus probaturos confido. Atque vt inde incipiam, Codex meus perantiquus quem ex Gallia attuli, vobiſque ac multis aliis iam oſtendi, *Saleio* ſcriptum habet, non *ſalino*. Vidiſtis alterum eiuſdem vetuſtatis & fidei librum, quem Manilius auditor meus vobis aperuit, vbi eadem dictio ita vt in noſtro legitur. Iccirco in commentariis noſtris in Iuuenalem ita dictauimus. *Poeta diuitibus reſpondet, qui cõquerenti & indignãti nihil Poetis dari, obiicere poterant, quod eos laude contentos eſſe opporteret: diuitem Poetam, qualis fuit Lucanus, fama contentum eſſe poſſe inter opes, quum rebus ad victum neceſſariis minime indigeat, nihil vero prodeſſe laudem Serano & Saleio tenui ac pauperi, ſi præterea nihil habeãt. Seranus nomen Poetæ temporum Iuuenalis, cuius ſcripta ad nos non peruenerunt, vt Baßi, Vmbri, Caluini, multorum præterea quos Martialis nominat. Salei meminit Quintilianus & Cornelius qui quum eum oſtendat maximo in honore apud Veſpaſianum fuiſſe, hæc quoque de eodem ait. Securus ſit Aper & Saleius Baſſus, & quiſquis alius ſtudium Poeticæ & carminum gloriam fouet.* Brotheus vero ait ſalino ſarano id eſt, vitreo contentum eſſe oportere Lucanum in hortis marmoreis. Enimuero Brotheu iſto ſalino tuo nihil inſulſius eſt. Quin iſtam vocem compeſcis ignorantiæ indicem, ſtultitiæ teſtem? Si Lucanus diues eſt, & in Poetæ diuitis exemplum affertur, quo modo ſalino vitreo & tenui debet eſſe contentus? quaſi vero victum Lucano Iuuenalis illic præſcribat, & eius diuitias operibus paternis (quarũ etiam Tacitus meminit) non potius commemoret. Vbi apud Poetas legiſti vnquam ſalinum tenue pro menſa diuitis? Omitto Horatium, Papinium & alios apud quos ſalinum de frugali & paupere dici legere potuiſſes, niſi prouincialium negotiorum quæſtus te occupaſſet. Quid præterea conueniunt ſalinum vitreum & horti marmorei? O perditam audaciam & multorum annorum impunitate confirmatam. Tu nobis in-

terpretandi leges ſcribis ? Tu tanta dignitatis tuæ iactura de Martiale non tandem diſputare cœpiſti, in quo mihi crede parum vidiſti, quid te aut tuum ordinem deceat, cuius niſi rationem ducerem maximam, ea audires quæ à verecundo inimico vix commemorari poſſent. Sed iam ad eã quoque epiſtolam reſpondebo, qua eius verſiculi, *ſiue leuem curſu vicere quaris Atam* interpretationem noſtram carpit & obiurgat. Ea eſt. *Ata puer fuit qui Vipſano conſule à meridie ad veſperum ſeptuagintaquinque millia paſſuum cucurrit magna omnium admiratione: meminit hiſtoria* Plin. *omiſſo pueri nomine*. Si Plin. inquit nomen omiſit quomodo poteſt augurari Domitius Atam illum eſſe de quo Plin. ſcribit? Ego ita ſuſpicor, quoniam id ille pro miraculo refert, & ait nuper, id eſt, intra hos annos: hæc autem erant Martialis tempora, qui quum velociſſimum nominare vellet hunc magnæ admirationis accepit. nec mirum ſi nomen ille ſuppreſſit, hic retulit, quod in multis aliis fieri videmus: ſolent enim Poetę ſtudioſiſſime nomina vel repreſentare vel pro veris fingere. Atqui inquit Brotheus nomen ab Ata deductum putat, qui vt Feſtus affirmat terram vix ſummis veſtigiis attingit. Nec in hoc mentitus ſum, nonne ille ita ſcribit, *Ata qui attingunt magis terrã quam ambulant*? Id inquies accidit propter vitiũ crurũ. nec id me mouet. Ego hoc tantũ accipio quod ait *terrã magis attingunt quã ambulant*, quod in altero propter vitium in altero velocitate accidere poteſt: vt Solinus ait, Ladã Alexandri curſorem tantæ fuiſſe agilitatis, vt harenis pendẽtibus nulla indicia relinqueret veſtigiorũ. Ego antiquorũ ſequor auctoritatem, tu nullius: ego quæ Poetæ ſenſui conueniant, tu quæ abſurda & alieniſſima ſunt. Pudet enim referre quod ſcribis legendum eſſe Atlam, & hãc fuiſſe filiam Scinei. Vbi obſecro legiſti vnquam Atlam, vbi Poetarum omnium hoſtis & ignare ? Atalantas duas fuiſſe, alteram Iaſi, alteram Scinei filiam, ex Apolonij interprete in Propertij commentariis recitauimus. Atalantam Apolonius in Argaunotis, Ouidius, Poetæ omnes Græci Latinique dixerunt. Tu Atlam inculcas? tu Atla audes proferre? tu Atlam nominas? Sed demus hoc infantiæ tuæ, verſum quoque faciamus longiuſculum, atque vt vis legamus, *ſiue leui curſu vicere quaris Atalantem*, qui erit Poetæ ſenſus? Certabat ne Mart. amicus vincere Atalantem, quæ poſt tot hominum ſæcula vix ex fabula agnoſcebatur? nimis vrgeo, iam vt puto erubeſcis. An vbique Brotheus vel calumniatur, vel ſuam prodit ignorãtiam? Illud me quoque ad riſum imprimis prouocat, quod vbi pueriliter geſtit, vbi ſibi ipſi applaudit, vbi de curru victoriam ſaluat, in eo potiſſimum eſt ridiculus, nec ab ignominia vllo præſidio vindicatur: id quod ſtultis accidere aiunt, qui tum ſibi maxime ſapere videntur, quum plurimum inſaniunt: idem niſi de Brotheo omni luce clarius demonſtro, me de tota cauſa deiectum ludibrio haberi facile patiar. Per longam epiſtolam ſcribit in expoſitionem noſtram illius loci,

Sardonyca verum lychnitemque teruntium
Duaſque ſimiles fluctibus maris gemmas,
Dediſſe Baſſam Caltiamque iurabas.

Vbi nos ita ſcripſimus. *Lychnites lapides ſunt, à lucernarum ſplēdore dicti, quem præ ſe ferunt. Contra lychnites dicitur marmor quod lucernarum lumine ſub terra fodiebatur. Varro autor & Plin. codex antiquus habent lychnitemque teruncium ego autem legendum puto perunctum, hoc eſt nitidum & maxime ſplendentem. Nam λύχνος Græce Latine dicitur lucerna. Unde & lapis ipſe lychnites dicitur. Lychnus autem ſiue lucerna quo magis vncta eſt, eo plus flamma emittit.* Ex ea igitur *metaphora lychnitem perunctum id eſt, ſplendidum & flammas lucerna peruncta emittentem appellat in diſtichis.*

Non notat parcos vncta lucerna patres.

Gemmas id eſt ſmaragdos. Denique illud addidi, *placet ſmaragdos intelligas.* Quid hic accuſas Brotheus? an quod ſmaragdos illis verbis deſignari ſuſpicatus ſim, *duasque ſimiles fluctibus maris gemmas*, potius quam ſaphyros, vt tu cenſes intelligendum? cur ambigendum mihi non fuit: nam multæ gemmæ ſimiles fluctibus maris eſſe poſſunt: amethyſtus, quum mare purpureum dicatur, ſaphyrus, quum cærulea ſit: ſmaragdus, quum viridis. Nam cæruleum dixi non tam vt ſmaragdi colorem, quam vt maris ſignificarem: frequentius enim mare cæruleum, quam vel purpureum, vel viride legimus. Quum autem ſmaragdi à Martiale ſæpiſſime inter precioſos lapillos numerentur, ſaphyrus nuſquam apud eundem Poëtam legatur, malui de ſmaragdis quam de ſaphyro interpretari. Sed hoc non te mouet: illud accuſas quod *lychnici* ſcripſerim, pro *lychnite*. Ego non ita ſcripſi, id quod multis ſtatim oſtendi, à Plin. ea accepi verba. In nullo autem Pliniano codice lychnicus eſt, ſed lychnites in omnibus. Qui igitur potui aliter referre quam Plin. Ex cuius præſcripto ea docebam. Illud tantum explicaui diuerſis de cauſis marmor & lapillum lychnitem dici, quamuis vtrunque à lychno id eſt lucerna deducatur, quod alter flammas lucernæ præ ſe ferat, alterum lucernarum lumine, vt Varro tradit, ſub terra fodiebatur, Plin. *Ex genere ardentium lychnites appellata à lucernarum accenſarum præcipua gratia. Naſcitur circa Orthoſiam, totaq; Caria ac vicinis locis ſed probatiſſima in Indis, quam quidem remiſſiorem carbunculum eſſe dixerunt.* Sed in hoc non verſatur Brotheus, alibi habet accuſationis arcem, ex qua totam cauſam agit, alibi eſt iurgiorum caput, alibi eius furoris ſedes, quod cum verſiculum *Sardonica verum lychnitemque perunctum*, ita legerim vt verum, & perunctum pro epithetis gemmarum expoſuerim, ſardonica ſcilicet verum, & lychnitem perunctum. Hic clamat, multiſque contumeliis vociferatur, Verum & Perunctum eſſe propria nomina à quibus ſe gemmã accepiſſe dicebat Mancinus, à Vero ſardonycem à Terũcto lychnitem. Dicas oro interpres, Verus quis fuit? an Imperator? an qui nunquam mentiretur? Aut certe tandem expedi ſi potes quis hic fuerit? Hæres, os componis, manus denttitis. O ineptum hominem! Nonne vides ſardonyca frequenti epitheto verum à Martiale dici, quaſi primæ ſortis in ſuo genere, quum multi reperiantur non veri nec eiuſdem præſtantiæ? *Veros*, inquit, Plin. *non omnino ſardonycas naſci.* Idem de Onyce, vnde nomen deduxit ſardonyx, *Veram autem Onycem plurimas variaſque cum lacteis Zonis habere venas.* Idem Poëta alibi,

Veros ſardonycas, ſed ipſa tradat:

Alibi.

Sardonycas veros menſes quæſiuit in omnes.

Non vides inquam per epitheton à Martiale ſardonyca verum appellari? Non audis; quod ſi *verum ſardonyca* per epitheton legitur, ne tu quidem aduerſaberis quod ſequitur, *lychnitemque perunctum*, eodem modo eſſe accipiendum: ſiue aut perunctum, ſiue teruntum legas, nihil impedio nam vtrumque vim ſuperlatiui habet, modo admodum ſplendentem ex methaphora vt diximus exponas. Nam lychnites lapillus à lucerna dicitur, cuius accenſæ fulgorem præſe fert. Inde quod lucernæ conuenit, ad lapillum qui ab ea nomen eſt ſortitus, Poeta tranſtulit. Quid? inquies. veſtes perunctas dicemus lucidas? Quid ni ſi eædem lychnitæ appellarentur. Non enim perunctum nitentem vbique ſimpliciter expono, ſed vel in lychno id eſt lucerna vel in nomine ab ea deducto. Hic eſt ille locus in quo me tantis contumeliis onerasti, vbi triumphum tibi finxiſti, vbi ſi deo placet etiam in me deridendo facetus eſſe voluiſti. Nam *perunctum* inquis *hunc appellabimus.* Miror quum tam mihi infenſus ſis tanto odio, ſponte tua, nulla quidem culpa mea ſuſcepto inſecteris: cur perunctum appelles nomine proximo tuo gentilitio. Nam perunctus & peroſus finitima admodũ ſunt, atque eadem. Immo hoc plane tuum eſt. Nam Pogius vir eruditiſſimus, quum in te olim elegantiſſima epiſtola inueheretur, perunctum appellauit, alia vt puto de cauſa, quam vt ſplendentem ſignificaret. Epiſtola in manibus eſt tuarum virtutum teſtis, & æſtimationis. Itaque quod Pogius tibi honorifice detulit, nimium liberaliter ad alios remittis. Nam ſi eſt honeſtum, cur te eius pudeat? Si contumelioſum tibi tantum conuenit. Vel ob nomen gentilitium, quod paucis litteris immutatis idem eſt. Hæc ſeptem in commentariis noſtris accuſat Brotheus, in quibus ſatis, vt arbitror, hominis & prauitatem refellimus, & indicauimus ignorantiam: in quam mihi, credite nunquam tam turpiter eſſet lapſus, ſi ab officio non diſcedens mecum de his diſputaſſet aliquando, vt quotidie ſolebat, quamprimum è prouincia rediit: Hectorem enim Pomilionem ſuum ſingulis pene horis ad me mittebat, conſulebatque de rebus nonnunquam in quibus docendis me eius vicem pudebat, adeo peruulgatæ erant, & pueriles. Nam vel negociorum occupationibus oblitus eſſe, vel quod magis exiſtimo, nunquam didiciſſe aliquid videbatur. Renunciauimus ei more maiorum amicitiam quod an ipſius culpa an certa conſilii mei ratione acciderit, aliquando explicabimus. Nunc aliis eadem hac epiſtola reſponderem, niſi ad grauiorem illam actionem redeundum eſſet, vbi toto agmine non modo leues Brothei incurſiones repreſſimus: ſed omnino victum ac fugientem caſtris exuimus: penetrauimus enim in commentarionem illam Plinianam, vbi tercentum ex locis irrupimus, quæ ſua imperitia penitus concuſſerat & profligauerat. Quo in genere nũc tantum ſeptem proponam, vt cauſas agere à nobis diſcat: nam indiciorum & fori rationem non ſatis perſpectam habere videtur, quum ea

nn iij

aduerſario obiiciat quę & facillime dilui poſſint & eũ grauioribus carminibus reũ agant, id quod in pręſenti cauſa demonſtrauimus. Siquem accuſare vis Brotheu, quod à puero adamaſti, ea tibi coligẽda ſũt crimina quæ nulla tranſlatione, inficatione, diſputatione iuris, denique nullo defenſionis genere vel euerti poſſint, vel debilitari, ne odio & nefario tuo inſtituto potius quã honeſto ſtudio in cauſam deſcẽdiſſe videaris, & non tam potuiſſe accuſare, quam voluiſſe, quod ab omni viri officio alieniſſimũ eſt, in te vero etiã impium: Haud quãſimpliciter nos in te agemus. Plinium à doctiſſimis viris emendatũ, tu in ducentis & ſeptuagintaquinque locis peruertiſti. A proœmio orſus, libris de coſmographia intermiſſis, quã vix attingere auſus es, ad ſeptimum accurriſti: inde ad operis vſque exitũ, alia inuertendo, alia demendo, alia addendo, pulcherrimam hiſtoriam deprauaſti. Negas te in eo laboraſſe? at manus tua in margine codicis Pliniani eſt, quem librariis pro exemplo tradidiſti. Hic apud me eſt in tuæ ignorantiæ teſtimonium, multis ad me venientibus ſæpe profertur: Inficiaris? At quandringenti codices, qui ex tuo exemplo manarunt, teſtes ſunt. Itaque aut quæ commiſiſti defendas neceſſe eſt, aut culpam fatearis, quum nullus inficianti locus relictus ſit. In principio ſtatim proœmij vbi de Catullo. Hæc Plin. *Ille enim vt ſcis permutatis prioribus ſyllabis duriuſculum ſe fecit quàm volebat exiſtimari à tuis vernaculis & famulis.* Ita codices omnes habent, & legendum eſt. Nam quaſi Pli. Catulli exemplo, qui duriuſculos verſus fecit: vt alter quoque Plin. in epiſtola ſcribit, ſui operis obſcuritatem à familia imperatoria abhorrentem: cui expoſita & facilia præponenda erant, excuſare velit. Illius obiicit & proponit verſus, ſed mutatis numeris non. n. eo ordine verſũ recitat, quo ille ſcripſit, Hic ait, Ille permutatis prioribus ſyllabis. *Accuſabis* inquit *Catullus duriſiem meam, qui & ipſe duriuſcule ſcripſit, quam à tuis vernaculis & famulis exiſtimari vellet*, quaſi dicat & ille dura ſcripſit, & inſolita tuis famulis & vernaculis vt ego. *Tibi* non dixit, ne videretur aut poſcere vt legeretur ab Imperatore, aut illius ignorantiam damnare, Brotheus vero ſupercilio cenſorio, quum totum ſenſum ignoraret, ita inuertit, *quam volebat exiſtimari, à vernaculis ſuis*, quod autẽ ſequebatur, *& famulis*, deleuit. O ſtultum hominem, ſcribebatne Catullus vernaculis ſuis, an ciuium auribus? Totum Pli. ſenſum eo errore confudiſti. Sed hoc & reliquos in proœmio errores omitto: In libris qui de coſinographia ſequuntur, pauca quædam immutare auſus es, quæ vtinam preteriiſſes: ne in tot libris deprauata legerentur. In tertio *Proclyta*; inquit Plin. *non ab Ænea nutrice, ſed quia profuſa ab Ænaria erat.* Apertum eſt quod ſentiat Plin. Proclytam dici à βρυχίω quid eſt profundo. Fuit enim profuſa & diuulſa ab Ænaria: que eadem Inarime & Pythecuſa dicitur, quod & ipſe alibi ſcribit, & docet Strabo. Non autem nutrice Æuea, quæ Proclita diceretur? Huius meminit Dioniſius Halicarnaſeus, qui ait à Proclyta muliere Troiana Proclytã inſulam dici: cui ſententiæ aduerſans Plin. occurrit Brotheus ita ſcripſit. *Proclyta non à Caieta Æneæ nutrice*, Vide hominis imperitiam, qui putauit fieri poſſe vt à Caieta Proclytæ nomen

dicatur. Quæ malũ hic Caietæ mentio eſt, aut quæ cũ Proclyta literarum cognatio vel ſimilitudo? Caieta quidẽ ab Æneæ nutrice Caieta dicta eſt, non autẽ Proclyta. Tametſi illã quoq; Caietam nonnulli auctore Strabone appellatã putarũt quod ακαίατα, curua Lacones dicũt, qui illic Phormias in litore curuo cõdiderũt, & paulo poſt Pli. *hæc inter Pauſilypum & Neapolim Megaris.* Brotheus vero ita inuertit. *Inſer[illegible] nuns ſinum qua & Neapolis.* Nimirum Pauſilypũ nuſquam terrarũ eſſe putauit homo adeo locorum omnium ignarus, vt nec vbi terrarum ſit ſatis adhuc nouerit, quum tamen omnes codices Pauſilypum proferãt, quod ſi de Pauſilipo adhuc dubitas: lege Plin. in fine noni libri, vbi hæc reperies, *Pauſilypum villa eſt Campaniæ, haud procul à Neapoli. In ea in Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio coniectum piſcem ſexageſimum poſt annum expiraſſe ſcribit Anneus Seneca.* Iam tuum errorem vel inuitus agnoſcis. Hoc non eſt à Domitio in epigrammatis interpretatione diſſentire, quãuis in eo quoque turpiter labaris, ac non accuſes ſed tete accuſandum offeras. Plinij verba peruertis, quæ non intelligis, vt quum illic ſententiã aliquam vel ridiculam proponere poſſis, hic ignorantiam tantum fateri habeas. Sed iam ad ſeptimum venio, vbi tuæ deprauationis initiũ eſt, quod eadem temeritate in totius operis calcem perducitur. Plinius vbi de homine generando & pariendi tempore ſcribit. hæc tradit. *Ante ſeptimum menſem, haud vnquam vitalis eſt ſeptimo, non niſi pridie poſtero've plenilunij die, aut interlunio concepti naſcuntur: tranſlatitium in Ægypto eſt, & octauo gigni: iamquidem & in Italia tales partus eſſe vitales.* Partus inquit octauo menſe lethalis eſt. Ita enim eſt intelligendum, ſed tamen in Ægyptio indifferens, quod nec in aduerſum nec in proſperum magis accipiat euentum quã ſi alio tempere gigneretur. Iam, inquit, & in Italia indifferens eſt tales partus eſſet vitales. Nam non habetur miraculi loco ſi octauo menſe nati viuunt. Tranſlatitium indifferens ſignificat, quo verbo Gellius vtitur & Tranquillus eo loco. *Sed aduerſante conatibus ſuis. Mar. Antonio conſule, quem vel præcipuum adiutorem ſperauerat, ac ne publicum quidem & tranſlatitium vlla in re ſibi ſine pactione grauiſſimæ mercedis impartiente, ad optimates ſe contulit,* vbi trnſlatitium pro indifferentem dixit. Nec me fugit Pædianum ita ſcribere, *tranſlatitia, veteres dixerunt non noua nec nuper inuenta, ſed aliunde tranſlata,* vt etiam apud Plin. pro nouo poſſis accipere tranſlatitiũ, quaſi dicat nuper obſeruatum. nam pro nouo accipi teſtatur, Pædianius, quãuis antiquires aliter accepiſſe idem affirment. Hæc quoniam Brotheus non legerat, non intelligebat, ita immutauit. *Relatum in Ægypto eſt & octauo gigni*: quam quod à Pli. ſenſu alienum ſit, aliorum ſit iudicium. Tu Brotheu codices omnes ita ſcriptos peruertis magna ſtudioſorum iactura, peracerba Plinianæ dignitatis iniuria, grauiſſimo tuo dedecore & infamia. Eodem volumine Plin. *corpore veſco eſſe ſed eximiis viribus.* Veſcum quid ſit Feſtus docet. *Veſcum inquit pro puſillo vtebantur, quamuis Lucilius edacem Veſcum dixerit.* Mart. Veſcum exiguum interpretatur & minutum. Gellius. Ouidius idem. Brotheus quum Veſcum

quid eſſet, non intelligeret, ita inuertit. *Corpore neruoſis conſtat eſſe eximiis viribus.* O temeritatem! tu verborum Solini quæ non percipis vmbram quandam ſecutus, à Plinio recte ſcripta in tuæ ignorantiæ leges ducere audes. Si me audies operam dabis vt quæ ex tua deprauatione ſunt edita exempla omnia vel cōburantur, vel ſi quis tantum laborē ferre poſſit, emendentur, ne Plinianæ, vigiliæ ſua dignitate per tuum flagitium defraudatæ in poſteros propagentur. Equidem vereor: ne ſi omnia eius deprauationis teſtimonia ex ſeptimo tantum libro nunc ſumpſero: de reliquis ſilere videar, quod bene emendauerit, quum multo grauius in ſequentibus peccauerit, vbi Plinii hiſtoria & magis recondita eſt, & exquiſitioris doctrinæ artibus inſtructa. Sed ita profecto res habet, vt initio ſcripſimus nos hanc epiſtolam quaſi feriantes & ludentes ſcribere: nam in altero opere quod paulo poſt ederetur rota actione ſinguli librorum omnium eius errata perſecuti ſumus. Id quum nuper Brotheus ex quodam cui operis particulā oſtenderem: audiuiſſet, fuiſſetque ab eodem monitus, vt locum vndecimi emandaret, cuius reprehenſionem in libris noſtris forte ipſe legerat ſtatim trepidus ad malas artes confugit, & dolum nouumque commentus eſt mendacium, epiſtolamque quamprimum edidit, qua me in eo accuſat, in quo ipſum non modo reum habeo, ſed damnaui cunctis doctorum hominum ſuffragiis Nam in vndecimo vbi de apibus Plinius ita ſcribit. *Tunc oſtenta faciunt priuata & publica, vua dependente in domibus templiſue, ſæpe expiata magnis euentibus.* Brotheus nō intelligens quid ſit vua in apibus: ita deprauando ſuppoſuit *vnā dependentes*, pro *vua dependente.* Hunc autem locum apud Iuuenalem explicauimus eo verſu.

Examenque apium longa conſederit vua.
Culmine delubri.

Vbi hæc auditoribus dictauimus, recitatis primum Plinij verbis, *Vuam apes facere dicuntur, quum connexis pedibus in racemi ſpeciem dependent. Virg. de apibus.*

Immenſaſque trahi nubes iamque arbore ſumma.
Confluere, & denſis vuam demittere ramis.

Columella, animaduertito an totum examen in ſpeciem vnius vuæ dependeat. Tu vero Brotheu in margine codicis Pliniani qui apud me eſt *vnā dependentes* ſcripſiſti. Quadringenti codices iſtis mendis tuis impreſſi, ita habent. Theodorus vir doctiſſimus, Ioannes alleriensium præſul, alij præterea etiam tui aſſeclæ, hoc ſciunt, locum hunc legerunt, damnarunt ignorantiam, & tamen tu audes mentiri calumniandoque affirmare, vel te non ita ſcripſiſſe, vel me per peram auditores eum locum docuiſſe. Sed ad ſeptimum redeo. Eodem libro quum de prodigioſis partubus ſcribere vellet, ita exorſus eſt. *Tergeminos naſci certum eſt Horatiorum Curiatiorumque exemplo ſupra inter oſtenta adducitur, præter, uam in Ægipto vbi fœtifer potu Nilus. nam illic octo ſine oſtento, vt Solinus, expreſſit naſcuntur.* Vt vero Plin. demonſtraret plures tribus eodem partu naſci oſtentum eſſe, addit. proxime, *ſupremis diui Auguſti annis fauſta quadam*

è plebe

è plebe Oſtiæ duos mares totidem fœminas enixa, famem quæ ſecuta eſt, portendit haud dubie. Atque Brotheus, qui muſas ore ſuo locuturas fuiſſe, ſi ore humano loquerentur, exiſtimat: nec Plin. aliter ſcripſiſſe, quàm ipſe ſolet: vbi Plin. ait *ſupra*, hoc eſt vltra ternarium numerum *inter oſtenta adducitur*, deprauando ita ſcripſit, *ſed hoc inter oſtenta adducitur*: non vides tantum abeſſe, vt quæ vult Plin. ſentias, vt etiam aduerſeris. Nam quod ille ex hiſtoria affirmat, tu per ignorantiam negas: Tergeminos inquit, naſci non eſt portentum; nam Horatios, Tergeminos & Curiatios in hiſtoriis legimus: Tu verò à Plin. diſſentiens Tergeminos quoque naſci affirmas eſſe oſtentum. Eſtne hoc Plinii codices emandare? an eum vocare in ius, & ignorantiæ accuſare, quod ex tua ſententia non ſcribat? Quid? nonne quum de ratione partium eodem libro preciperet, tu quaſi nouas naturæ leges ex Ætruria accitus aruſpex promulgares? Ita eius ſententiam ſuſtuliſti, vt nec quid ille voluerit, percipi poſſit, neque quod aruſpicina tua præſcribat, vlla ex parte intelligamus. Ille hæc de dentibus in ſeptimo. *Quibus in dextra parte gemini ſuperne à canibus cognominati fortunæ blandimenta pollicentur, ſicut in Agrippina Domitii Neronis matre, Contra in leua.* Quid ſibi velit Plin. ſatis percipimus, niſi tu hæc deprauaueris? Nam quũ in homine, qui ſunt inter molares & priores dentes tendentes, in acutum canini dicantur, qui hos inquit Pli. habent geminos ſupernæ in dextra parte fortunæ fauor his portenditur. Contra qui in leua. Idem Solinus ex Plin. verbis vt ſolet, quos Cynodontas vocant, quibus gemini procedunt à dextra parte fortunæ blandimenta promittunt, quibus ab leua verſa vice. Brotheus hunc locum vna verbi labefactatione totũ euertit. nam ita homo rudis emendauit: *quibus in dextra parte genuini ſuperne à canibus cognominati*: vbi vno vulnere duobus locis Pli. cõfodit. nã ſi in dextra parte genuinos habentib⁹ fortunę fauor portenditur, quis erit qui aliquid non ſperet? Nemo enim eſt, qui vel genuinis careat, niſi quibus vel ætate vel caſu aliquo deciderint. Omnibus præterea tam in dextra parte quam in leua ſunt genuini, vt iiſdem ex Brothei ſententia, & blandimenta fortunæ, & iniuria protendatur. O ignorantiam! nec genuini à canibus nomen acceperunt, vt Brotheus Plin. affirmare cogit. De caninis eum loqui vel vno verbo Solinus te monere potuit nam Cynodontas dixit quaſi *κυνὸς ὀδόντας*, id eſt, canis dentes, in his portenti diſcrimen eſt, Si aut in dextra aut in leua genuini fuerint, & tamen tu genuinos duobus in locis, vt multi apud me viderunt, in media pagina & in margine ſcripſiſti, & quidem grandioribus literis, ne omnino dubium relinqueres ignorantiæ tuæ & temeritatis: ſed neſcio quo pacto propoſitum tuorum errorum numerum non ſeruaui. Nam qui ſeptem tantum promiſeram, nouem recenſui. nimirum hi duo me imprudente & inuito ex tanta turba elapſi ſunt: properant in lucem venire omnes. Sunt autem ducenti & ſeptuaginta quinque, vt cito audiantur: nam incredibili conſenſu conſpirarunt, vt te tam præclari authoris Sicarium accuſent & damnent, id vt celeriter fiat operam dabo. Opus noſtrum iam pene abſolutum eſt, quod ſimulac editum fuerit, cir-

cunſtabunt irati, & tanquam Eumenides, vt in fabulis eſt, faces admouebunt, ac flagitiorum tuorum conſcientia te torquebunt & cruciabunt. Ego me his patronum profiteor, his adero, tam piam & iuſtam cauſam non deſeram, in qua non tam doctrinæ aut ingenii fructus à me quærendus eſt, quam officii in ciuem meum & pietatis, quem per ignorantiam de priſtinæ laudis dignitate deiicere conatus es. Vos vero Heli & Marce Phoſphore dabitis veniam, ſi Brothei inſolentia me à vobis abduxit: vt quum ad vos ſcripſerim, in hunc tamen vnum omnem ferme contulerim orationem. In qua, ſi aliquando acerbior fui, teſtor virtutem ipſam, me id non ſponte, ſed neceſſariò egiſſe: non quidem quod illius contumeliæ, quibus me inſolentiſſimè inſectatur quotidie, ſtomachum aliquem fecerint, qui vel ipſa iniuriarum diuturnitate in eo iam mihi penitus conuulſus eſt, ſed quoniam ea quæ vel obiecit, vel commiſit, eius ſunt generis, vt aliter nec refelli poſſe, nec accuſari debere, viderentur. Valete.

FINIS.

501146479